

X

Ea 16.

Solonia V
ar, Hinoii
Deea, Di
eea. T


Dyn

ANDR. PATRICII NIDECICI ARCHID. VILNAE.


De ecclesia vera & falsa

LIBRI V.

Ex Libris Congregation Mission Domus Samborien.



CRACOVIAE in officina Lazari. M. D. XXCIII.
Cum gratia & priuilegio Regis.



Cantic. I.

INDICA MIHI, DILECTE ANIMAE MEAE, VBI PASCAS, VBI CVBES IN MERIDIE, NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIVM TVORVM.

P.XVI.107



MAX. POLONIAE REGI, ET MAGN. LITVANIAE DVCI ac domino. D. STEPHANO BATHORIO HEROI INCOMPARABILI.

ANDR. PATRICIVS NIDECICVS
Fidem & subiectionem.



CVM MVLTA HIS TEMPORIbus, Stephane Rex, ambigi soleant ab hominibus eruditis, de rebus ad summi Dei religionem pertinentibus, animis quidem ferè, quod teterrimum est, non tam piis quàm curiosis, &, quod dicendum est, tantùm non sceleratis, tum illa sanè omnium, etiam non pessimo consilio de diuinis rebus inquirentium, communis & peruulgata quæstio est, quæ est de ecclesia. Cùm enim constet inter omnes, sedem ac domicilium religionis ecclesiam esse, admodum sanè consequenter, secundum religionem quæritur, ea ecclesia, quæ hospitium religionis esset, vbínam ipsa locorum habitet, & quibus quasi regionum finibus circumscribatur: hoc autem est, sedes ac domicilium religionis, vbínam gentium sedem ipsam & quasi domicilium suum fixisse videatur. Sicut enim ignorato ecclesiæ ipsius domicilio, quæ est religionis domicilium, mancã ne-

scio quomodo ac debilem esse necesse est notitiam religionis; ita contrà, sedibus ecclesiæ cognitis semel ac inuentis, facile deinde, iisdem illis vestigiis, cùm cætera, tum nidus quoque ipse, &, vt sic dicam, castissimum illud sanctissimæ religionis ipsius cubile, ex quo ad reliquam eius cognitionem certa munitur via, poterit depræhendi. Quærentibus enim profectò nobis, Vbínam est verus ille, quem quærimus, & castus cultus Dei, quæ est religio? Respondebitur, In ecclesia esse. Ecclesia autem hæc ipsa vbi est? Hîc si quis, intento ad sedem ac domicilium ecclesiæ digito, monstrare id nobis, & solenne illud, HIC EST, HIC EST, *certò vsurpare ac respondere poterit, næ haud multum iam erit, opinor, reliqui, quod in hoc genere, ad summam ipsam veræ religionis cognitionem delibandam, desiderari à quoquam posse videatur. Iure igitur, vt diximus, optimo, in veræ religionis sede indaganda, statim de ecclesiæ ipsius domicilio inquiritur; in cuius quasi sinu ipso repositam esse religionem ipsam, certissimè persuasum habeamus. Verùm quoniam ad hanc eiusmodi quæstionem, illud ferè miseris his nostris temporibus solet à multis responderi, quod fuit tantò antè à Christo ipso domino, ad nos cōmonendos prænunciatum, & mendacibus ipsis magistris, ad fallendos incautos homines attributum; vt scilicet in demonstrando domicilio ecclesiæ, modò respondeant,* ECCE HIC EST CHRISTVS, ET SPONSA EIVS ECCLESIA; *modò item,* ECCE ILLIC, ECCE ILLIC: *quo quidem ex eiusmodi responso hominum inconstantium, vario ipso & inconstanti, nulla certa ecclesiæ notitia hauriri, incerta potius & confusa quædam cognitionis perturbatio nasci in animis hominū & fieri videtur; meritò elaboratum est iamdudum à plerisq; doctrina & pietate præstantibus viris, vt nobis in hoc genere, eorum ingenijs succurreretur; & quærentibus de ecclesiæ domicilio, non,* ECCE HIC, &, ECCE ILLIC, *sed merum,* ECCE HIC, *ita responderetur, vt simul & locus ipse ædificij ecclesiastici certò ab omnibus notari, & non adumbrata vlla, sed quam maximè fieri posset, ad*

set, ad viuum, vt sic dicam, expressa eius effigies possit in vniuersum apparere: qua effigie semel agnita, eodem ipso momento, religionis domicilium agnoscamus, nec amplius, inquirenda religione, hâc illâc temerè mentibus nostris diuagari necesse habeamus. Atque hæc quidem viri illi. Quos ipsos imitati nos quoque ipsi, tentare his libris voluimus, possétne eadem illa de re, quæ esset ab illis ante nos doctissimè explicata, aliquid etiam à nobis sic dici, vt saltem in vulgus probaretur. In quo quidem proposito institutoque nostro, fixa semel cogitatione nostra; cùm diligentius expenderemus, idem hoc quod dicimus, ecclesiam ipsam domicilium passim religionis haberi, meminissemus etiam à Paulo Apostolo ipso, domum Dei viuentis appellari; fecimus non grauatè, vt extensa porrò eadem illa cogitatione nostra, paulatim deinde à totius ædificii illius consideratione, ad partes ipsas lustrandas delaberemur; & singulas earũ subtilius, vti à tanto artifice perfectas vndiq; & perpolitas, perscrutantes, quæ in qualibet eiusmodi structuræ parte deprehenderentur, ea studiosè notaremus, scriptisque & litteris nostris consignaremus sic, vt descriptione ipsa nostra, non speluncam vllam latronum effingere (quam imaginem aduersariorum penè synagogæ referre videntur) sed verissimam ipsam domus domini faciem omnibus adamussim repræsentare voluisse videamur. Itaq; in fundamentis primùm ipsis, saxa quatuor insignia, ipsi summo angulari lapidi Christo Iesu inædificata, notauimus, quæ ecclesiam, Dei domum, cùm à cæteris profanis domibus omnibus egregiè secernerent, tum ipsam illam suis coloribus depingerent, ac vnam, sanctam, catholicam, Apostolicam ecclesiam exhiberent. Quæ quidem eiusmodi esse, in ipso libro nostro ostenduntur, vt nulli, quod dico, adulterinæ ecclesiæ communicari posse videantur. Deinde in quatuor ipsis eiusdem ædificii ecclesiastici parietibus, totidem notas deprædendimus, easq. in biblia, patres, concilia, traditiones, partiti sumus. Quæ notæ ipsæ, etsi in ipsis assimulatarum ecclesiarum istarum parietibus, inscribi etiam aliqua

ex parte nonnunquam videantur, in vniuersum tamen eius sunt generis, vt quaedam tantùm earum, idque per speciem modò, parietibus istis fortè accommodari queant; omnes omninò congruere illis non queant. Nam biblia quidem vendicari fortaßis ab aduersariis, per quandam simulationem, & primo parieti ipsi ecclesiarum suarum vtcunque praetexi posse videntur; patres tamen, qui est ad hunc primum parietem, alter adiunctus paries, ab istis eo honore vix dignantur; concilia etiam, qui est tertius paries, leuius aestimãtur; traditiones verò, quae est quarti nota parietis, planißimè ab ijs repudiantur. Quae singula fusius in libro ipso persequimur. Quid dicam de tecto sacramentorũ & sacrificiorum sanctorum? Quid de ordine, qui est in illo aedificio ecclesiastico quasi opus quoddam intestinum? Quid de fastigio ipso, quod secundißimis in Dei domo succeßibus illustratum ac nobilitatum est? Quae nos quidem omnia cum aduersariarum domorum fundamentis, tectis, parietibus, fastigiis, opere intestino, diligenter conferentes, omnia apud ipsos inferiora esse ostendimus, singula autem ita ad captum popularem attemperare studuimus, vt & facilius, ea quae volumus, aspectabilibus his quasi proponendis notis docere, & hoc ipso etiam popularia illa ingenia magis delectare, & quod caput est, hoc isto ipso efficacius denique mouere videremur. Quod ipsum consecuti simus nécne, tuum iudicium, Rex, esto. In quo tu ne illud quidem aduersariorum praeiudicium, quae tua est modestia, excludes, opinor, aut praetermittes, vt, si eos fortè haec legentes maledicè fremere, & aut leuiter saltem carpere, aut strictim duntaxat vellicare conari haec nostra audieris, tum existimes, nonnihil fortaßis in his esse, quod aliqua saltem mouendi vi non prorsus destitutum esse appareat. De re ipsa, quae à nobis totis libris ipsis pertractatur, facile, pro tua prudentia intelligis, singularum, quas nominauimus, partium vsum in ecclesia maximè neceßarium videri. Nam & fundamentis fulciri eam ac sustineri necesse est, ne corruat; & parietibus contineri, ne dilabatur; & tecto pro-

cto protegi, atque à tempestatum iniuria defendi, ne perfluat; & opere intestino distingui ac perpoliri, ne vasta, ne inanis, ne incondita appareat; & denique fastigio ipso perfici atque exornari, ne aut sine dignitate, aut sine perfectione, remansisse videatur. Confer mihi modò hæreticos, videbis, & fundamenta illa omnia sic ab eis euerti, vt nulla prorsus relinquantur; & parietes sic concuti, vt conquassati ecclesiam planè hiantem & nutantē efficiant; & tectum ipsum sic conuelli, vt vndique pertusum remaneat: & operis intestini vsqueadeò curam non haberi, vt ædes ipsæ synagogarum illarū non nisi vacuæ, & totæ intus squalidæ conspiciantur; fastigium verò ipsum ita vel casu apud eos omissum, vel studiosè conspurcatum deprehendes, vt non solùm necessariarum rerum copia priuet ecclesiam eorum, sed etiam nudatam ac spoliatam relinquat omni venustate dignitatis. Ex quo patet, ecclesiam quidem nostram, harum, quas diximus, partium beneficio, & stare ipsam per Dei gratiā, & bene compactam ac tectam sartamq. manere, & omninò omni ex parte, tam intus quàm foris, præclarè se habere: contrà, hæreticorum synagogas, aut fundamento planè carere, aut certè pro multiplici ipso fundamento, vno tantum, eoq. ipso nimium eheu perforato bibliorum pariete, male nixas esse: reliquos verò parietes aut aspernari prorsus, aut certè in locum eorum, aliquid ferè de tecto ipso detractum, pro pariete ostentare; tecti autem ac operis intestini & fastigij simul, nullam omninò rationē habere. Quæ omnia legendis planè his nostris liquidius cognoscentur. Atq. hæc ego sanè dum mecū diligentius aliquantò reputo, equidem statum omnem conditionemq. veræ ecclesiæ his tribus contineri imperio: stabilitate primùm, vt æternam; deinde dignitate, vt illustrem; postremò vtilitate, vt fructuosam ecclesiam habeamus. Stabilitate, inquam. Accepit enim profectò à Christo ecclesia, primùm vt sit. Super hanc petram, inquit Christus dominus, ædificabo ecclesiam meam; & quidem ædificabo, cunctis Erebi portis aduersus eam semper frementibus, sed præualituris nunquam.

quam.

quam. Quod ipsum ecclesiæ ipsi, mea quidem sententia, vnitate potissimùm, & sanctitate, & catholicitate, vt sic dicam, atq. Apostolicitate, quæ nos hoc libro pro fundamẽtis ecclesiæ ponimus, stabilitur. Deinde accepit etiam à Christo ecclesia, vt præsit; quæ est summa quædam ipsius dignitas. Est enim ea sponsa Christi, & materfamiliâs illa, cuius Christus caput est, & quam, secundum se, in familiari re sua, maximè voluit dominari. Super cathedram Mosis, inquit ipse, sedent scribæ & Pharisæi. Quicquid dixerint vobis, facite. Qui enim ecclesiam non audierit, is nunc iam, mea quidem sententia, inquit Christus dominus, profanus omnibus & publicanus esto. Sicut enim qui vos audit, me audit, loquitur ad ecclesiæ præsides; ita qui vos spernit, me ipsum spernit. ait idem. Vult igitur & esse ecclesiam, quod iam docui, & præesse; quod nunc docebo. Tribus autem illa rationibus, hanc ipsam, quam dico, præcellentiam, vel consequitur, vel conseruat; tum docendo ea, quæ bibliis, patribus, conciliis, traditionibus continentur; tum doctrinam hanc suam sacramentis & sacrificiis sanciendo; tum denique hanc ipsam sanctionem doctrinæ suæ, vi & potestate ordinis cuiusdam admirabilis tuendo inter mortales & fouendo. Quæ nos tria in hoc ecclesiastico ædificio nostro, & parietum, & tecti, & operis intestini appellatione honestamus, aduersariæ verò quotquot sunt synagogæ, ne in comparationem quidem cum nostris audent adducere. Postremò eadem illa ecclesia, quæ accepit à Christo domino, vt & sit, & præsit, accepit etiam ab eodem illo, vt prosit. Sic enim ille in quodam Euangelij loco. Vos, inquit, qui me inuitatorem secuti, intra ecclesiæ septa constitistis, ne, quæso, soliciti sitis, quid aut edatis, aut bibatis, aut induatis. In hoc enim regno meo, quod est ecclesia, omnia affatim suppeditabuntur vobis; & quidem sic, vt centies multiplicata ad vos in hac vita perueniant, & præterea vita illa sempiterna lucro deniq. vobis apponatur. Hæc sunt emolumenta illa, quæ pro virtute fideq. nostra, à benignissimo parente Deo, intra sinum matris nostræ ecclesiæ, quæ se semper

in omnes

in omnes vtilitates nostras libentissimè solet effundere, debemus expectare. Quæ quo illustriora in vera ecclesia apparent, quàm in falsa, hoc etiam veram præ falsa ecclesia illustriorem & fructuosiorem videri faciunt. Qua de re extremo ipso libro nostro, vbi de fastigio successuum vtriusque ecclesiæ in vtramque partem, disputauimus, satis actum esse existimo. De libri ipsius editione, illud dicere necesse habeo. Sub ipsa statim, ô Rex, regni tui initia, in publicum primùm prodiisse; idq́ ita forte fortuna accidisse, quasi liber ipse iamtùm videlicet auspicia ipsa tua tacitus mente & cogitatione sequeretur; & quasi iamtùm, quod tanto pòst erat euenturum, sagaciter admodum præsentiret. Sed prodiisse, multò quàm nunc est, contractiorem, Hosio nostro, Cardinali Varmiensi viro amplissimo, dedicatum. Ex eo tempore ita modicus, & ita modica illa forma excusus, sic iactabatur, vt in sermonem etiã Italicum conuerteretur, & ad te quidem Latinus, ad tuam autem coniugem Serenissimam Italicus, vterque in membrana pecorina descriptus, Roma non ita pridem à viro optimo & tui nominis studiosissimo mitteretur. Nunc auctiori libro ipsi quantulamcunque accessionem factam esse videas, non vereor ne ita ab omnibus rebus propriis nudam & inanem esse depræhendas, vt quicquid habet, de aliis id nos accepisse, nihil domo ipsos attulisse, nihil per nosipsos inuenisse, iudices. Aliquid enim, opinor, legens inuenies, cuius ego testimonium à tuo potius iudicio, vbi hæc legeris, expectare, quàm hoc tempore in hac mea epistola ponere debeo. Quicquid est, tibi sanè ô Rex, præ aliis inscribere hæc voluimus; vel nostra voluntas, qui, cùm omnia in Polonia, alicubi etiam extra Poloniam, diligentissimè lustrauimus, nihil te vno maius potuimus reperire: vel tua ipsius, qui nobis per amplissimum virum, supremum regni tui Cancellarium, Ioan. Zamoscium, hominem immortalitate dignissimum, illustrem admodum significationem dedisti, te hæc esse animo benignissimo à nobis suscepturum: vel quodam etiam libri ipsius quasi genio; qui liber iam inde ab initio, cùm primùm

** lucem

lucem illam hominum, rudis & informis cœpisset aspicere, ipsis iamtum regni tui auspiciis, quod modò dixi, animo fauere, & tua, vt sic dicam, castra sponte sequi iamtum videbatur: vel deniq. aliorum consilio. Sic enim iis, quibus hæc inprimis deberi videbantur, religionis & sacrorum in Polonia Antistitibus, ad quos hæc pro officio meo referebam, visum fuit. Quod si quando, Rex, fuerunt tempora, cùm pertenui orationi meæ aures tuas regias benignè admodum, pro tua clementia, non semel patêre voluisti, nunc certè tempus eiusmodi est, vt mihi, in hoc non paulò grauiori scripto meo, iisdem illis benignissimis tuis auribus, oculis, mente, sensu, auctoritate deniq. & gratia tua omni magnopere opus esse videatur. Defigenda enim mihi sunt in oculis auribusque tuis, ea, quibus saluis, salua stetit hæc respub. mater tua pariter ac nostra; quibus deinde ipsis concussis & conuulsis, qualem eam acceperis, vides; qualem teneas, sentis; qualem relicturus sis, profectò, si bene te noui, perhorrescis. Decidat igitur quæso, Maiestas tua partem aliquã temporis à maximis reipub. negociis suis, & hæc nihilo illis inferiora legens interim recognosce, tecumq. ipse pressius perpende; & vti hæc, te auctore, remediis quàm lenissimis, in suum statum reduci possint, etiam atq. etiam cogita. Hoc te liber ipse rogat, nomini tuo dedicatus: hoc libri auctor, totus laudis & gloriæ tuæ cupiditate inflammatus, tibi supplicat: hoc Antistites sacrorum tuorum abs te flagitant; hoc summus ille Hierarcha Romanus, Christi Dei nostri vicarius, cui tu, maiorum more, statim vt gubernacula huius regni præhendisses, fasces imperii tui libens ac volens submisisti, abs te, pro sua erga omnes omnium Christianorum regnorum ecclesias, maximè propria cura atque solicitudine, magnopere postulat: hoc nemo bonorum est & reipub. ciuium amantium, quin desideret: hoc status ipse felicissimi olim regni huius, quod se nunc in fidem tuam contulit, assiduè admonet; hoc tu ipse adeò, præclaræ debes naturæ ingenioque tuo, ad omnes regiarum virtutum laudes exhauriendas prompto inprimis atque expedito.

Hoc

Hoc denique Deus ipse Opt. & Max. abs te requirit; qui te in misericordia & miserationibus coronauit, eiusque diuini & immortalis sui beneficii hanc gratiam à te reposcit, vt hæc sanctissima Pergama regni tui, incensa iam & suffossa, hanc, dico, arcem religionis sacrosanctæ ambustam magna ex parte in regno tuo & direptam, auctoritate tua, ex incendio eripias, ereptam communias, communitam tueare.

Sic te diua potens poli; &
Patroni imperii, lucida sydera,
Functum munere bellico,
Exoluant reliquis vsque periculis.

Viue, Vale Rex optime. Deus te Max. & immortalis nobis, ecclesiæ, reipub. quàm florentissimum conseruet. Hoc Sereniss. eademq; religiosissima coniux tua, hoc nos indigni sacerdotes tui, in hoc collegio ecclesiæ Cracouiensis, quibus proximè hinc abiens maximum tui desiderium reliquisti, assiduè precamur.

REVERENDO DOMINO ANDREAE PATRICIO NIDECKI, Præposito Varsouiensi, Archidiacono Vilnensi, &c. Amico tanquam fratri charißimo & honorando.

Reuerende domine, Amice tanquam frater charissime.



Ost magnos pro Ecclesia Dei, qui nos hoc anno in uisitatione Archidioeceseos exceperunt & defatigauerunt, exantlatos labores, maximum nobis solatium leuamentumq; attulit, tuus de uera & falsa Ecclesia liber: quem ubi magna (ut tua soleo) cum diligentia uoluptateq; legimus, sublatis in coelum manibus egimus Deo immortali gratias, qui turbulentissimis hisce Ecclesiæ suæ temporibus, tales nobis uiros subministrat, quorum studio & labore, diuina nominis illius gloria magis magisq; propagatur. Unde etsi æquè ad omnes maxima uoluptas lætitiaq; perueniat: ego tamen tantò maiori gaudio afficior, quantò maiori, ad clauum Ecclesiæ in hac Prouincia diuina uoluntate constitutus, ope, auxilioq; indigeo. Et ut dolui semper, cùm tot homines nostros florentes ætate & ingenio, ociosos, aliorum eorumq; paucorum conatus sudoresq; spectantes tantùm, & ne digito quidem diuinum opus attingentes uiderem; ita uicissim lætor, excitari iam aliquorum ingenium & industriam, cùm maximè Ecclesia Christi ab hæreticis oppugnatur. Quod ego & illi ipsi gratulor, & mihi gaudeo: Cui ut te olim prisca illa nostra studia coniunxerant, ita nunc constans & perpetua iuuandæ apud nos Ecclesiæ Dei uoluntas conatusq; consociauit. Genus quidem argumenti, quod tractas, magnopere probo: Varii uaria tractant, quibus nihil detractum uolo. Sed quod argumentum magis sit

gis sit ad hæc nostra tempora accommodatum, quàm hoc de uera & falsa Ecclesia, prorsus non uideo: nullumq́, mea sententia, efficacius esse potest, uel ad Orthodoxos in prisca & Apostolica fide retinendos, uel ad hæreticos ad agnitionem ueritatis adducendos. Inuento enim & cognito domicilio, sedeq́ ueritatis, facilè ipsa ueritas inuenitur atq; agnoscitur. Nihil mihi adscribo, sed hoc certò affirmare audeo, habuisse me frequentes cum hæreticis de uariis fidei nostræ articulis disputationes: in nonnullis quidem ualuisse aliquid uidebantur, in hoc nulli semper & planè muti. Possem hac in re uideri disertus, longioremq́ texere sermonem, sed breuitatis causa multa prætereo. Excellit sanè in eo genere Stanislaus Hosius Cardinalis S. E. R. & Episcopus Varmiensis, uir, ut dignitate, ita doctrina, uitæq; sanctitate magnus & incomparabilis, dum ueræ Ecclesiæ notas elegantissimè pertractat. Scripsit eadem de re Martinus Cromerus, cui ego propter ingenii acumen, doctrinam singularem, acreq́ iudicium tribuo plurimùm semper. Edidit nunc quoq; recens Socolouius noster de Ecclesia librum. Omnes hi habent magnam ingenii, doctrinæ, & eloquentiæ laudem. Sed in hac tua tractatione quiddam ego singulare magis magisq́ reconditum animaduerto: quodquidem lectorem et orationis elegantia & uulgati quodam modo argumenti noua quadam & grata tractandi ratione retinet, mirificeq́ delectat. Fruere itaq; tu isto tuo bono ad laudem & gloriam nominis diuini. Et quando tantopere in munienda & ornanda hac domo Domini desudas, opto tibi digna tuis uirtutibus meritisq́ præmia, euenire; quibus auctus, maiores nobis ingenii industriæq; fructus feras. Qua de re scribo diligenter ad optimum sapientissimumq́ Regem nostrum, magnum tui similium amatorem atq; promotorem, ut cùm se occasio obtulerit, tuorum & de Repub. & de Ec-

clesia Dei meritorum uelit habere rationem. Quod Mti. illius cordi futurum non dubito. Commodùm autem prodit hic tuus liber, sub hoc ipsum tempus, quo nos Archidioecesanam Synodum ex præscripto sacrorum canonum Lovicii quarto nonas Octobris habituri sumus. Eapropter abs te petimus, ut ad illud ipsum tempus aliquot nobis eius operis exemplaria mittas. Ut enim ipsi eius lectione delectamur, ita ad communem populorum utilitatem uehementer cupimus, ut in manibus cleri nostri uersetur. Vale. Dat. Lyskouiciis Kal. Septemb. M. D. LXXXIII.

D. V. R.

Amantiss. Frater.

Stanislaus Carncouius
Archiepūs Gnesneñ.
Manu sua.

ELENCHVS EORVM QVAE SINGVLIS libris continentur.

LIB. I.

QVI EST DE FVNDAMENTIS ædificii ecclesiastici.

Præfatio.

LIB. II.

QVI EST DE PARIETIBVS ET COLVMNIS ædificii ecclesiastici.

Hæretico-

LIB. III.

QVI EST DE TECTIS AEDIFICII ecclesiastici.

LIB. IV.

QVI EST DE OPERE INTESTINO ædificii ecclesiastici.

LIB.

LIB. V.

QVI EST DE FASTIGIO AEDIFICII *ecclesiastici.*

AD

AD LECTOREM.

TOT vexata feris, infinitasq; procellas
Errorum perpessa diu sacra vinea Christi,
Vix inter spinas & perniciosa vepreta
Agnoscenda fuit: tantis Sathan improbus illam
Exercere odiis, tanta ausus mergere labe.
Nunc duce PATRICIO propriis insignibus exit
Notior, hic tribulos procul ac inamabile tollens
Zizanium, veris monstrat cultoribus omni
Purgatas lolio segetes & sentibus vuas.
Ingenio dignus tanto labor. ante sueuit
Abdita naturæ scrutari arcana, Monarchis
Egregiam præbere operam, quà lata sub Arcto
Regna patent, totum patriæ officium dare, quando
Flos æui fuit, atque penu depromere mentis
Plurima Mercurio miranda stupendaq; Phœbo.
Iam senio grauior longè sese altius idem
Erigit, atque animo cœlum sedesq; sequetur
Æternas, vnde afflatus spiramine Diuûm,
Sancta aperit sanctis mysteria nota Prophetis.
Hîc venerandorum monumentis eruta patrum
Lector habes omni victura oraculo sæclo.
Quæ viuos sponsæ Christi effingentia vultus,
Vt germana queat cognosci ECCLESIA monstrant.
Non opus vtilius potuit proficisçier vllum
Ingenio à tali. Cupidos hûc dirige gressus
Docta cohors, feret hæc duplicem tibi lectio fructum:
Hinc fieriq; pios dabitur fieriq; disertos.

M. BA-



ANDR.

PATRICII NIDECICI

DE ECCLESIA VERA ET FALSA.

LIBER I.

Qui est de fundamentis ædificii Ecclesiastici.

PRAEFATIO.

Non minor laus est, conuerti ad dominum, quàm non discedere ab eo. Variis rationibus Deus nos ad se conuertit.

MAXIME OPTANDVM ESset, vt in quā semel vocati sumus Iesu Christi Dei nostri fidem & religionem, ea sicuti omnibus omnium gētium superstitionibus, & omnibus omnium hæreticorum impiis fraudibus longè antecellit; ita semel à nobis suscepta, constanter possit ad extremum retineri. Castitas enim religionis, quæ est cultus quidam Dei incorruptus, nec vllo næuo inquinatus, non solùm in veritate religionis sita est, sed etiam in perpetuitate, atq. constantia ipsius veritatis. Neque enim satis castum in religione est, quod modò purum est, modò maculosum; sed illud demum verè hoc nomine dignum est, quod nulla est vnquam commutatæ veritatis nota vspiam vitiatum: ita

planè, vt quantum maximè fieri potest, fama quoque ipsa in hoc genere mentiri de nobis vereatur. Atque ea quidem castitas, quam constanter profitenda Dei Opt. & Max. religione consectamur, quoniam nec in consilio impiorum proponitur, nec in via scelestorum ac seditiosorum hominum inuenitur, nec verò vlla ratione, in cathedra contagiosa doctrinæ, vt Dauid appellat, pestilentis locata conspicitur; sed tota propria est, non magis vsu quàm possessione, ecclesiæ catholicæ sponsæ Christi, quam solam Deus esse in his terris voluit columnam, & sedem, ac stabilimentum inter homines; eius, quam quærimus, veritatis: iccirco optandum sanè esset, ita nos complexu matris huius, vnius, sanctæ, catholicæ, & Apostolicæ ecclesiæ contineri, in cuius solius gremio fideli ac benigno, omnia Deus deposuit, quæ filijs suis appromisit; vt ne ad alias vnquam nouercas conuolemus, cassas primùm & inanes omnis felicitatis, deinde inuisas Deo, & Christo sponso, postremóque adeò & vitæ nostræ ac naturæ inimicas, & saluti. Verùm quando ea est perturbatio infelicium istorum temporum, in quæ incidimus; vt filiorum desertorum magna vbique sit copia; præclarè sanè cum iis agi videtur, qui cognita secessione aut aberratione sua à materno ipso latere Ecclesiæ sanctæ, regredi malunt, quàm progredi in hoc tam periculoso cursu. Etsi enim primam illam laudē tenere non potuerunt illibatæ religionis, propter multas vel hostium insidias, vel opinionum peruersitates, vel deniq. temporum ipsorum corruptelas, quibus adeò res redit, vt ipsi etiam illi perfecti homines, quorum hactenus nulla in religione notata est varietas, de constantiæ suæ gradu deiici ferè ac deturbari videantur; in secundis tamen constiterunt, & errorem quidem ac lapsum suū principiò per Dei gratiam agnouerunt, mox etiā repudiauerunt, postremò deniq. id quod caput est, ad Ecclesiæ veritatē reuocarunt. Est igitur, quod iterum atque iterū repetendum

est, per-

est, perpetua illa veræ religionis castitas, res quædam rara atq. singularis, quę etiam iccirco maioribus nobis est votis à Deo expetēda. Verùm ne multò quidē minor illorum etiam hominū semper fuit in Ecclesia Dei dignitas, qui cùm aliquantisper, à castitatis illius puritate, vel suo, vel cōmuni hominum ac temporū vitio aberrarent, in viam tamē postea redierunt, &, de qua paulò antè deflexisse videbantur, religionis castitate, eā deinceps tantò arctius & ardentius sunt amplexi. Satis id, quod dico, iam inde ab initio nascentis ipsius Ecclesiæ, tum in Simone illo Bariona, tum in Saulo denique Tharsensi ipso, duobus religionis nostræ columinibus, apparuit; quorū hunc si spectemus, vt olim fuit, hostem sanè comperiemus fuisse, & ex professo inimicum Christi Iesu, blasphemum, vt scribit ipse Timotheo discipulo suo, & persecutorem, & contumeliosum: sin spectemus, vt postea factus est, reperiemus, ab hoc eodem Iesu CHristo, viuentem etiamtum in tertium cœlum subuectum, & ibidem factum ac designatum esse, vt ipse idem eidem illi discipulo suo alibi scribit, prædicatorem, Apostolum, & magistrum gentium, &, vt Lucas sectator eius in actis Apostolorum testatum reliquit, electum esse vas & receptaculum singulare: vas quidem, deportando eiusdem Iesu Christi nomini destinatum, cuius nominis auspicio salutari, gentes profanæ ac barbaræ, ab imminente impietatis exitio, vitæ ipsi æternæ seruarentur: receptaculum verò, inæstimabilibus illis cœlestium thesaurorum donis conseruandis idoneum, quibus deinde in perpetuum mundus collocupletaretur vniuersus. Atque hæc quidem Paulus. Petrus autem hoc etiam præ Paulo amplius, quòd, cum semel atque iterum, fœdissimo adhibito execrationis genere, eum abnegasset, quem ipsum paulò antè, solenni quadam verborum contestatione, Christum Dei viui filium, admirando quodam, & ante illud tempus nunquam de mortali, mortali ore vsurpato, elogio appellasset; ab

set; ab eo tamen ipso, toties, tam fœdè abnegato domino, princeps est postea Apostolorum relictus ac constitutus, & petra eiusmodi, super quam ædificaretur Respub. & ecclesia Christiana. Vterque, quod videmus, non modò ex errore portum adeptus & salutem, sed etiam ex scelere sanctitatem: nec salutem & sanctitatem modò ipsam, verùmetiam & sanctitatis & salutis huius, tum serendæ inter homines, tum distribuendæ facultatem: inter homines, dico, eiusdem penè illius generis vitiis, quod mirêre, inquinatos. Nimirum summus ille rerum omnium opifex Deus noster, in ratione exhibendæ gratiæ mortalibus, ita semper fuit sibi similis; vt indigentibus nunquam non benignè facere velle videretur. Sic enim olim per prophetā, Virum maritum, inquit, qui coniugem adulteram semel dimissam, iterum in communionem thori recipiat, non facilè quis reperiat. At verò tu Ierusalem, inquit, fornicata es cum amatoribus multis. Et tamen, & tamen reuertere ad me: & ego recipiam te, & ego recipiam te. Sic pater Deus. Quid eius filius Iesus Christus? Hic verò optimus & clementissimus pastor, nō modò ouem deuiam benignissime reuocat; sed etiam ipsas nonaginta nouem de grege suo oues, ipsum, dico, gregem suum vniuersum, libenter, illius vnius causa relinquit, & vltrò quæsitum it errantem ouem vnam. Quam ipsam vbi repererit, equidem non agit præ se, non pedibus domum redire cogit, sed gaudii magnitudine exultans, tollit eam in humeros ipse suos, & sic ad ouile reportat; & conuiuium solenne instruit, & apud amicos singularem hilaritatem testificatur ex oue recuperata: ouem autem ipsam illam, multò deinceps, vt videtur, reliquis omnibus ouibus habet etiam chariorem. Semper igitur quantumuis fœdè errantibus, non solùm ad veniam, sed etiam ad gratiam, nec reditus solùm, sed etiam gloriosus admodum reditus, videtur in ecclesia patuisse, iam inde ab initio. Sed & posterioribus ipsis ecclesiæ temporibus

poribus, nihilo fuiſſe veterem illam & vſitatam rationem commutatam, vel vnus ille Aurelius Auguſtinus luculenter nobis demonſtrauit: qui ex inexplicabilibus Manichæorum laqueis, quibus implicatus erat, ſemel eluctatus, grauiſſimus poſtea, diuino beneficio, eccleſiæ ſanctæ patronus, & defenſor, hæreticorum autem aduerſarius, & quaſi malleus ad eos, quod ſcimus, tundendos eſt factus. Ita ſanè, vt illis quidem ſuperioribus, qui veritatem religionis, iam inde ab initio ad extremum conſtanter tenuerunt, ceu bonis ac fortibus, his contrà, qui ſe ab errore reuocarunt, vt promptioribus iam & alachrioribus militibus, ad omne eccleſiæ obſequiũ rectiſſimè vti poſſe videamur. Atq. vtrumque id ſanè non eſt paſſim quorumuìs, imò etiam, ſi verè loqui volumus, ne hominis quidem cuiuſquam. Nam fides omninò ſingulare quoddam Dei donũ eſt: nec, vt errare ipſum hominis eſt, ita etiam aut ab errore reuocari, aut in veritate perſiſtere, ſolius hominis exiſtimandũ eſt. Diuino ſcilicet maximè præſidio niti neceſſe eſt, cùm in vtroque, tùm in altero etiam magis. Scitum nanq. eſt, quod alibi vberius, magna Theologorum aſſeueratione diſſeritur: Conuerſionem hominis impii, à ſtudijs eius prauis & peruerſis, ad vitam Deo dignam, maius omninò & multò operoſius Dei præpotentis opus eſſe, ipſa vniuerſi huius de nihilo facta ſtructura & compoſitione.

Facilis deſcenſus Auerni.
Sed reuocare gradum ſuperáſque euadere ad auras,
Hoc opus hic labor eſt. Pauci quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuêre.

inquit ethnicus pòëta. Noſtro quidem prophetæ illi non abſimiliter; qui exitii interitioníſque cauſam omnem iis ipſis tribuit, qui ſe in eam ſua ſponte præcipitauerunt; præſidii verò laudem in rebus perditis & afflictis, Deo ipſi vni ſolidam ac integram relinquit. Qui quidem De-

us Opt. & Max. etsi multa assiduè nobiscum tacitè & latenter agere soleat, dum ad ostium animorum nostrorum stat & pulsat, dum aurem mentis nostræ vellicat, dum ad cor loquitur, & quasi intus canit, ea quidem via, quæ sensibus, atque adeò rationi ipsi nostræ penitus est ignota; tamẽ ne cætera quidem ferè solet prætermittere officia, in oculos & sensus incurrentia, & rationi inprimis nostræ consentanea, quibus ad frugem meliorem, ex medio errorum & offensionum humanarum cursu, volentes retrahamur. Qui præsunt in Ecclesia eiusmodi rebus, obseruarunt pleraque, ex confessione ipsa, tam illorum, qui per hæc tempora à factionibus hæreticorum, ad Ecclesiæ societatem, infiniti per Dei gratiam redierunt, quàm eorum quoq. qui eandem porrò hanc redeundi viam indies magis ac magis & ingredi, & tenere pergunt. Eorum quædam nobiscum communicauerunt, nobisque ipsis hac ratione viam quasi quandam præiuerunt, ad similia multò plura ingenio industriáque nostra inuestiganda, & publicè denique proponenda, ad communem omnium vtilitatem atque vsum: si fortè, vt medicina olim corporis, priuatis & paucis ab initio, tum ab hoc obseruatis, tum ab alio propositis, morborum remediis colligendis, tandem est vniuersa constituta, & ad artem etiam quandam redacta; ita hæc quoque maximè necessaria animi medicina, singulis istis remediis obseruandis ac proponendis, possit aliquando perfecta acquiri, & modis omnibus absoluta. Sed nos, qui de propositis vtrisque istis, diuinis scilicet & humanis, nostræ ad Deum conuersionis rationibus, hoc libro, quantum cum Domino poterimus, dicturi sumus, aliquid interea dicamus de priori prius, & obiter nunc iam ostendamus, quónam ex fonte potissimum manare arbitremur, inæstimabile illud Dei donum, fidei aut conseruandæ, aut reparandæ nostræ; vt cùm in genere fontem ipsum & originem tantorum bonorum tenuerimus, quo sine cætera

in hoc

in hoc genere nihil admodum ſint profutura, etiam ad reliqua ſigillatim perſequenda, quæ quidem ſunt huius loci maximè propria, aditum nobis tantò faciliorem patefaciamus: vnde rurſus ad fontem ipſum identidem, quoties neceſſe fuerit, tantò expeditiùs cõmeare poſſe videamur.

CAP. I.

Gratia Dei aduerſus laqueos diaboli.

Conuerſionis noſtræ prima & vniuerſalis cauſa eſt gratia Dei.
Cætera petuntur ex comparatione Eccleſiæ veræ & falſæ.
Comparatio hæc quinque partibus abſoluitur.
Fundamentis, parietibus, tectis, opere inteſtino, faſtigio denique Eccleſiæ vtriusque conſiderandis.
Quæ eſt diuiſio totius operis
Fundamenti ſaxa ſunt quatuor.
Parietes ſunt quatuor.
Tecti partes ſunt duæ.
Opus inteſtinum eſt ordo.
Faſtigium eſt exitus ipſe in vtramque partem.



Mninò igitur eorum hominum, quos vnquam ſuſcepti erroris, hæreſumq. in animum ſemel admiſſarum pœnituit, quos ſanè, vt diximus, nec paucos per hæc tempora fuiſse, nec obſcuros conſtat, cùm alii aliis cauſis adducti, ad officium ſe ſuum dicant recepiſſe, tum omnibus vnum illud commune eſſe in hoc genere videtur, quòd ſe ex æquo omnes, ſingulari illa, de qua paulò antè diximus, Dei benignitate, & afflatu, ac inſtinctu ſpiritus eius ſancti, à falſis de religione opinionibus, vno ore affirmant receſſiſse. Et ſanè, quemadmodum malum illud hæreticorum opinionum, inimico illi homini, qui bonis ſe-

ſeminibus

minibus superseminare solet zizania, diabolo, inquam, auctori tribuendum est, qui posteaquàm semel ab initio decepit calliditate sua Euam nostram, nõ cessat porrò hodiéque insidias tendere calcaneo illius,& assiduè tanquam leo circuire, quærens quem deuoret; ita contrà, bonum hoc,de quo loquimur,ad relictam semel salutis viam rursus reuertendi,non alii meritò acceptum ferendũ est,quàm Deo Opt. & Max. qui solus à laqueis illis diaboli, in quos se ipsa impietas solet induere, vt custodire, ne in eos incidamus, ita etiam, si fortè inciderimus,eripere nos ac liberare potest; quiq. intus, ablato à nobis lapideo, & in eius vicem carneo corde substituto,non solùm docere,sed etiã omninò inducere nos potest,vt visis ac somnijs hæreticorũ inanibus relictis,viuæ voci eius,in sola Catholica Ecclesia personanti,obediamus,& eam vitę viã ineamus,quę sola dux est,ad puras illas,æthereas, & cœlestes regiones. Quo quidẽ in loco maximè illud meminisse oportet, quod etiã superiùs quodammodo attigimus,hãc ipsam Dei benignissimi erga nos gratiam atque clementiam, omnibus esse in vniuersum expositam, qui modò exaudita saltem hodierno die, vt Dauid inquit, illa salutari inprimis voce eius, corda sua, quæ ille dum intus alloquitur, emollire profectò modis omnibus conatur, durare obstinatè, & de industria ad stuporem quasi quendam adducere noluerint, sed benignè vocanti & inuitanti,& fores adeò animorum nostrorum etiam atque etiam pulsanti, illud comiter, vel potius suppliciter ac demissè responderint. Paratum cor meum,Deus,paratum cor meum. Loquere,loquere,quoniam audit seruus tuus. Conuerte me obsecro, & conuertar. Iamiam nulla mora est, sequor, & quâ ducis, ego adsum. Quanquam hoc quoq. ipsum vt ita respondeamus, eiusdem illius benignissimi parentis nostri Dei donum est, cuius sunt reliqua quæ habemus, quibusque & vtimur, & fruimur, omnia. Quid est enim, ô homo,quod non acce-

peris?

peris? Omne datum optimum,& omne donum perfectũ, “
cœlitùs deſcendit à patre luminum. “

Hic fons eſt, & origo omniũ, & hoc eſt,in hac ſanctiſſima & maximè neceſſaria animi curatione, medicamentũ illud panchreſtum, cuius ſemper in reliquis omnibus meminiſſe, & omnia tum auſpicari ab eo, tum etiam eodem referre debemus. Cuius ſanè totius rei etſi eiuſmodi eſt ratio, vt abſque ea, quemadmodum dixi, cætera omnia nihil magnopere profutura videantur,ipſa autem per ſe magnas admodum & inſignes vtilitates adferat; tamen quoniam ne cætera quidem illa remedia ſine fructu ſunt, deo ipſo ſalutem hominum variè modò hac, modò illa ratione procurante; & ſunt profectò huius,vt diximus,loci maxime peculiaria & propria, iccirco celari ſanè hîc & diſſimulari non debuerunt, ad Dei ipſius gloriam, & ad communem hominum ſalutem; eorum præſertim, qui, ſi fortè ſua ipſi ſapientia ſapere,& ſine externis adiumentis,deum ſequi intus præeuntem, aut non potuerunt hactenus, aut certè noluerunt, at his ſaltem, quæ proponuntur aduentitijs adminiculis freti, rerum ſuarum magis prouidi, magíſque attenti eſſe incipiant.Conſtant autem omnia ferè hæc remedia maximam partem, ex comparatione eccleſiæ veræ cum falſis atque aſſimulatis. Etſi enim per ſe ſingula, vel ab vna ſaltem parte ritè ſpectata & animaduerſa, momentis ſuis non carent, ad ſequendum & fugiendum, quæ nobis, vitæque ac ſaluti noſtræ, ſiue profutura, ſiue adeò nocitura videantur; tamen fatendum eſt neceſſariò, neq. tam facilè perueſtigari, neq. tam acutè peruideri, neque, quod caput eſt, tam plenè in vtramq. partem examinari, ſiue bona,quæ ſunt iis propoſita,qui in veræ eccleſiæ communione permanſerunt, ſiue mala, quæ illis impendent, qui ſe ad hæreticorum factiones contulerunt, ſi ſeparatim ſic ſine comparatione ſpectentur, quàm cum vtraque deducta ſunt, veluti in contentionem inter

ſe quandam bonorum & malorũ. Adducemus igitur hoc libro noſtro nonnulla in comparationem: & quidem ſic, vt principiò ea proponamus, quæ penitus quodammodo, in ipſa quaſi eccleſiæ vi ac ratione intima continentur; vt ſunt primùm, notæ illæ quatuor interiores eccleſiæ, cùm in ipſis fidei ac pietatis noſtræ rudimentis hauriendis, in primo ipſo, dico, chriſtianæ religionis noſtrę ſymbolo profitendo, illis quatuor illuſtribus admodum quaſi indiciis, veram eccleſiam eſſe inueſtigandã, docemur & admonemur, vt ſit Vna primùm, deinde Sancta, tum Catholica, poſtremò denique Apoſtolica. Quæ mihi, vt ſic dicam, teſſeræ eccleſiæ, quaſi ſaxa quædam quatuor inſignia, ad fundamentum ſtructuræ eius iacta, atque in quadrum poſita eſſe ſic videntur; vt quæ eccleſia his fundamentis nitatur, ea vera ſit; quæ non nitatur, eam falſam & adumbratam eſſe eccleſiam, reputare debeamus. Hoc primum. Vt ſunt deinde ſcripturæ ipſæ, tam bibliorum, quàm patrum, & conciliorum etiam ſanctorum; quibus quarto loco libenter addo illas quoque non ſcriptas traditiones ipſas; quibus quidem quaſi quatuor parietibus firmiſſimis, in totidem ſaxis illis interioribus excitatis, quæ ſocietas careat, ea vera eccleſia eſſe non poſſit, quæ non careat, ea nomen veræ eccleſiæ & honorem iure optimo ſibi poſſit vendicare. Hoc ſecundum. Vt ſunt poſtremò ſacramenta & ſacrificia ipſa, quæ mihi ſanè in hac eiuſmodi ſtructura noſtra, tecti cuiuſdam inſtar videntur obtinere; tecti, dico, in eccleſia quidem ipſa benè pro[illegible]ſſi & compacti, in Synagoga, planè perfluentis. Hoc tertium, atq. adeò poſtremum eorũ, quæ ex ipſa interiore eccleſiæ ipſius vi atque ratione depromta, ad ipſum veræ eccleſiæ ædificium, ſiue excitandum, ſiue firmandum, ſiue adeò illuſtrandum, adducturos nos eſſe hoc libro conſtituimus. Quibus quidem ipſis illa etiam præterea libenter ſubiungemus, quæ ad aliquã illa quidem ædificii eccleſiaſtici rationem referri poſſe,

nec ta-

nec tamen interiore ipſa ædificii ipſius vi ac ratione contineri,intra ædificium modò, aut certè ſupra ædificium ipſum, quod molimur, ſita ac locata eſſe videantur. Cuius generis ſunt,intra ædificium quidem & quaſi intra cõplexum eccleſiæ ſanctæ, Ordo ipſe, ſine quo nihil planè agitur in eccleſia, nihil non in ſynagoga. Suprà autem, in pinna quaſi, & apice ipſo, ſucceſſus ipſe & exitus religionis: qui mihi maximè omnium in vtramq. partem ita eminere videtur, vt facilè ex eo coniectura fieri poſſit, quid aut boni ſit,ſiue in ædificio,ſiue intra ædificium ipſum eccleſiæ catholicæ, aut etiam mali, tam in ædificio, quàm intra ædificium eccleſiarum hæreticarum. Ita ſanè, vt totum opus non incommode in quinq. libros diſtribui poſſe videatur:quorum primus,de fundamentis ſit huius ædificii diuini, alter, de parietibus, tertius, de tectis, quartus, de opere inteſtino, quintus de faſtigio. Atque iis quidem rebus omnibus, diligentius in partem vtramque perpendendis, ſolent animi hominum, ad complectendam religionis veritatem, vel omninò, vel certè maxima ex parte permoueri. Dic enim ſodes. Si quis tibi hoc tempore, ab hac quidem parte, eccleſiam proponat, vnam & conſtantem, ſanctitate præditam, amplitudine omnia complexã, ſerie continuationum perennem, ſacramentis integram & auguſtam, ſacrificio ſublimem, ſcripturis ſacris, bibliorũ, patrum, conciliorum,inſtructam,traditionibus etiam antiquiſſimis ſubnixam, ordine præterea ipſo perpolitam & diſtinctam, ſucceſſibus denique proſperis diuinitus auctã. Et hæc quidem ab vna parte. Ex aduerſo autem eccleſiam tibi ſtatuat, totam laceram, & diſſectam, totam ſpurcam, totam in angulum retruſam, nuper natam, ſacramentis mutilam,ſacrificio caſſam, ſanctarum ſcripturarum dubiam amicam, traditionum autem apertè hoſtem; eandem præterea omnibus in rebus mirificè confuſam ac perturbatam, & nihil denique aliud, quàm certum ac proximũ

interitum ſpectantem. Has, inquam, tibi duas eccleſias, ſi quis hodie ſub aſpectum ponat, dic quæſo, ex animi tui ſententia, vtram malis? Ego verò etiam tacente te, non valde dubitem quid ſis reſponſurus. Atque hæc ſunt quidem, quæ nos hoc libro noſtro, non proponere ſolùm, ſed etiam, ſi poterimus, vtrinq. oſtendere decreuimus. Faxit Deus Opt. & immortalis, vt quo nos conſilio adducti, ad ea litteris his noſtris mandanda acceſſimus, eodem ab omnibus excipi hæc ipſa ac legi videamus. Quo enim paucioribus datum eſt, vt vtram vitæ viam ingreſſuri ſint, prius ſecum deliberent, quàm eam ingrediantur (cùm plurimi noſtrum vel caſu ipſo delati, vel amicorum ac patronorum ſuaſu inducti, vel docentium auctoritate impulſi, vel deniq. multitudinis certatim ad malum currentis, contagione ac furore, quaſi quodam impetu fluminis correpti, ad ea ferè quæ cuique quoquo modo collibuerint, non ratione, ſed opinionibus feramur, eáque ſola pro veris amplectamur) hoc equidem magis adnitendum nobis eſt, vt exemplo illius Herculis, de quo eſt in libris ethnicorum, in ſolitudinem quaſi mentis cogitationíſque noſtræ progreſſi, ibíque ſedentes, & diu multúmque dubitantes, etiam atque etiam, & iterum atque iterum diligenter cogitemus, (neque enim leuia, aut ludicra petuntur; ait ille) cogitemus, inquam, duabus propoſitis, virtutis, & voluptatis, id autem eſt, religionis & hæreſeos, ſeu, quod idem eſt, ſalutis & interitus viis, vtram nos inire præſtet; &, ſi fortè, per aliquem ſiue errorem animi, ſiue inductionem, illam viam, quæ ducit ad interitum, ingreſſi iam ſumus, hoc magis demus operam, vt ſtatim pedem referamus, & aliam inquiramus, inuentámque ſcilicet carpamus primo quoque tempore, & perſequamur. Iamque adeò non tam Herculem, quàm Dauidem ipſum noſtrum exprimamus, qui Herculem illum, quaſi alterum Goliam, longè in eo quoque ſuperauit, quòd non ſolùm cogitauerit, vt inquit

ipſe, vias

ipſe, vias ſuas, ſed etiam conuerterit pedes ſuos in teſtimonia domini. Non erit autem profectò difficile hanc viam, quam dicimus, inuenire, ſi ad ea seriò animum attenderimus, quæ permulta, in vtramque propoſitæ comparationis partem, omnibus ſuppeditare poſſunt; ex quibus nos quidem hoc loco pauca quædam, ad guſtum videlicet tantum non etiam ad ſatietatem, decerpemus.

CAP. II.

Diſcordia & inconſtantia hæreticorum.

Ex quatuor ſaxis fundamenti eccleſiaſtici, primum eſt Vnitas. Cui contraria eſt Diſcordia & Inconſtantia

DISCORDIAM in hæreticis magna varietas doctrinæ eorum commonſtrat.

Ex hac varietate, orta eſt apud hæreticos confuſio, incertitudo, diſceſsio ab eccleſia, & à ſeipſis, in ipſo etiam doctrinæ fundamento. Res turpiſsimæ & periculoſiſsimæ.

Hic de quodam Diſcordia, primo Miniſtro Euangelicorum in Polonia, & de diſſenſione in comitiis interregni.

INCONSTANTIA hæreticorum ſemper vergit in peius.

1. à contemptu cæremoniarum, ad contemptum rerum maximarum.

2. à doctrina rerum ſubtilium, ad ea quæ palàm ſunt contra rationem.

Hanc pœnam hæretici meritò ſuſtinent: quia mente & ratione, quam à Deo acceperunt, aduerſus Deum ipſum abutuntur.

Non ſunt igitur ſequendi. Niſi fortè in illo, vt eccleſiam catholicam, cui ipſi ſecundas tribuunt, nos, ob hoc ipſum, primam habeamus.


Vuat autem in hoc genere ante omnia breuiter excutere primam illã ecclesiæ notam interiorem, quæ est nota Vnitatis; vt cùm ecclesia nõ possit esse nisi Vna, nos, comparatione facta, inquiramus hoc loco, nostráne catholicorum ecclesia propius accedat ad eam formam & speciem ecclesiæ vnius, an verò synagoga hæreticorum. De qua quidem principiò loquamur; atque in eo etiam, sumamus, si videtur, hoc exordium. Ecclesia vera vna est. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta sunt concubinæ, inquit ille: vna est tamen columba mea, vna est matri suæ. Ita, vna est, quod dicimus, ecclesia vera. Atqui hæreticorum multæ sunt & magnæ ab ea vnitate discessiones. non igitur eorum factiones, ad ecclesiam veram possunt vllo modo videri pertinere. Videamus enim, quam tandem, & quantam illam ipsorum inter ipsos dissensionem atque discordiam esse oporteat, quæ non solùm tot sectas orbi terrarum peperit, quot homines se ad illarum factionum varietatem atque inconstantiam contulerunt, vt saltem quot essent capita, totidem de religione sensus extare viderẽtur, verùmetiam, (vt est malarum omnium herbarum admiranda quædam fæcunditas) cùm singuli eorum, in illa variarum opinionum peruersitate diutius elaborare cœpissent, & cùm tot diuersarum inter se doctrinarum quasi aquarum diuortia fecissent, illud effecit, vt numerus quoq. opinionum ipsarum, non multò pòst, cum numero, non dicam annorum, sed propemodum dierum, quibus eæ fabricabantur, fuerit adæquatus. Magnum est per se id quod dico, sed ex hoc ipso quoque quid porrò secutum sit, videamus. Nimirum ex eo videntur esse tria quædam maxima consequuta. Vnum, vt numerus ipse falsarum illarum opinionum, multiplicatis inter se, tum hominum, tum dierum ipsorum numeris,

 Discordia Hæretic.

meris, mirum in modum augeretur; atque eo ipſo tanta quotidie in doctrinam eorum confuſio induceretur, vt opiniones poſtremò ipſas non modò pernoſcere, ſed etiam pernumerare, admodum difficile fuerit. Quod ipſum ne ſic ſine teſte abeat, ecce tibi interea Zuinglium, teſtem ſatis locupletẽ; qui vnus, de vno euchariſtiæ negotio, quadragies ſententiam mutaſſe dicitur. Quid igitur dicemus, ſi & reliquorum omnium eius generis hominum, & omnium præterea, quæ inter ipſos intercedunt, controuerſiarum, exacta ratio ſubducatur? Alterum etiam inde ſequebatur, vt omnes illi, qui rerum ſuarum, & ſalutis incerti, ad iſtos fortè magiſtros veniebant, incertiores multò dimitterentur, & ex ſtultis inſani prorſus redderentur, cũ ſummo animorum ſuorum periculo & iactura. Quod ſanè ſi antea fuit ignotum, ex illo quidem tempore aliqua ex parte cognoſci potuit, cùm eſſet, qui dicere non dubitaret, illuſtri princeps prognatus genere atque familia, ſcire ſe vtique quid in annum, Vitebergenſes vicini ſui, pro religione ſequerentur; deinceps autem, quas porrò exacto anno religiones eſſent ſuſcepturi, id verò planè ſe neſcire. Tu verò, ô bone, annum fruſtra opertus ne ſies. Dies enim craſtina, ipſum etiam illud quod ſcire te putaſti, totum in animo tuo ſic conuellet, atq. labefactabit, vt non genus modò annuæ eorum religionis, ignotum tibi eſſe, planè fateri te oporteat; ſed etiam, vt vlláne tandem vnquam, an verò nulla potius religione tangantur, homines tam incerta ſententia, valde dubites. Hærent enim, hærent profectò ſemper, tanquam in ſalebra, ſic in dogmatibus ipſis ſuis ſuſpenſi hæretici; vt, ſi Latinum nomen obtinerent, non incommodè ab hærendo viderentur eſſe appellati. Mirum igitur videri non debet, ſi, cùm incerti ipſi & eſſent & fuiſſent ſemper, ipſos quoque ſuos conſultores incertos planè dimittebant; quod erat in propoſita diſtributione noſtra alterum. Tertium autem præterea, ex illa,

quam

quam dixi, innumerabili opinionum hæreticarum multitudine, illud necessariò sequebatur, vt ipsi illi earum fraudum architecti, non magis ab ecclesia ipsa, à qua secesserant, dissentirent, quàm ipsi mutuò inter se alter ab altero dissiderent, (quî enim alter alteri congrueret, in tanta quiduis opinandi licentia atque impunitate?) Planè vt eò tandem deuentum esset, quod scribunt quidam proprii prophetæ ipsorum, vt non tantum ecclesiæ ipsorum inter se non conuenirent, sed vt etiam à pastore suo diaconus dissentiret, custos dissentiret, ludimagister dissentiret; omninò autem vt nec vicino cum vicino conueniret, nec ciui cum ciue, nec patrifamiliâs cum suis domesticis. Ita factũ est, vt alter ab altero, vsque adeò ciuili quasi quodam bello, animis dirimerentur, vt nunc etiam duos opinionibus religionum inter se congruentes vix in vniuerso hæresum illarum regno reperias. Maledicè hæc & contumeliosè à nobis opponi sibi aiunt. Operis enim duntaxat ipsis & conatibus fortassis inter se nonnihil dissentire, fundamentum certè quidem, & illud ipsum in religione primum atque summum, constanter omnes & vno animo retinere. Ego autem dico, nec maledicè nec contumeliosè opponi; sed verè ac modicè, vel etiam intra modum; nec à nobis etiam magis, quàm ab ipsis illis opponi, propriis, vt dixi, prophetis eorum. Quod autem addunt de fundamento, id eiusmodi est, vt aut nullum planè sit religionis atque ecclesiæ fundamentum, aut certè à nobis pariter atq. ab illis ignorari videatur. In quo enim, quæso, fundamento inter se conueniunt, qui neque in vnius dei & Christi confessione, neque in vnius ecclesiæ sponsæ eius agnitione, neq. in vna scripturarum interpretatione, neque in vlla tot & tantarum rerum aliarum consensione, secum conueniunt? Et, si in radice, quod iactant, conueniunt, quid est per Deum, cur alii alios, leuium scilicet foliorum causa, extra synagogas suas eiiciunt? Parum dico, quid est, cur alii alios nō

Discordia hæreticor.

ſolùm de ciuitate, ſed etiam de vita tollunt? Egregiam verò mihi narras in fundamento doctrinæ conſenſionem, quæ ab ipſis inter ipſos conſentientibus, ferro eſt, & igni non ſemel in alteris vindicata. Hoccine autem ſolùm factum eſt? vt alius ab alio, ſine cauſa, maxima animorum acerbitate, per ſummam imprudentiam diſſentiret? Imò etiam factũ eſt, quod maius eſt. Factum eſt enim id, quod omnem amentiam ſuperat, vt ſinguli eorum planè ſecum ipſi ſingulariter pugnarent; vt ſecum, inquam, vnuſquisq. eorum bellum inteſtinum atque nefarium gereret. At qua tandem in re? Omnium, vt puto, maxima. In fundamento, dixeris; aut in eo certè, quod ſit fundamento ipſi proximum. Quas enim ipſe paulò antè opiniones, pro ſolis, primis, perpetuis, veris, neceſſariis, in religione ſententiis reputauit, quáſque etiam pro iſtiusmodi, orbi ipſi terrarũ vniuerſo, maxima contentione non ita pridem venditauit, has deinde, ſucceſſu temporis, ita ad extremum repudiauit, vt eas aut planè in vniuerſum negãdo, ex rerum quaſi natura tolleret, aut ſaltem limatius, vt ſibi videbatur, diſſerendo, falſi omninò argueret. O fœdam, Chriſtiani, diſcordiam, & minimè ferendam. O mirabilem quandam & indigniſſimè comparatam, ac ne comparatam iam quidem monomachiam, non vnius hominis cum vno, non mentis cum lingua, aut cum calamo, in vno eodémque homine; ſed planè hominis vnius ſecum, & mentis vnius ſecum, & linguæ vnius ſecum, & calami vnius ſecum; vt idem, modò efflaret, modò ſorberet idem: eadem mens, modò diceret, modò negaret idem; eadem lingua, modò affirmaret, modò inficiaretur idem, idem calamus, modò ſcriberet, modò expungeret idem. Quæ res ſanè ſi in vita hac noſtra communi, de rebus nunc ſic, nunc alio modo ſe habentibus, ægerrimè ferri poſſet, in cœleſti quidem, & illa, illa omnium certiſſima ſalutis doctrina tradenda, poſt tot præſertim à fundatione chriſtianiſmi exactas ætates, &

post tot secula consecuta, ferri ab hominibus christianis non debet; inest enim in eo, præter cætera incommoda, insignis quædam turpitudo, non modò theologorum, sed etiam virorum quorumlibet, nec eorum tantum qui dicunt, sed eorum etiam qui audiunt, grauitate prorsus indigna. Meritò igitur summum hoc illorum, ob doctrinam inconstantissimam, probrum atque dedecus, non modò intus in animis eorum & pugnæ, & anxietates, vti necesse erat, sed etiam foris, quod vidimus, & verborum acerbitates, & maledicta scurrilia, & anathemata aliorum in alios, &, quod peius est, prælia cruenta, terroresque gladiorum ipsorum, tum inter magistros, tum inter discipulos, sunt consecuti. Nam & Anabaptistæ contra Luteranos, & Luterani contra Caluinistas, & Caluinistæ vicissim aduersus Luteranos & Anabaptistas, multis in locis, hostiliter exarserunt, & ad arma denique cucurrerunt. Quid dicam de Luteranis inter se ipsis? qui cùm iam in XII. factiones diuisi sint, vndecim quæ sunt, omnes sunt à duodecima publicè condemnatæ, & tanquam securi in foro, ita in eorum synagoga, anathemate percussæ. Eccam Christiani, duodecim Luteri Apostolorum concordiam; eccam iunctis scilicet dextris societatem eorum. Dies me deficiat, si coner vnius saltem confessionis Augustanæ, crambes videlicet istius toties repetitæ, & toties recoctæ, mutationes ac vicissitudines percensere; cum modò ait, modò negat, puerili sententia, vt quod modò dictum erat, indictum sit, quod ratum, irritum sit. Quid dicam de riuulis, cùm fons ipse integritatem, atque adeò vnitatem suam tueri nō possit? aut quomodo riuos consecter numerando, cùm fontem ipsum, ex vno tam multiplicem fieri videam, vt neque manibus ad præhendendum teneri, neque oculis ad peruidēdum notari satis queat? Quid dicam de varietate prolis ac numero, cùm parentes ipsos tam varios esse cernam, vt vnos eosdemque esse interdum magnopere dubitem? aut quid

 Discordia hæreticor.

aut quid quærar de liberorum factionibus ac tumultu, cùm parentes ipsos nunquam sanctam societatem seruare, assiduè potius inter se belligerare, videam? Iamuerò quid iis faciant alieni, cùm ipsi sese mordere inuicem, & tanquam ad necem condemnare non dubitent? Hæccine autem est, quæso, pax illa, quam sibi primùm ipsis stabilire, deinde nobis etiam prædicare debuerunt, si Christi discipuli videri voluerunt? Pax vobis, pax vobis. In quamcumque domum intraueritis, dicite, Pax huic domui. Sic quidem Christus. Atqui aliter Antichristus. Quotquot enim, eo duce, ab ecclesia sese præciderunt, ii omnes vtut verbum Dei,& pacis euangelium,verbo præ se ferant,vtut interdum siue diuini numinis gloriam & honorem, siue adeò commodum rerumpub. nefariis suis consiliis per speciem prætexere videantur, quantum tamen ex rebus ipsis passim, & in Heluetia, & in Germania, & in Anglia, & in Scotia, & in Gallia, & nouissimè in Belgica consecutis, iudicari potest, reuera nihil aliud sunt, quàm flabella quædam seditionis domesticæ, & funestæ faces incendiorum, ac bellorum ciuilium; & quidem bellorum, tam illorum in ecclesia, & in repub. perniciosissimorum, quàm etiam istorum fœdissimorum, inter ipsos eorum dogmatum duces, & auctores commissorum, mirabili quodam, & inperuestigabili Dei iudicio, quo fit, vt per inimicos ipse suos, vindictam sumat de inimicis suis. Externis libentius quàm nostris exemplis in re eiusmodi vtimur. Sed tamen si quis nostra etiam attentius consideret, reperiet hic quoque in Polonia, (quod verè quidem,sed admodum dolenter dicere liceat) iam inde initio facto ab illo ipso Discordia nostro, quem tunc ministrum scilicet, & præcursorem atque emissarium, ad discindendam apud nos auitæ illius & pacatæ religionis nostræ concordiam, cũ omine quodã male fausto,si benè animaduertere voluissemus,totius discindendæ paulo pòst ac euertendæ reip. Satanas ipse ma-

 ximè

ximè idoneum, non re minus, quàm verbo atque appellatione, deſignarat; quanta derepente rerum noſtrarum cõuerſio facta fuerit, & ex illa miſerè diſcordi doctrinarum diſcordia, quas tunc videlicet doctrinas Diſcordia ille, veteri ipſi atque perpetuæ catholicæ doctrinæ ſuperſeminare cæperat, quanta ſe ſubitò in ipſas etiam reliquas, tum priuatas, tum publicas res noſtras, ſeditio infuderit; quàm vir viro infeſtus fuerit, quàm ætas aduerſus ætatem, ordo etiam aduerſus ordinem, & omninò pars ciuium aduerſus ciuium partem alteram exarſerit, eamque accíſis fortunis, imminuta dignitate, eleuata auctoritate, omnique attenuata exiſtimatione circumſcripſerit; ita vt niſi naturalis ingeniorum noſtrorum bonitas, labentibus illis reipub. fundamentis ſucceſſiſſet, ipſam hanc rempub. quam vix tenemus, ne vix iam quidem teneremus. Tam eſt venenata res religionis diſcordia. Miſericordia tamen domini, quòd non eſſemus conſumpti. Quanquam, ſi dicendum eſt quod ſentio, ne nunc quidem admodum eſt, cur exultare iam potius quàm timere etiam debeamus. Vno enim, qui ſolus adhuc nobis ex vetere regum noſtrorum progenie ſupererat, non ita pridem extincto rege noſtro, altero autem quoque, quem nos aliunde accitum, in locũ mortui paulò antè ſublegeramus, & in huius regni poſſeſſionẽ immiſeramus, à nobis rurſus, ad paternum, fraterna morte vacuum factum, gerendum regnum, digreſſo rege, nobis autem ipſis, ſic ſine rectore, in medio relictis populis, magnopere ſanè verendum eſſe cenſeo, ne illud, quicquid erat hactenus tectioris diſcordiæ noſtræ, nunc altero hoc interregno in neruum erumpat denique. Si enim tenuia illa & tempore ipſo debilitata, varietatis in religione veſtigia, quæ ſemel erant ab vno illo Diſcordia, in paucis quibuſdam noſtris domibus atque familiis poſita & impreſſa; ſi illud, inquam, occultæ ſuperſtitionis venenum lentiſſimum, temerè olim à paucis duntaxat & priuatis hauſtum,

tantum

Discordia hæreticor.

tantum momenti habuit, ad interturbandam, ita vti vidimus, proximæ electionis regiæ concordiam & consensum, quantum tandem virium habiturum esse existimamus hoc tempore, cùm omnis omnium superstitionum licentia, publico sit multorum fœdere & pactione iniquissima, sancita in republica ac confirmata? Itaque, vt cætera omnia cadant ex animi nostri sententia, illud certè in hoc tanto religionis dissidio, vix vitauerimus, quin duos, quod omen procul abesse cupio, inuicem oppositos, & sibi, per summã contentionem nostram obiectos, in hoc regnum inducamus reges; quorum ipsorum vel neutri quidem, quod in procliui est, nos vtrique pareamus, vel, dum suum quisque vix sustinemus, alterum profectò armis vicissim persequamur, nec satis opportunis, & certè patriæ ipsi inprimis exitiosis; quod quidem auertat Deus. Hæc sunt, quæ nos etiam ipsi, in his malis, quorum tamen apud nos, in comparatione cæterarum gentium, leuiter esse videntur impressa vestigia, experti sumus; & hæc sunt, quæ timere porrò necesse habemus. Viderunt alii, in hac ipsa, de qua loquimur, hæreticorum discordia, tantam opinionum varietatem, viderunt in his opinionibus, tantam populorum fluctuationem, viderunt tantam aduersariorum inter ipsos dissensionem, viderunt tantam cuiusque eorum & tam mirabilem pugnam secum, viderunt tantam execrationum, excommunicationum, anathematum, proscriptionũ, ignium etiam & armorum, aliorum aduersus alios licentiam. Hæc, vt dixi, viderunt alii. apud nos certè quidem, ea quæ vidimus & sensimus, etsi initia tantum quasi quædam malorum fuerunt, maxima ipsa mala non fuerunt, tamen, si benè attendamus, eiusmodi fuerunt, quæ sufficere debere viderentur ad suscipiendam cogitationem, de prouidendo omni ratione, quò hæc ipsa, quæ propriè ex eadem hac causa, nostræ huic impendent ciuitati, auertere posse videamur. Sed satis de nostris, ad communia redeamus, &

Discordia 22. hæreticor.

quid porrò mali varietatem illarum doctrinarum hæreticarum fuerit passim cōsecutum, vti cœpimus, exponamus; sed paucis. nam omninò haud libet. In quo quidem genere illud vtique prætermittendum non videtur, in quo fatalis iam quædam atque perpetua nouatorum istorum vesania luculenter perspicitur, quòd nouandis indies ac mutandis suis istis opinionibus, non ferè vnquam, nec casu, nec studio, ad meliora contendant, sed semper in deterius, vt diuus Paulus ait, prolabantur; & quidem vsq. adeò deterius, vt ab eiusmodi leuissimarum opinionum initio atque basi, ad tantam tantarum confusionum molem, atque fastigium perueniri aliquando potuisse, vix quisquam existimauerit. Quis enim fore credidisset vnquam, vt ab aqua lustrali, & cereis benedictis, quæ isti principiò sola arrodere cœperũt, gradus aliquando fieret, ad oppugnandum Christum primùm, deinde etiam deum ipsum? Quis existimaret, quæso, aqua illa ex ecclesia deducenda, & cereis tollendis illis, tum Christo strui insidias, tum deo ipsi? Quis conatus illos, tam in speciem exiles ac remissos, arcum esse intentum putauisset, ad Christi ipsius, siue præsentiã corporis in eucharistiæ sacramento, exinaniendam, siue fidem diuinitatis, in ipsius illius persona conuellendam? Quis modicum illud fermentum aquæ, vt dixi, & cerei, talem ac tantam massam ita inficere potuisse sperauisset, vt diuina ipsa vis & maiestas, quam tribus personis, vnica essentia, vniuersa antiquitas definiuit olim, nunc homuncionum istorũ ingeniolis, aut deleretur planè ex animis hominum, aut certè secus, quàm summa ipsius dignitas postulat, attrectaretur? Atqui omnia hæc, ætas nostra vidit & audiuit; & cùm eiusmodi furias aduersus omne id, quod est Deus, rabiosissimè concitatas intuetur, haud ferè liquidò affirmare potest, esse iam tãdem extremum petulantiæ isti constitutum modum, quominus in posterum, ex his eiusmodi præiudiciis, grauiora etiam in deum ipsum

decreta,

Diſcordia hæreticor.

decreta & conuitia, pertimeſcenda eſſe videantur. Sic enim hactenus quoque actum eſt. Negabat olim forte fortuna neſcio quis, vel ſcio potius, nam interfui, apoſtolorum ſanctitatem, ſingulos eorum, vt ſolent iſti, in ordinem redigens, (Hæc enim tum ſola ſcilicet in circulis & conuiuiis iactabantur) excepit confeſtim alius, peruerſi genus dogmatis seriò refugiens, orationiſque inſolentiam ad maius etiam incommodum adducens. Quid? ſi, inquit, eodem hoc modo, quo negas apoſtolorum ſanctitatem, eius quoque ipſius diuinitatem neges, qui apoſtolorum fuit dominus & magiſter? Quid factum eſt? Equidem ad eam tunc vocem, aures omnium qui aderant, atque adeò eius quoque ipſius, qui ſe apoſtolis iam ipſis iniquum iudicem ferebat, ita inhorruerant, vt quin veſtes ad illam tantam tamq. inauditam ſermonis impietatem ab omnibus ſcinderentur, nihil admodum deeſſe videretur. Nondum videlicet tum aſſueueramus os in cœlum ponere, & cum gigantibus, impia aduerſus Deum bella moliri, armis plusquàm paricidialibus. Perfractis autem ſemel religioſi pudoris repagulis, & meta transgreſſa verecundiæ, Deo & diuinis myſteriis omnibus debitæ, eædem illæ aures, quæ tunc de re tam impia ac deteſtabili, optimo etiam & chriſtianiſſimo animo, vel quæri ſaltem non ſuſtinebant, aliquot modò poſtea interiectis annis, inſano eiuſmodi, atq. nefario dogmati hauriendo, æquiſſimas ſe prorſus præbuerunt, hauſtumque eius doctrinæ venenum diriſſimum, in præcordia etiam ipſa, proh dolor, transdiderunt. Sic enim profectò ſe res habet, vt cuneus, à tenuiſſima fiſſura tentato initio, craſſiſſimas etiam arbores, nouis identidem ingeminandis ictibus, valeat diffindere. Horribilia ſunt hæc, quæ dico, impietatis generáne an ſupplicia, an vtrumque horum; atque haud ſcio, an horribiliora nulla fingi poſſint. Quæ enim ſic dicuntur aut ſentiuntur, ea, quantum in ipſis eſt, euertunt planè id, per quod ſtant hæc omnia, quæ vide-

quæ videmus, quæque etiam non videmus. Qua vna re, sicuti fraus nulla capitalior cōcipi, ita vix vlla sceleris pœna excogitari posse videtur atrocior. Sed profectò plura etiam sunt & maiora cōsceleratis mentibus flagella à Deo destinata. Quo enim quis magis peccat, hoc ipso magis etiam plectitur. Quod autem est, aut quod fingi saltem potest conscelerato ipsi animo supplicium acerbius, quàm si quis assiduè, & in noua ipsa peccata ruat, & pro iis, in nouarum simul pœnarum ac cruciatuum genera incurrat? vt ita quidem assiduitate illa peccandi, & noua illi quotidie quasi quædam peccandi via muniatur, & his ipsis nouis atque recentibus peccatorum accessionibus, noua etiam indies contra eum vindicta diuinitus prouocetur. Atq. hic iam quidem obiter videamus, in hac ipsa, quam interim animo contemplamur, hæreticorum varietate atque inconstantia, qui gradus, & quàm ad ruinam præcipites facti fuisse videantur. Etenim cùm tanta quædam in hominibus exorta esset auiditas doctrinarum nouarum atq. variarum, vt omnes omninò, sicut loquitur Apostolus, tanquam prurire auribus viderentur, iam hoc tum profectò primum peccatum fuit, quòd sic prurirent; quod ipsum peccatum, est etiam deinde alterum statim consecutum, peccatum simul & peccati pœna, quòd cupiditatem illā, &, vt dico, pruritum illum noua ac varia audiendi, tanta deinceps excepit, diuersarum sectarum, imò insectorum quasi ac vermium quorundam, ad perniciem nostram cōiuratorum multitudo & copia, quanta vix vnquam aliàs simul fuisse perhibetur. Iamuerò hoc ipsum, quod dico, & peccatum & supplicium secundum, tertium est etiam & peccatum simul, & supplicium consecutum, quòd in tanta diuersarum doctrinarum copia, tanta, quod mirum est, mentis ac rationis extitit inopia, vt homines ipsi magis ac magis in præceps amentiæ cuiusdam extremæ ruere, atq. de sartagine, quod aiunt, in prunas pestilentissimarum de

Deo, deq.

Diſcordia hæreticor.

Deo, deque diuinis rebus opinionum, aſſiduè prolabi viderentur. In quo ipſo peccato, peccatique pœna, tantum etiam porrò proceſſum eſt, quod modo dicendum eſt, vt iidem illi homines, non iam ſolùm, vt vidimus, à pietate & religione, quæ eſt recta ratio, deſciſcere, ſed planè in ipſis ſtultis ſtultæ atque amentis mentis ſuæ ratiocinationibus euaneſcentes, ab ipſa poſtremò, quæ dicitur, ratione naturali, hoc autem eſt, à communi hominum mente & intelligentia, palàm deficere, atque ita ſeipſos prorſus fugere, & à ſeipſis exulare viderentur, exemplo propemodum inaudito. Quis enim, obſecro, ante iſtos, vſque adeò mente captus fuit, vt diceret, quod iſti dicunt; vt quenque eſſe optimum, ita in optima quaque actione peccare: id autem eſt, bene agendo, male agere? Quis hominum ita inſaniuit, vt tetra ac nefanda ſceleratiſſimorum quorumq. nebulonum facinora, Deo Opt. atque ſanctiſſimo auctori aſcriberet? quod iſti facere non dubitant. Quis denique mortalium ita à ſeipſo diſceſſit, vt quicquid ab homine in omni vita fieret, aut gereretur, id ſeruiliter, tanquam à non domino actionum ſuarum. (ſed hoc interim largiamur) Id coactè, ceu ab inerti pecude. (ſed hoc quoque mittamus) Id ſine ſenſu propemodum ac motu omni, non ſecus quàm à trunco & ſtipite, geri aut fieri, & diceret & exiſtimaret? quod iſti magiſtri non ferendi & exiſtimant, & affirmant. Planè vt mihi præter omnem rationem, quã omninò vidẽtur amiſiſſe, nihil aliud quàm vaticinari modò & inſanire videantur. Ac mea quidem ſententia, magno ſanè ſuo merito, videntur hanc pœnam, amiſſæ & ereptæ mentis atque rationis ſuſtinere. Si enim iurè multari illos dono accepto dicimus, qui dono ipſo aduerſus doni ipſius auctorem & datorem abutuntur, profectò omnes iſtos, iure optimo rationem, & cogitationem, & mentem, & intelligentiam omnem, quaſi excellentem quandam ſtatus atq. conditionis humanæ prærogatiuam

Diſcordia hæreticor.

amiſiſſe, exiſtimare debemus, qui diuinum illud donum rationis, diuinitus ſibi tributum, à Dei & Chriſti auctoris obſequio atque ſeruitute, cui potiſſimum deſtinatum ab initio fuit, abreptum atque auerſum, quaſi ſignum quoddam ſuperbiæ atque contumaciæ, aduerſus Deum ipſum & Chriſtum eius ſuſtulerunt, atque eo ad inducendam in orbem terrarum, ab ipſo orbis fabricatore & rectore ſeceſſionem,& deinde ad ſerendas immortales inter mortales, aduerſus immortalem ipſum, & mentis, & rationis, & pacis atque concordiæ, auctorem ac præbitorem Deum, rixas & contentiones & dimicationes, ingratè, impiè,crudeliter, abuti non dubitauerunt. Iure igitur, vt dixi, optimo, ratione & mente multati ſunt. Quod ipſum,illud etiam conſequebatur neceſſariò, vt amiſſa ratione, ne inſanire iam quidem cum ratione poſſe viderentur. Cùm igitur ad eum modum nihil prorſus cum ratione agerēt, magna ſanè cum ratione, ab hac eorum inaudita ferè mentis cæcitate,& non ſolùm ab aliis,ſed etiam à ſeipſis, &, quod caput eſt, ab ipſa natura hominum digreſſione & abſceſſu, cùm aliâs alii multi prudentes viri alienos ſe eſſe oſtenderunt, tum non ita pridem maximi vir nominis & exiſtimationis, planè refugit; cùm aliquanto iam antè, illud de ipſis ſæpe in ſuis ſermonibus conſueſſet vſurpare. Quem fugiam, inquit, habeo; quem veſtrum ſequar,non habeo. Nimirum enim omnes iſti, vt erratici (libenter enim interea, quantum poſſum, abſtineo hæreticorum nomine) fugiendi ſunt; quem autem ex eis potiſſimum ſequare, ne vnum quidem omnes quotquot ſunt, ex omni ſuo numero poterunt demonſtrare. Sed quid? Luteranus nimirum, ſi aliter fieri non poterit, Luterum edet ſuum; Zuinglianus Zuinglium ſuum; Caluinum Caluinianus. Quid tu igitur facias? Non eas? cur igitur ducem quæris? Eas verò? ad quem autem eorum potiſſimum,quæſo? Aequè igitur cōtemnas omnes? id verò eſt, quod, mea quidem ſententia,

omnium

Discordia hæreticor.

omnium tutissimè feceris. Quid enim melius in rebus dubiis? Atque hoc loco quidem, dum exitum iam huius partis spectare videretur oratio hæc mea, venit adeò in mentem mihi insigne exemplum quoddam, atque haud scio, an rebus hisce, de quibus agimus, conuenientissimum, quod de veterum olim philosophorum sectis inter se dissidentibus, nonnusquam scriptum esse memini; quorum omnium suo quisque studio delectatus, ita vni suæ factioni primas vendicare solebant, vt reliquas omnes sectas nō modò præ sua contemnerent & aspernarentur, sed etiam à philosophia ipsa vniuersa arcerent planè atque abigerēt; Academici modò, cum bona ceterorum venia, locum vtique aliquem in philosophia tuerentur, suo quidem iudicio, item vt ceteri omnes, primum, reliquorum autem omnium concessu, secundum. Quid tum postea? Equidē illud deinceps ex iis eorum disceptationibus, ab ipsorum prudentum, & nulli sectæ addictorum hominum ingeniis, acutè simul & verè intellectum fuit, rectè Academicos suo sibi iudicio primos & potissimos visos esse, qui ceterorum omnium iudicio secundi pronunciarentur. Atq. hæc quidem philosophi. Quid est igitur in re proposita, quod ad ecclesiæ catholicæ cōmendationem, hæreticarum autem synagogarum odium atque inuidiam, non incommodè trahi posse videatur? illud equidem primum, vt opinor, quòd quemadmodum concertationes philosophorū, ipsis quidem eorum sectis ruinam adferunt, philosophiæ autē & veritati robur atque firmamentum; ita bellum hæreticorum inter ipsos, ipsis quidem hæreticis illis, aut mors est, aut infamia, ecclesiæ autem aut pax, (quod vulgari etiam prouerbio celebratur) aut victoria. Dum enim ecclesia contrariis quasi simul hæreticorum ventis atq. fluctibus illis appetitur, tum maximè ridet partium minas distractarum; quæ partes mutuis inter se cædibus debilitatæ & consumptæ, ecclesiam ipsam in medio tutam ac se-

 curam,

curam, addo etiam, vnam & vnitam, atque hoc ipſo maximè inuictam relinquunt, ab ipſis etiam, vt Chriſtus ipſe profitetur, portis inferorum. Deinde illud quoq. alterum, quòd ipſa demum catholica eccleſia, rectè, ſuo iudicio, & ſit, & à ceteris haberi vera eccleſia debeat, quæ ab omnibus hæreticis de veritate inter ſe contendentibus, ſecunda habeatur. Etſi enim ipſam veritatis prærogatiuam, nulla hæreticorum ſecta, præ ſe, catholicæ eccleſiæ, nihilo ſanè magis, quàm ceteris hæreticorum ſectis omnibus, apertè conceſſerit, tamen ſi quis primas cuique earum concedat, & de ſecundis, ex ſingulis ipſarum percunctetur, non valde dubitem, ſecundas ipſas partes, facilè omnium conceſſu delatum iri ad catholicam eccleſiam noſtram. Ex quo ipſo rectiſſimè concludi poteſt, verè catholicam eccleſiam eſſe primam, cui à ſectis omnibus, quæ modò aliquem ſobriæ ac moderatæ cogitationi locum dare videantur, ſecundæ concedantur. Concedi autem ſecundas, ſatis profectò indicant voces illæ, ſæpe in multis eorum notatæ, & à multis exauditæ, frementium atque dicentium, Papiſtas (ſic enim appellant catholicos) in illo quidem genere, de quo cum alterius generis hæreticis controuertatur, tolerabiliores videri. Itaque iſtos ipſos catholicos, quos ad eum modum in ſecundis conſiſtere faciunt, in ſuis etiam hæreticis vrbibus, impunè ferè verſari patiuntur, hæreticos autem diuerſi generis non modò non patiuntur, ſed etiam eiiciunt & exturbant, interdum autem vitam quoque iis eripiunt iudicio conſtituto.

CAP. III.

Concordia catholicorum & vnitas eccleſiæ.

Vnitas eccleſiæ catholicæ, tùm in conſenſione doctrinæ, tùm maximè in vno ſupremo magiſtratu luceſcit.

VNItas ecclesiæ.

Vnitatis symbolum ita proprium est ecclesiæ catholicæ, vt solum sufficiat ad hæreticos dignoscendos.

Hic de fructibus hæreticorum, locus ille euangelii, Attendite à falsis prophetis. &c. expenditur.

Vnitatem ipsam, eadem tradenda omnibus ætatibus doctrina, semper conseruauit ecclesia catholica.

Hanc igitur ecclesiam sequamur, alias detestemur.



ED mittamus iudicia hæreticorum, & rem ipsam putemus. Digladiantur inter se hæretici, & quidem sic, vt quotidie per summam suam inconstantiam & mobilitatem animorum, imò per singularem peruersitatē, de malis rebus præsentibus ad pessimas quasq. magis ac magis delabantur; quis est igitur illorum, quem sequare? imouerò quid est illorum, quod sequare? Nunc mihi, quæso, conuerte oculos, & exaduerso, miram quandam ecclesiæ ipsius catholicæ concordiam & consensum considera. quis erit, obsecro, ex omnibus catholicis, quem aspernere? quorum quidem omnium tanta est consensio, & tam coniunctæ in eiusdem religionis negocio operæ, vt vnum si cognoris, omnes nosse videaris. Iamuerò in ipsis eorum religionis capitibus, quotquot sunt, quid est, quæso, quod reiicias? cùm æquè omnia, magna & perpetua quadam omnium constantia & amore, sint pietati hominum & immortalitati ipsi consecrata? Sed hoc interim omittamus, & de consensu tantum eorum, quod est præsentis instituti, aliquid in medium adferamus. Nimirum ecclesia nostra catholica, vt semel dicam omnia, eam omnibus omnium temporum interuallis constantiæ laudē per Dei gratiam tenuit, vt omnium eorum, qui gremio ipsius continerentur, & doctrina vna, &, quod etiam maius est, cor vnū, & anima vna, &, quod penè est mirabilius, labium planè vnum esse videretur. Fuit autem id semper

vſque adeò eccleſiæ noſtræ proprium, vt non modò in iis appareret, qui, aut iisdem ex locis orti eſſent, aut iisdem temporibus vixiſſent, (quod quidem ipſum hæretici ſi haberent, orbis ipſe terrarum iactantiam illorum vix ferre poſſe videretur) ſed etiam multo magis in illis, quorum & origines, & ætates, magnopere diſtinctas eſſe videmus; à quibus tamen omnibus, magna omnium conſenſione, vnus Deus coli, vna fides prædicari, vnum baptiſma vſurpari, vna eccleſia teneri, &, quod ferè horum omnium vnica cauſa eſt, vnum, vnum ſemper in terris aſpectabile ipſius eccleſiæ caput agnoſci ſimul & perhiberi videbatur. Qua quidem ex tot & tãtarum rerum tam arcta communione & conſenſu, ipſa etiam eccleſia VNA eſt facta; & quidem, vt dixi, ex eo maximè vna, quòd vnum ſemper inter pontifices principem, ex hominibus ipſis hominem delectum, & hominum cauſa in ipſo Pontificatus ſummi faſtigio poſitum ac conſtitutum haberet, quo, cùm in ceteris ſuis ad Deum negociis, pro ſequeſtre veluti quodam, tum etiam in ſopiendis de religione cõtrouerſiis, pro ſummo quaſi quodam arbitro ac diſceptatore vteretur. Alioqui enim contentiones eiuſmodi, neque deeſſe profectò vnquam poſſent, non vno aliquo earum moderatore & rectore conſtituto, neque, dum vigeant, eccleſiam vlla ratione vnam eſſe patiantur. Sicut enim vnam, quam ſic populariter appellamus ciuitatẽ, nulla res ex omnibus, æquè ac vnus aliquis ſupremus, proprius quidem ipſi ac peculiaris magiſtratus conſtituit; qui, ſi modò ſtatum ac conditionem ciuitatis illius vtiliter conſeruare ac tueri debeat, cum eiuſmodi ſanè poteſtate in ea verſetur oportet, vt legis loquentis vicem ſuſtineat, & quæ velit, non modò facilè apud ciues, ſed etiam neceſſariò obtineat; alioqui omnem illam multitudinem breui diſſipari ac dilabi neceſſe ſit; ita niſi eccleſia vnum ſemper cum ſumma poteſtate, aſpectabilem, & ob ipſos oculos poſitum ducem habeat, cu-

VNItas ecclesiæ.

beat, cuius interim ſupremo arbitrio, diuerſa illa & planè infinita hominum ſtudia moderetur, vna quidem eſſe ciuitas, vna respub. vna denique eccleſia non poterit. Atque hoc ita eſſe, abunde, vt puto, declarant tot & tam variæ hæreticorum ſynagogæ; quæ vt primùm vni huic Duci ac moderatori eccleſiæ, & parêre ipſæ deſierunt, & alios ab eius obedientia auocarunt, ſubitò & pacem ac tranquillitatem orbis terrarum mirificè perturbarũt, & deinde perturbatis ac permiſtis rebus omnibus, ipſæ quoq. magis etiam quàm ſi Babylonis alicuius ædificatrices extitiſſent, & mẽte & voce cõfuſæ ſunt. Verè enim dixit Auguſtinus. In cathedra vnitatis doctrinã poſitam eſſe veritatis. Atq. hic quidẽ diſertus planè eſſe poſſem, ſi in hoc genere omnia & ſanctorũ patrũ, & ſanctarũ ſcripturarum loca recitare vellẽ. Sed ad alia properat oratio. Eſt igitur veræ eccleſiæ nota prima atq. veriſſima, ſymbolũ ipſum vnitatis. Vſq. adeò ſanè, vt ego quidẽ omnes quotquot ſunt hæretici, hoc vno indicio ſatis teneri exiſtimem, ſi modò ſcindere arguantur eam, quam dico, eccleſiæ vnitatem. EX FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS, ait magiſter noſter. Non ex foliis videlicet, quæ prætendunt. ſunt enim bonis quoque arboribus communia. Non ex radice: quæ etſi eorum propria, penitus tamen abdita, & in ipſis conſceleratis eorum mentibus eſt defixa, vt non tam facilè animaduerti poſſit. ſed EX FRVCTIBVS ipſis: qui neq. latêre omninò quenquam poſſunt, propalàm poſiti, neq. fallere, cùm malis tantum arboribus conuenire videãtur. Cùm enim dominus mendaces prophetas ipſos, id autem eſt, hæreticos, incedere, inquit, opertos veſtimentis ouium, quid aliud, obſecro, quàm folia quaſi quædam videtur deſignare, quibus arbores iſtæ infelices veſtiantur? Cùm autem ait, intus eſſe rapaces lupos, nonne ſatis ſtirpem ac radicem eorũ ſignificat, odio quodam humani generis imbutam acerbiſſimo? Vt ita radice eorum deſcripta ac foliis, com-

liis, commodius deinde ad fructus ipsos eorum exponendos accedere videatur, cùm inquit: EX FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS. Teneo, dicis; sed agè, inquies, iterá dum illud idem mihi. Quaénam sunt tandem illa folia? Ouium, respondet dominus, vestimenta. VENIVNT AD VOS, inquit, IN VESTIMENTIS OVIVM. Perge porrò, dicis. Quæ sunt hæc ouium tegmina? Atque hoc quidem in loco, ei, qui vim ac rationem eorum vestimentorum penitus cognoscere cupiat, ego dico, non dominus, tale quippiam esse inquirendum, quale vtique prophetarum ipsorum muneri, prima fronte congruere videatur. Prophetas enim, vt dixi, eo loco dominus hæreticos appellat, cùm inquit: ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. Est autem, quod constat, scriptura ipsa, quasi materies quædam subiecta prophetis, quam tractent, & in qua versentur. Eam igitur ipsam, scripturam inquam, amictum esse falsorum istorum prophetarum, tanquam quoddam ex ouium vellere contextum integumentum, non absurdè, vt opinor, dixero; quo se quidem integumento hæretici ipsi venditant, & pro ouibus Christi, quæ vocem eius inprimis obseruent, videri faciũt. Nec verò prorsus ego ipse tantum, ad eum modum intelligendũ esse, id quod dico, censeo, sed ipse etiam dominus, si bene attendamus, non fert planè obscurè; dum nobis paulo pòst eosdem istos, quos modò Græco verbo mendaces magistros appellauit, vellere hoc ouili cõtectos, ex propinquiore iam quasi loco spectandos proponit & cognoscendos, his verbis. NON OMNIS, inquit, QVI DICIT MIHI DOMINE DOMINE, INTRABIT IN REGNVM COELORVM. Id est. Non quilibet eorum, qui se existimant scire & nosse me, cœli simul ac terrarum dominum, quiq. passim, tanquam vellus quoddam ouium, ita præ se ferunt, priuatam scilicet quandam ex lege & euangelio cognitionem mei, aditum habebunt, sicut hic, ad ecclesiæ communionem

VNItas ecclesiæ.

nionem fruendam, siue alibi, ad cernendam æternæ vitæ hæreditatem. Et ibidem paulo pòst. IN ILLA DIE, inquit, MVLTI DICENT MIHI. Iam hoc primum animaduertendum est, quod dicit saluator: MVLTI. non vnos videlicet innuens, sed multos esse asserens & diuersos. Deinde quod addit, DICENT, inquit. Hoc autem est, disserent tantum & disputabunt, non etiam vita ipsa exprimēt, aut repræsentabunt. Postremò autem, quod ita subnectit, DICENT MIHI. Mihi, inquit, dicent; sic scilicet, vt, si possent, me quoque ferè ipsum, eodem illo prætenso ouium tegmine fallere, & in errorem inducere gestiant. Quid igitur dicent? DOMINE, DOMINE, inquient, NONNE IN NOMINE TVO PROPHETAVIMVS? Hoc autem est, nonne verbum tuum prædicauimus? nonne euangelium scilicet atq. legem tuam puram putam mortalibus nunciauimus? Videtúrne tibi, quæso, ouilia ista hæreticorum vestimenta, quasi cuiusdam arboris infelicis folia, satis ob oculos nostros ponere dominus his verbis voluisse? Quid radicem? Ille verò etiam radicem eorum, verbis designat insequentibus, cùm inquit: INTVS AVTEM SVNT LVPI RAPACES. Quasi si dicat. Penitus, inquit, in ipsis venis & visceribus, vel potius in ipsa stirpe ac radice sua, instar sunt rapacium luporum. Nimirum intimis suis cogitationibus hoc agunt atque moliuntur, vt ipsi quoque, ceu lupi, rapiant & dispergant gregem; hoc studium eorum est, hæc radix, vt sic dicam, & stirps hæreticorum. Cuius vos tamen radicis, inquit, vim & rationem, horribilem sanè ac naturis vestris inimicam & aduersam, sed penitus absconditam, & omninò benè celatam ac dissimulatam, ex nulla alia re melius & liquidius, quàm EX IPSIS EORVM FRVCTIBVS perspicietis. Cùm enim ipsi & tribuli sint, & spinæ, vuas profectò & ficus non ferunt; spinarum tantum & tribulorū fructus ferunt. NVNQVID LEGVNTVR, inquit, EX SPINIS VVÆ, AVT EX TRIBVLIS FICVS?

VNItas ecclesiæ.

FICVS? Atque hæc quidem dominus. Quid est autem, ficus & vuæ? quid item tribuli & spinæ? Equidem, vt puto, verbis his dominus ipse noster, ab vna quidem parte, rationem religionis & doctrinæ suæ, vuis & ficubus comparat, idque ipsum vel ob gustus suauitatem, vel, ob alendi ac nutriendi facultatem, vel denique ob illam, in vuis quidem acinorum, & ficubus granorum, in ipsius autem sacrosancta religione, gentium ac populorum congeriem, in vnius & fidei, & spei, & charitatis, &, quod caput est, ecclesiæ vnitatem. Ab altera autem parte, hæreticorum siue adeò pseudoprophetarum doctrinam, planè consimilem esse significat spinarum & tribulorum. Primùm, quòd vti baccæ illæ spinarum, exteriore quidem specie proximè ad vuas quodammodo accedunt, nec sunt vuæ tamen; & vti fructus ipsi tribulorum, erranti quidem oculo videntur ex longinquo nõnullam ficuum similitudinem repræsentare, re autem vera à ficubus magno distant interuallo; ita hæreticorum genus omne, speciem ac similitudinem quãdam affectare videntur doctrinæ Christi, à vi tamen & potentia euangelii, quæ est in salutem omni credenti, absunt quàmlongissimè. Per dulces enĩ sermones, ceu ficus quasdam, & per benedictiones, tanquam vuas, non ad salutem dirigunt, non; sed ad interitum deducunt, quicquid est vspiam mentium bonarum atque innocentium. Hoc primum. Deinde verò, quod mihi planè magis etiam rem ipsam continere videtur, quòd quemadmodum & spinæ & tribuli, frutices aculeati sunt, configendis ac lacerandis corporibus apti atque idonei, ita hæretici ad hanc vnam rationem nati ac facti esse videntur, configendæ ac lacerandæ ecclesiæ dei. Quisquis igitur, vt extrema cum primis & mediis contexamus, obtentu scripturarum sanctarum, odio autem penitus insito doctrinæ euangelicæ, vnitatem ecclesiarum dissipet, & quod integrũ in iis erat, id quasi aculeo immisso punctim feriat, omninoque configat, la-

VNItas ecclesiæ.

figat, laceret, & discindat, is mihi quidem & folium ac speciem ouilis velleris prætendere, & fructum spinarum ac tribulorum edere, & radice ipsa ac medulla sua, quasi quendam rapacem lupum in ecclesia repræsentare, & omninò nomen hæretici ac pseudoprophetæ meritò obtinere videbitur. Illud enim demum euidentissimum pseudoprophetarum τεκμήριον est, fuitque semper, illud etiam verissimum indicium hæreticorũ, si assiduè & illum quidem mirificum doctrinæ Christianæ consensum, diuersitate doctrinarum suarum, quasi quibusdam aculeis, dirimant, & mutuam hominum inter ipsos cõsociationem concerpant atque dilacerent. O spinas & tribulos execratos. ô ipsam quoque, quæ execratos frutices hos fundat, terram, diris ac execrationibus omnibus diuinitus deuinctam. Maledicta terra, inquit dominus ad Adam, in opere tuo, spinas & tribulos profundet tibi. Quos tribulos, aut quas spinas? Nunquid de sentibus, & non potius de hominibus cura est deo? Ego autem spinas & tribulos, hæreticos istos dico, terræ, & quidem execratæ filios; qui ex abditis & tenebricosis terræ cauernis atque latibulis emersi, occultè quidem, sed planè miserabiliter, corpus ecclesiæ sanctæ aculeis suis pungunt ac fodiunt, & veneni præterea ipsius sui diritate, periculosè admodum lacerant ac cruentant. Quid ita? quia non vulgaris equidem soli cuiuspiam, sed, vt Apostolus ait, & abiectæ, & omninò diuinitus execratæ, atque combustioni destinatæ telluris, quasi venenatus quidam frutex est spinarum & tribulorum istorum. Si sagitta veneno tingatur, aut si magico carmine incantetur, scimus quos dolores & quantos, & quàm penè immedicabiles soleat excitare in vulneratis; quid dicemus, si plaga infligatur, non illorum telorum interuentu, quæ aut vulgari veneno imbuta, aut ore tantum magico incantata sint, sed horum ipsorum, quæ os diuinum ipsum omni imbuit execratione? Vulgaris cuneus, vt modò dixi, nullo

 nec ve-

nec veneno infectus, nec carmine incantatus, vt primùm corpori alicui impactus eſt, ſtatim & ſoluit quod erat continuum, & viam facit, ad totum illud quidquid eſt, penitus diffindendũ; quid dicemus de his ſpinis & tribulis execratis doctrinarum peruerſarum, & inimicarum? quæ vbi ſemel animos noſtros pungendo perforarunt, viam faciunt diabolo, lupo illi omnium rapaciſſimo, vel potius luporum ipſorum domino & magiſtro, ad nos totos, vbi libuerit, facillimè diſcindendos. Vbi igitur ſpinas & tribulos eiuſmodi hominum viderimus, qui ſub ſpecie ficus & vuarum, id autem eſt, ſub velamento verbi dei, pungant atque concerpant corpus illud compactum & connexum eccleſiæ Dei, ibi fructus manifeſtos pſeudoprophetarum, ibi dolos & fraudes proprias hæreticorum, nobiſcum recognoſcamus, ab iisque eiuſmodi hominibus omni attentione animi caueamus. Quod quidem ipſum vſque adeò mentibus noſtris infixum eſſe dominus voluit, vt non modò vi & ſignificatione verborum illorum, ſed etiam ipſa, vt ſic dicam, figura eorum & collocatione, idem illud animis noſtris imprimere quodammodo voluiſſe videatur. Nam cùm dixiſſet, ex fructibus eorum cognoſcendos eſſe, infert continuò id, quod fructus illos, quos dixi, ad quandam rerum omnium diſſolutionem ac diſſipationem pertinere quodammodo innuit. Inquit enim, μή τι συλλέγουσιν. NVNQVID COLLIGVNT? hoc autem eſt, Non colligunt certè quidem. Qui autem non colligit, is profectò, vt idem ipſe alibi ait, diſpergit; & qui diſpergit, vt porrò alibi etiam dixit, is lupus eſt rapiens & diſſipans gregem; atqui pſeudoprophetæ omnes, vti hoc loco inquit, lupi ſunt rapaces. quid igitur præterea expectamus? Atq. hæc quidem prophetæ falſi. Veri autem quid? Vultis vno verbo dicam. Veri prophetæ piſcatores ſunt. qui ſagenam aſſiduè in mare mittant, ex omni piſcium genere congregantem. Eſt igitur verorum prophetarum congregare.

Dicam

VNItas ecclesiæ.

Dicam hoc idem iterum, sed alio modo. Falsi prophetæ lupi sunt rapaces, qui dispergunt oues; ergo veri prophetæ pastores sunt, qui eas congregant. Est enim munus pastorum, cogere oues & congregare. Dispersæ sunt, inquit Dominus, oues meæ, eò quòd non esset pastor. Itaq. adeò princeps ipse pastorum Christus Iesus, ob id & venisse in mundum, & mortuus esse dicitur, vt filios dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. Quoties volui, inquit, congregare filios tuos? Et alibi. Adhuc alias oues habeo, & eas oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Quid autem ait in eodem illo euangelii loco, vbi depingit notas falsorum prophetarum? NON OMNIS, inquit, QVI DICIT MIHI, DOMINE DOMINE, INTRABIT IN REGNVM COELORVM, SED QVI FACIT VOLVNTATEM PATRIS MEI QVI IN COELIS EST. Hoc enim ferè dicit verbis illis. Non statim, inquit, vt quisque quocumq. modo per speciem defungitur munere docendi & prædicandi legem & euangelium, dignus est veri prophetæ nomine & appellatione; sed is demum verus propheta esse ac dici poterit, qui se ad illam diuinam exequendam, & inter mortales serendam, voluntatem componet, non vt ædificata diruat, aut plantata euellat, aut congregata dissipet, sed potius vt dissipatis, euulsis ac euersis operibus diaboli, ædificet, & plantet, & congreget ecclesiam dei; quæ ipsa etiam ex congregando nomen est adepta. Aedificans, ædificans Hierusalem dominus, ait rex ille prophetarum in psalmis suis, dispersiones, inquit, Isráëlis congregabit. Dispersiones congregabit; non contrà, congregationes dissipabit ac disperget. Et Christus ipse in euangelio. Hæc est, inquit, voluntas eius qui misit me, metere regiones quæ albæ sint ad messem. Tantúmne autem metere? Non: verùm etiam fructum hunc demessum, in vitam æternam, quasi in quoddam horreum domini congregare. Et ibidem addit statim ad discipulos. Ego vos,

 inquit,

" inquit, miſi metere. Nimirum intelligit etiam & congregare; quod in ipſa quoque metendi ſignificatione & actione, non obſcure videtur contineri. Ita ſanè, vt qui diuinũ hoc eius, metendi & congregandi ſtudium, inter mortales æmulentur, ii ſoli ſint veri diſcipuli eius, ii ſoli veri paſtores & prophetæ eius, ii ſoli denique veri vicarii, &, quod " dicendum eſt, veri hæredes & filii eius. Pacifici enim pro" fectò filii dei vocabũtur. Et hæc quidem hactenus. Nunc, vnde digreſſi fuimus, redeamus; & quoniam ſuperiore ſermone noſtro abundè oſtendimus, primùm, eccleſiã ipſam vnam eſſe oportere, deinde, apud hæreticos, nihil vnum in religione apparere, ſed omnia in illo genere, confuſionis & perturbationis cuiuſdam incredibilis eſſe apud eos pleniſſima, concludamus iam hoc loco quàm breuiſſimè poterimus, id quod in ipſo huius capitis initio oſtẽdere cœperamus, vnum illud, quod eſt veræ eccleſiæ proprium, noſtræ eſſe catholicæ eccleſiæ proprium. Non vagabor au autem in eo demonſtrando, per omnium gentium catholicarũ hiſtorias, in quibus idem illud, quod de noſtra dicturus ſum, facilè comperias: noſtra domeſtica experientia contentus ero. Septingenti ferè anni ſunt à ſuſcepta per nos in Polonia, religione chriſtiana, id autem eſt paulo minus quàm dimidium, ab ea per orbem terrarum vniuerſum fundata & propagata. Excutiamus igitur omnem temporum iſtorum, non omninò breuiſſimorum memoriam. Eſtné quæſo, vt dicere poſſimus, iota vnum, apicem vnũ immutatum interea fuiſſe, ab eo quod ſemel, ab Apoſtolicis viris traditum, à noſtris eccleſiis ſuſceptum extitit? Certè nihil. Inuocatio ad vota preceſque noſtras, ſanctorum hominum qui in domino obdormierunt, eadem tunc fuit apud maiores illos noſtros, quæ nunc eſt apud nos. Preces pro mortuis, eædẽ quæ nunc ſunt. Miſſæ ſacrificiũ, idem planè quod nunc eſt. Sacra Latina, eadẽ quæ nunc etiam manent; Celebs vita ſacerdotum, eadem hæc quæ

 VNItas ecclesiæ.

hæc quæ nunc viget. Veritas corporis & ſanguinis domini in ſacramento euchariſtiæ, eadem quæ hoc tempore à noſtris prædicatur. Vna eius ſpecies in communione populari, eadem quæ nunc per noſtros diſtribuitur. Reliqua inſtituta omnia, planè vti in eccleſiis noſtris hodieque & fiunt & geruntur. Nimirum vna eſt eccleſia hæc, cùm illa quæ fuit; quam ipſam, ita vt eſt, vnam & eandem, omnes vna eademque mente, & vnius atque eiuſdem doctrinæ genere, & vnis iisdemque eccleſiaſticis ritibus ac cerimoniis conſeruandis hactenus tenemus & tuemur; nihil inconſtans, nihil varium, nihil ab aliis catholicis diuerſum, nihil à prima conditione ſua diſcrepans aut immutatum; nulla cuiuſquã ab illa vnitate diſceſſio, nulla inter omnes diſſenſio viſitur; vſque adeò quidem, vt nunc etiam quisquis ſecum iſtam eccleſiarum noſtrarum per tot ſecula, in ritibus eccleſiaſticis æquabilitatem ac perpetuitatem diligentius conſideret, is eoſdem planè veteres illos Adalbertos & Staniſlaos, Epiſcopos ac patres in Chriſto noſtros, viuere adhuc exiſtimet. Non quidem, vt in hoc tanto temporum decurſu pluſculum progreſſum eſſe negem, ſicut alibi poſt alios, ita in Polonia poſt Staniſlaum & Adalbertum noſtros, (Semper enim profectò ſanctis hominibus de virtute in virtutem progrediendũ eſt, & gradus aſſiduè eiuſmodi faciendi ſunt, vt non tam ad ea reſpiciamus, quæ retrò ſunt, & quæ iam contentiſſimis maiorum noſtrorum greſſibus ſuperata ac relicta eſſe cernimus: quàm vt ad ea ſemper contendamus, quæ ad augmentum ſczt eiuſdem illius fidei & religionis noſtræ pertinere videantur. Alioqui quænam hæc eſſet, quæſo, tanta & tam deploranda noſtra ignauia, nulla ad veterem maiorũ noſtrorum pietatem ac religionis feruorem acceſſione facienda?) Sed ideò Staniſlaos & Adalbertos dicas nũc etiã viuere, quòd quæ olim per ipſos illos bene cœpta ſunt, eadem nunc quoque illa apud nos ſarta & tecta vigeant, & ſi quid amplius vrgeas, eti-

VNItas ecclesiæ.

geas, etiam aliquanto ſczt auctiora & ornatiora appareant. Cùm igitur nos quidem catholici, ſiue hi, qui paternis iſtis Polonici regni noſtri finibus continemur, ſiue illi, ad quos etiam ante nos verbum ipſum dei peruenit, & cùm quibus nos in eccleſiam catholicam conſeuit, vnum ſemper atque idem in religione profeſſi ſimus,& vnum ſupremum Pontificem Rom. caput Epiſcoporum omnium catholicorum habuerimus, & reliquos etiam, qui ab vno illo,quàmplurimi ad nos quotidie mittuntur,præsbyteros & paſtores noſtros, ſui ſemper ſimiles eſſe, re ipſa experti ſimus; non qui aliud ſcilicet atque aliud docuerint, non qui, modò hoc, modò illud arripuerint, ſed qui ſemper idem illud vnum atque ſimplex, quod ſemel, iam inde à ſuſcepta chriſtiana religione, in ſingulis orbis imperiis poſitum fuit, ac conſtitutum, hucusque cuſtodierint, & ad nos transmiſerint. Cùm hæc,inquam,omnia ita ſe habeāt, eſt ſanè quod nobis, omnes in vniuerſum, de veritate iſta eccleſiæ gratulemur, & ſtatu atque conditione noſtra præ cæteris omnibus contenti,à nouis quaſi quærendis aſſiduè ſedibus abſtineamus. Contrà autē, cùm hæreticos omnes, ab eiuſmodi vnitate non ſolùm exulare & abeſſe,ſed etiam refugere,& omninò abhorrere videamus; cùm eos, inquā, in eodem vitæ ac doctrinæ ſtatu nunquam permanere, ſed indies ad alia atque alia, & quidem ſemper deteriora, cōmigrare aſſiduè cernamus, eſt profectò cur eorum ſectas omnes, omni interpoſita execratione deteſtari, eſt,cur eorum crudelitatem tantam, equis, quod dicitur, & velis auerſari debeamus; qui,dum corpus Chriſti myſticū, quod ipſe vnum eſſe voluit, ſecare per ſummum ſcelus ac lacerare non verentur,quid dicam? barbarum mihi ſanè ipſum & immanem Pilati militem videntur prorſus immanitate ipſa ſua ſuperare; qui miles nō ſolùm Chriſti mortui crura ipſe non fregit, ſed etiam de vna illa inconſutili ipſius tunica ſortiri maluit, quàm eam in multas partes diſcindendo,

 Sanctitas ecclesiæ.

dendo, reddere ad vsum inhabilem planè & ineptam. Et erit quisquam, qui se tantæ ipsorum crudelitati aut socium adiungere, aut administrum præbere sustineat? Sed mittamus crudelitatem, incertitudinem ipsam expendamus, quæ varietatem illam doctrinarum necessariò semper consequitur. Eritné quisquam, quæso, qui dubitet, vnum potius tutò consectari, quod semper certum est, quàm multa anxiè hinc inde aucupetur, quæ sæpenumero omnia sunt incerta, nec habent ferè quicquam, quod nostrum animum in constanti aliqua ac definita veritatis ratione possit collocare? Nimirum ipsæ etiam cænæ lautæ atque opiparæ, dubiæ ex eo sunt appellatæ, quòd in iis necessariò dubitare oporteat, quid sumas potissimum. Nota & peruulgata loquimur. Quid illud in comœdia? Dic Crito, inquit. Dic Hegio, Dic Cratine. Quasi tu dicas. Dic Zuingli, Dic Lutere, Dic Caluine. Quid tum postea? Incertior, inquit, multo sum quàm dudum. Sed relinquamus comœdias quoq. & ad seria veniamus. Martha Martha, inquit seruator noster, solicita es, & multitudine ipsa negociorum obrueris. Vnum, vnum est necessarium, inquit, non tibi Martha solùm, sed etiã meis omnibus. Quódnam autem, ô domine, vnum? Vnum, inquit Dauid, petii « à domino, idipsum requiram. Quid illud? Vt habitem, ait, « omnibus diebus vitæ meæ in domo domini: quæ est illa, « de qua loquimur, ecclesia vna. O vocem, omnibus Christianis vsurpandam, nec sermone magis quàm factorum imitatione.

CAP. IIII.

Sanctitas ecclesiæ catholicæ.

Alterum saxum fundamenti ecclesiastici est Sanctitas.
Ea in ecclesia catholica est sexcuplex.
I. *Cùm in filios dei adoptamur.*

2. *Cùm à sceleribus nos abstinemus.*
3. *Cùm mores sanctos sanctorum maiorum nostrorum imitamur.*
Quod quidem nunc in nobis minus conspicitur, culpa hæreticorum.
4. *Cùm si quid contra bonos mores deliquimus, pœnitentia eluimus.*
5. *Cùm publico ecclesiæ suffragio in sanctorũ numerum referimur.*
6. *Cùm nos à tot hæresibus & tantis strenuè vindicamus.*



VErùm eadem hæc ipsa vna ecclesia, illam etiam habet alteram interiorem notam, quòd non solùm vna est, vt diximus, sed, quod modò dicturi pariter & ostensuri sumus, SANCTA etiam & est, & ita dicitur. Ex quo sanè est illud Pauli. Christus dilexit ecclesiam, " inquit, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctifica- " ret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, & exhibe- " ret sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut " rugã, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit SANCTA & immacu- " lata. Sancta, dico: non ita quidem, vt nos qui in ea versamur, non quotidie, dum hic sumus, Deo dicere necesse habeamus, Dimitte nobis debita nostra; cùm natura ipsa omnes ad vnum deprauati simus; sed ita potius, vt primùm, singulari Dei Opt. benignitate præoccupati, & ex illis, in quibus antea fuimus, naturæ prauitatibus erepti, ac in gratiam adoptionis filiorum dei admissi ac recepti, & ipsi quidem filii dei nominemur ac simus, & Deum quoq. ipsum patrem nostrum appellare minimè dubitemus. Quæ res, fons veluti quidam est totius sanctitatis nostræ, atq. adeò prima sanctitas ipsa nostra: quando ex radice sancta, non nisi rami sancti, & omninò ex sancto ipso, nihil nisi sanctum proficisci posse videatur. Atque ea sanè sanctitas, quemadmodum superioribus verbis Diuus Paulus innuit, ad baptismi sancti fontem sanctissimum, & conferri in nos, & quasi imago quædam diuina mentibus nostris insculpi solet. Quam deinde cœlestem imaginem, sic mentibus no-

Sanctitas ecclesiæ.

bus nostris impressam, quoniam noua quotidie labe, ac vitio nostro, in nobis deformamus, noua item sanctitate nostra, quasi recentibus quibusdam coloribus, euanescentem, quotidie renouare necesse habemus. Qua sanctitate? vt videlicet, quantum maximè fieri potest, aut à flagitiis nos prorsus abstineamus, aut verò remissionem eorum assiduè flagitemus, & vetus illud carmen nostrum quàmsæpissimè vsurpemus. O cœli pater, ô deus ætheris, remitte nobis tuis liberis commissa nostra, sicut & nos fratribus vicissim nostris omnia condonare solemus, quæ in nos cõmiserunt. Vt ita liberati à peccato, in ea sanctitate viuamus, quæ est immunitas quædam scelerum ac vitiorum, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. In hoc enim propemodum vno, omnis sanctitatis illius, quam in hac vita consectamur, perfectio, videtur esse interdum constituta; vt quemadmodum stultitia caruisse, vel præcipuum sapientiæ caput est, ita vitio vacare, animumque nulla sceleris fœditate deformatum gerere, principis cuiusdam virtutis ac integritatis instar obtineat. Quæ est iam secunda quasi sanctitas nostra. De qua est Dauidicum illud. Pro hac, inquit, peccatorum suorum remissione, orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Atque ab hoc quidem vtroq. sanctitatis genere procul abesse necesse est, primùm ethnicorum & infidelium genus omne; neque enim dat, neque dedit Deus eam potestatem, vt filii dei fieri possint, infidelium cuiquam; qui scilicet, cùm insitas illas naturæ suæ sordes atq. prauitates, & quæ inde proficiscuntur peccata, aduersus legis ipsius diuinæ ordinem atque rationem non agnoscant, profectò non modò remitti sibi peccata nõ postulant, sed illud etiam intra se audent dicere. Mundum est cor meum, purus sum à peccato. Quod cùm faciunt, vt se nullis esse flagitiis immersos existiment, fit, vt nec emergere sanè magnopere studeant ex illa voragine vitiorum, & nouo prætεrea mendacii atque arrogantiæ

„ scelere se obstringant. Si enim dixerimus peccato nos va-
„ cuos esse, mendaces sumus, ait ille. Deinde autem si id faciamus, tum verò non modò vlla sanctitas in nobis non
„ est, sed ne veritas ipsa quidem. ait idem iste. Absunt item ab hoc vtroque sanctitatis genere, vita ipsa improbi Christiani illi, qui cùm non dimittant ipsi fratribus ex animo, noxas atque offensiones contractas, certè & filii Dei esse
„ non possunt, (Diligendi enim sunt etiam inimici, iis qui fi-
„ lii patris cœlestis esse cupiunt) & sibi ipsis ad eundem illum modum dimitti, ad quem malè dimittant ipsi, postulare à Deo non audent: idque, ne sibi ipsis mulctam vltrò irrogare videantur. Non audent autem, ergo ne postulant quidem. Gratia autem profectò huius sanctitatis, non est ferè ex eo genere, quod sic gratuitò concedi soleat: sed si inuenitur, non inuenitur nisi à quærente: si patet, non patet nisi pulsanti: si datur, non datur nisi supplicanti. Longissimè autem omnium abesse ab iis duabus sanctitatibus videntur hæretici, qui nec Deum habere patrem possunt, cùm ecclesiam matrem non habeant, & vt maximè eodẽ illo vtantur deprecationis genere, quod est de debitis nostris remittendis, nihil tamen planè ex eo vtilitatis referũt, homines speciem quidem pietatis habentes, et blandis sermonibus tum seipsos fallentes, tum animos hominum innocentium seducentes: fructu autem ac vtilitate veræ pietatis prorsus destituti. Hi enim cùm ecclesiæ sanctitatem verbo duntaxat fateantur, animo fideli nunquam amplectantur, fit, vt neque vllam cum sanctis communionem habere, neque vllam planè à nexibus suorum peccatorum solutionem, quæ duo egregia munera extra fidem & amplexum ecclesiæ sanctæ, neque dantur, neque accipiuntur, possint vnquam obtinere. Vt non immeritò quidem, in ipso quoque illo, fidei ac religionis nostræ symbolo, non nisi post sanctæ demum ecclesiæ catholicæ professionem, professio ipsa & sanctorum communionis, & remissionis

 Sanctitas ecclesiæ.

ipsius scelerum ac flagitiorum nostrorum fieri videatur. Et hæc quidem illi, infideles, improbi, factiosi homines. Nos verò contrà, qui ecclesiam sanctam credimus, quique studio illi & amore adhærescimus, laudem profectò nostram in ecclesia sanctorum obtinemus; & beati quidem sumus, peccatis vacui ac soluti. Beatos enim scriptura pronunciat, quorum remissæ sunt iniquitates. & hoc ipso sancti etiam sumus; sic, vt cum Dauide tutò possimus dicere. Custodi me domine quoniam sanctus sum. Et illud. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Ita duas iam esse ostendimus sanctitates catholicorum præ hæreticis; vnam quidem illam, quòd eius, qui solus verè sanctus est, dei filii simus, in Christo Iesu ita adoptati, vt semen quasi quoddam ac genus ipsum diuinũ facti esse videamur; alteram autem, quòd fide & communione ecclesiæ ipsius sanctæ, quæ mater nostra est, tum à vitio immunes, tum eorum quoque bonorum, quæ sunt virorum sanctorum propria, consortes simus. Sic quidem, vt prior illa nostra sanctitas, quæ est filiorum dei, paternæ quasi hæreditatis sit, hæc posterior, quæ est scelerum immunitatis, sit maternæ. (cuius tamen vtriusque ea est ratio, vt quemadmodum patrem Deum sine matre ecclesia, habere non possumus, ita priorem quoque hæreditatem illam, citra posteriorem istam, tenere non posse videamur) Ex quibus vtrisque sanctitatibus istis, tertia porrò sanctitas, de qua mox dicturi sumus, efflorescit, omnibus iis reapse inhærens, qui ex semine illo dei immortalis concepti, in sanctæ matris ecclesiæ vtero efformantur: & quorum vita moresque casti atque integri, non solùm eos ornant, in quibus sunt, sed etiam ecclesiam illam, in qua ipsi versantur. Quod quidem iam est apertum atq. populare sanctitatis genus. In hac igitur veræ & adulterinæ ecclesiæ comparatione, conferamus vtrinque hoc ipsum tertium genus sanctitatis, & quidem modo atque ratione popula-

ri, & videamus vtra vtri ecclesia antecellat, morum ipsorum sanctorum castitate; vt ita facilius cognoscamus, ab vtra potius stare debeamus. Ac primùm quidem nostra hæc, de qua loquimur, ecclesia, sanctos habuit & auctores, & propagatores doctrinæ suæ, sanctum Iesum Christum, Deum & Dei vnigenã filium, sanctos apostolos, sanctos euangelistas, sanctos pastores, & doctores, sanctos martyres, sanctos confessores, sanctas virgines & viduas, sanctos. Atque hic me porrò pergere cupientem, morosulus nescio quis ex istis, in ipso huius sermonis mei initio, protinus interpellat, nec vlterius progredi patitur. Heus tu, inquit. Quid ais? Nostríne tibi quoque alios edere videntur doctrinarum suarum & propagatores & auctores? Quid? nónne ab eisdem profectos se esse dicunt? Dicunt, dicunt; & quidem ipsis mirificè commentum id placet; at mihi quidem, inquam, nescio quomodo non fit verisimile. Agè enim, quænám fuit doctrina nostrorũ illorum? eadem profectò quæ vita. Quæ vita autem? eadem nimirum quæ doctrina. Quæ autem & vita & doctrina simul? Quid verbis opus est? Ea sanè illorum & vita fuit & doctrina, quæ hæreticorum istorum tuorum nec fuit vnquã, nec deinceps est futura. Nam & aliter profectò illi viuebant, ac viuunt isti; & aliud planè doctrinæ genus secum afferebant, quàm isti obtrudunt auditoribus suis. Quod quidem ita hoc tempore positum, paulò pòst erit manifestum. Cuius igitur frontis est, eos velle perhiberi auctores tuos, à quibus tu omni ratione dissentias? & quos tu nec vita exprimas, nec ipso doctrinæ genere referas aut repræsentes, eos velle videri & vita & doctrina sua præluxisse tibi? Parum dico. illud igitur potius. Quorum tu vitæ ac doctrinæ, vitam planè afferas & doctrinam contrariam, iis acceptam ferre velle vitam & doctrinam tuam, quæ est ista diuis iratæ frontis tanta impudentia? Dicet idem ille mihi. Vos autem quos esse vos dicitis? Dicam paulò pòst.

Sed vos

Sanctitas ecclesiæ.

Sed vos ante omnia cum illis ecclesiæ nostræ sanctis hominibus comparabo. Equidem sunt in manibus hominũ, vitæ sanctorum illorum nostrorum, ab eruditis hominibus conscriptæ, & deinde in aliquot etiam linguas alienas de aliis transfusæ. Cedò, quid vitam illorum fuisse existimas? Num insaniam? Sic quidem censent væsani illi, qui eos quondam, dum hanc vitam viuerent, oppressos tenebant, & labores scilicet eorum, vt scriptura loquitur, auferebant. Sed vos, qui istis sanctiores videri vultis, quid illam eorum vitam fuisse censetis? quam illi in assiduis precibus, in vigiliis perpetuis, in ieiuniis quotidianis obeundis, in eremo, & locis solitariis ac desertis incolendis, in paupertate, in rebus duris & asperis, in ipsa nõ tantum voluptatum extraordinariarum, sed etiam in cibi & somni legitimi atque quotidiani abstinentia summa, in castitate, in sobrietate, in mansuetudine, in humilitate, in patientia, corpori planè ipsi non tantum non indulgendo, sed etiam illud cinere, cilicio coërcendo, flagro, humicubatione castigando, & ad summam maciem adducendo, posuerunt? cùm ea quidem, quæ vulgus maximè vel odisset, vel reformidaret, maximè appeterent: quæ contrà amaret ille & miraretur, ea summopere fugerent ac vitarent? Quid censetis, quid censetis? Hei mihi, qui frustra quærendo tempus tero. Quid est in his vestri simile? aut contrà, quid est in vobis omnibus, quod huic aliqua ex parte simile videri queat? Dicite, dicite, si potestis. Sed non potestis. Itaque vos quoque, item vt cæteri, vitam hanc eorum insaniam non vocare non potestis. ego contrà, nihil aliud hoc tempore quàm vestræ dissimilem dicere necesse habeo. Cuius autem similem? nescio. Illud scio, multos me, nec obscuri quidem nominis cognouisse viros, qui his ipsis sanctorum legendis vitis, non se omninò ad vos à nobis, non, inquam, à nobis ad vos, sed contrà, à vobis ad nos; ad nos, ad nos, dico, à vobis contulerunt; vt eandem scilicet vitam il-

Sanctitas ecclesiæ.

tam illam, quam olim inter nostros, à viris illis grauissimis sanctissimè actam, & legissent, & adamassent, & cuius inter vos ne vestigium quidem reperiebant vllum, possent ad aliquem vtique modum inter nos æmulari. Qui mihi sanè soli, hoc ipso facto suo, grauissimum contra vos testimonium ferre, maximumque adeò causæ vestræ præiudicium facere videntur, frustra vos his vitæ ac doctrinæ vestræ auctoribus gloriari, cum quibus non vitam, non doctrinam, non, quod pace vestra dixerim, oris saltem aut vultus habitum ipsum, communem habeatis. Quin & illud affirmare ausim, tam diuersum vitæ genus propositum habuisse sanctos illos, ab isto vitæ genere, quod vos sectari videmini, vt, si vos modò aliquando illas eorum vitas, vel per speciem tantum & simulationem legere, easque cum vestris istis moribus aliqua saltem ex parte conferre contingat, nimirum vestræ vos ecclesiæ, vestræ vitæ, vestræ doctrinæ, vestrorum istorum morum alienissimorum, vehementer pudere, vt leuissimè dicam, ac pigere necesse sit; si quis modò pudori locus apud eos relictus videri potest, qui non solùm re ipsa vitam sequuntur profligatam, (quod etiam interdum nonnulla ex parte faciunt ii, qui nihilominus tamen permanent in ecclesia vera) sed etiam ipso doctrinæ suæ genere, eam vitam, quæ esset aliqua ex parte cum honestate coniuncta, iampridem in vniuersum & voce & scripto ipso profligarunt. Quod si quis tamen vestrum aliusmodi est, quàm vt frontem planè perdidisse videatur, is sanè legens illa, quæ de vitis sanctorum conscripta sunt, & rem ipsam secum penitius considerans, non dubito, quin, vbi eum prioris vitæ pœnitere inceperit, omnem morum ac studiorum suorum emendationem, atque ad vitam illam sanctorum illorum, de quibus diximus, conformationem, ab ipsa statim auspicaturus sit reditione sua ad ecclesiam nostram. Quod quidem ipsum, omnium eorum quæ dico, magnum abunde indicium est:

in sola

Sanctitas ecclesiæ.

in sola videlicet ecclesia nostra sanctos esse, eos autem ad vos nihil omninò pertinere. Non est igitur, non est, quod vestris impiis ac nefariis factionibus, nomina virorũ sanctissimorum frustra prætexatis. Nostræ enim huius ecclesiæ catholicæ, sine controuersia, non vestrarum priuatarum synagogarum, sancti illi viri fuerunt proculdubio & auctores, & fundatores. Quos etiam ipsos qui deinde posterioribus temporibus in eadẽ ecclesia nostra secuti sunt, pastores & doctores, etsi tanta fortassis sanctitatis, operumúe illorum admirandorum opinione non claruerunt, non minus tamen quàm primi illi, sanctitatis & pietatis eiusdem præcones atq. internuncii fuerunt: nec minus populum, primùm ad superioris, per scelus & flagitium actæ vitæ, tum detestationem ac pœnitentiam, tum etiam oratione, eleemosyna, ieiunio, cinere, cilicio, expiationem vocauerunt; deinde verò in posterum, ad sanctioris vitæ studium, quod est in ipsa temperantia, obedientia, iustitia, charitate, liberalitate, diuini numinis inuocatione, malorum tolerantia, rerum denique humanarum contemptione, & breuiter in insigni quadam atque præcipua erga deum & homines pietate, constitutum, pellexerunt; seipsos etiam ad eandem vitæ regulam, quantum maximè potuerunt, componere studuerunt; aut si quid ab ea, in hac carnis infirmitate, & temporum corruptela, aberrauerant, vt non tam facilè interdum quàm optarent, à corporis consuetudine abducere se potuerint, tum seipsos sanè & accusauerunt, & errorum eiusmodi pœnitere ostenderunt; quæ omnia ne nunc quidem facere pro parte sua virili destiterunt. De magistris loquor. Quid porrò eorum auditores? Non repetam vetera illa & meliora tempora, quorũ exemplis etiam de scripto recitandis, ætas me propemodũ deficeret. Illud dico, qui proximè Luteri tempora præcesserunt, maiores nostros ex omni gente & natione, quæ sub cœlo est, tantam erga superiores reuerentiam præ se

tulisse, tanta clementia & humanitate erga inferiores vsos esse, ita fidem, veritatem, dictorum factorumque constantiam, ita iustitiam, liberalitatem, continentiam, modestiam, & reliquas eiusmodi virtutes, ex sacris illorum temporum contionibus haustas, cum æqualibus coluisse, vt nos, qui à nouis scilicet magistris istis, nouum quoddam sanctioris pietatis & religionis genus nuper haurire cœpimus, ne conferre quidem ipsis audeamus. Dicite enim populares, prò diuûm atque hominum fidem. Et certè aut dicendum tandem aliquando liberè, aut saltem verè & ex animo inquirendum est. Quid inquiremus, aut quid dicemus? Dicite prò diuûm atque hominum fidem, vbi nunc est prisca illa maiorum nostrorum integritas, pietas, innocentia, veritas, & quam iam etiam in vitio scilicet ponimus, simplicitas? Fontes mihi mehercule ipsi earum rerum cum religione vnâ, non tam exaruisse, quàm in contrarios liquores degenerauisse videntur. Vestram hic patrum auorumque nostrorum memoriam appello. Si fallo, venite, & quantum libet vanitatem orationis huius meæ impunè redarguite. Vestram etiam, ô optimorum illorum virorum non pessimi filii & nepotes, conscientiam obtestor, vt si ea quæ dico, verissima esse agnoscitis, tum & orationem quidem meam adiuuetis, & maiorum præterea vestrorum virtuti debitum testimonium reddatis; &, quod maximum est, vos ipsos primùm, deinde etiam nos vobiscum, qui omnes sumus eorum posteri, ex periculosissimo isto nequitiæ itinere, quod simul cum impia ac scelerata religione, iampridem videmur esse ingressi, aliquando pro officio naturaque & ingenio vestro, ad priscam illam & auitam maiorum nostrorum catholicorum hominum pietatem, & vitæ sanctimoniam reuocetis. Quam nos quidem sanctimoniam si factis ipsis nostris exprimere satis nõ poterimus, in sæculo hoc tam corrupto, & moribus antiquis tam obsoletis, at idipsum tamẽ dolore primùm nostro, quan-

Sanctitas ecclesiæ.

ſtro, quantum maximè poterimus, proſequemur, deinde confeſſione etiam ipſa deformatæ, & cùm à diuinis ipſis præceptis nõ leuiter deflexæ, tum à vita maiorum noſtrorum, planè degeneris vitæ noſtræ, ſponte apud tribunal ſacerdotis edita, ſarcire vtcumque ſtudebimus. Quæ eſt quarta quaſi quædam ſpecies noſtræ ſanctitatis. Papiſticũ eſſe, inquies. Metuebam, ne hæreticum aut lenonium diceres. Ego verò inter cætera, hoc quoq. eſſe ſtatuo diſcrimen catholicæ pietatis ab hæretica ſimulatione, plenum coniecturæ in optimam partem non obſcuræ, primùm de ſanctitate, deinde etiam de veritate eccleſiæ noſtræ præ hæreticorum ſynagoga. Quodnám illud quæſo? Hoc planè, quod aut aliqua ex parte dixi iam, aut etiam planius nunc dicam, quòd, etſi vtrique ſanè noſtrum, tam catholici quàm hæretici, in multis quotidie offendamus, alteri tamen errata ipſa noſtra, verbis quàmmaximè efficacibus, ex ſummo doloris & acerbitatis ſenſu depromptis, ipſoq. adeò verecundiæ bono exornatis, per ſingula erratorum noſtrorum nomina diuagantes, non apud deum tantum, ſed etiam apud hominem ſacerdotem, & illum quidem nõ minus interdum, quàm nos ipſos, per eadem illa omnia tẽtatum, volentes profitemur; hæretici autem in hoc toto genere, principiò aut nullum, aut perquam frigidum adhibent orationis genus, (aut enim ſcelera ſua nunquam apud ſacerdotem cõmemorant, aut verò generalitate modò ipſorum commemoranda, per ſpeciem duntaxat defunguntur, formas ſingulas & periſtaſes delictorum nullas perſequuntur) deinde autem, quod grauius eſt, & ab omni ſanctitatis genere quàmmaximè alienum, mala ſua, bona ferè vulgo videri faciunt; & quæ vel maximè omnium tegere, ac ſummo proſequi dolore debuerunt, ea & palàm præ ſe ferre, & in ſumma denique ſua laude ponere, præpoſteri homines non verentur. Exaudire enim paſſim licet illas ſanctiſſimorum ſcilicet iſtorum virorum glorio-

ſas nequitias, vel potius ex nequitia gloriationes, ipſis etiã profaniſſimis atque adeò perditiſſimis hominibus, vix, ac ne vix quidem conceſſas; dum ſe ſacra de templis ſigna, magno animo ſuſtuliſſe, dum ſacramenta & myſteria religionis noſtræ, tum numero imminuiſſe, tum dignitate ipſa ſpoliauiſſe, dum ieiunia, cilicia, ſcelerum confeſſiones ſimul & expiationes, in malam rem abire iuſſiſſe, dum vota caſtitatis & continentiæ, de ſuis contuberniis proſcripſiſſe, dum veritatem corporis Chriſti in pane & vino ſacramentali, penitus abnegaſſe, dum ſanctos dei homines, ipſumque adeò ſanctum ſanctorum Ieſum Chriſtum, non tam in ordinem, quàm infra omnem ordinem cóègiſſe, audaciſſimè gloriantur. O mores, ô tempora. Bonarũ mentium eſſe aiunt, ibi timere culpam, vbi nulla etiam ſubſit culpa: qualium igitur mentium eſſe dicemus, ibi nullam timere, vbi vigeat maxima? Acute & ſubtiliter concluſum eſſe aiunt. Quid igitur ſi ἀμαθέστερον aliquid κὶ σαφέστερον afferamus, & ſanctam apud nos eſſe eccleſiam, rudius ſed planius oſtendamus? Certum eſt igitur, quotquot vnquam in omni ætatum ac temporum decurſu, ſancti facti, & in diuorum numerum, ad hominum opinionem relati ſunt & conſecrati, in hac ſola eccleſia noſtra ſanctos factos, & in diuorum numerum relatos ac conſecratos eſſe; quod planè in hæreticorum ſynagogis, non modò nulli hominum factum per hæc tempora, ſed ne tentatum quidem eſſe ſcimus. An enim exiſtimamus Hyacinthos noſtros, Simones noſtros, Cantios noſtros, Caſimiros noſtros, Adalbertos noſtros, ipſum, ipſum illũ cuſtodem & patronum huius imperii Staniſlaum Scepanæum, ex hæreticorum iſtorum potius ſynagoga, quàm ex noſtra catholica Romana diſciplina, ad ſanctitatis iſtius opinionem profluxiſſe? vt eorũ ſanctiſſima memoria, tanta hominum veneratione in eccleſia vigeat & celebretur? vt eorum ſepulchra ac monumenta glorioſiſſima, ab vniuerſo Septentrione, ſumma cũ

deuotione

Sanctitas ecclesiæ.

deuotione & pietate visitentur? vt ossa ac reliquiæ eorum beatissimæ, maxima populi religione, & teneantur & colantur? Equidem facit hoc ecclesiæ sanctæ nostræ iudicium, vt illis, qui cum pietate singulari hic vixerunt, quique se, vel sanctis, vel admirandis editis operibus, sanctos & deo amicos, dum viuerent, probauerunt, diuorum & sanctorum appellationem tribuat, memoriasque eorum, tum festis diebus institutis, tum templis Deo ipsi, sub inuocatione nominis eorum, extructis & exædificatis, celebrari iubeat. Quod ipsum etiam pro quinta sanctitatis specie, non abstrusa aut recondita, sed planè visibili iam & oculis subiecta, potest in ecclesia nostra numerari. Et quoniam longiusculè in his sanctitatibus persequendis progressi sumus, agè addamus quàmbreuissime sextam illam, si lubet, ecclesiæ sanctitatem, quæ iam non tam ad vitæ integritatem atque innocentiam, quàm ad maiorem nescio quam dignitatem atque maiestatem pertinet: quòd vcrè ecclesia hæc nostra maximè se stabilem atq. firmam præstet ad omnem posteritatem, sic vt & specie quidem ipsa sua hæreticorum omnium oculos præstinguat, & maiestate ipsa, ab ipsis etiam, si dicere fas est, inferorum portis, nauiter se tueatur. Quo quidem loco repetenda sanè nobis esset memoria, tot & tam diuersarum acierum aduersus eam instructarum, dolis, minis, suppliciis, cædibus, ingeniis, simulationibus, technis, artibus, disputationibus: quas tamen illa omnes acies tam horribiles, & tam sibi infestas, facilè perrupit & prostrauit, illa ipsa, quam dudum dixi, vitæ sanctimonia, & quam nunc dico, quadam veneranda maiestate: qua se in hunc vsque diem ita sustinet, æternumque sustinebit, vt non modò deleri, sed ne lædi quidem à quoquam posse videatur. Sed de hoc, alio loco fusius loquemur. Cùm igitur tot tantarum sanctitatũ genera in nostra ecclesia vigere per dei gratiam videamus, partim, quæ ad adoptionem filiorum dei pertineant, par-

tim, quæ aut in immunitate quadam, vel saltem in liberatione ipsa à peccatis, aut in honestissimarum ipsarum actionum studio, aut in ipso denique pœnitentiæ sanctæ vsu, posita sint & constituta, partim autem quæ ex publica illa & solenni virorum præstantium consecratione dependeant, quæúe ad singularem quandam stabilitatem atq. firmitatem ipsius referantur: liquet sanè, vt opinor, ecclesiam nostram, quæ vna tot in se sanctitates verissimas cõplexa sit, sanctam ipsam iure optimo & esse, & dici oportere. Hactenus de nobis.

CAP. V.

Prauitas hæreticorum.

Sanctitas omnis apud hæreticos, cum catholicorum cõcionibus est proscripta.

Neq. igitur auditores hæreticorũ in diuorũ numerum referuntur.

Neq. magistri ipsi, non multò spurciorem & vitam præseferunt, & doctrinam profitentur.

Lutheri & aliorum, de euangelicorum vita profligatissima, testimonium.

An verum sit, à catholicis æque peccari atque ab hæreticis.

Hæretici ob vitam moresq; nostros, nullam discessionis à nobis causam habuerunt.

Hæreticorum vitam, nostra esse multò laxiorem, ostenditur: tum in sacerdotum ipsorum coniugio, tum in calice populari, tum in vulgaribus sacris.

Hæreticorum ferè culpa fieri, si quid in moribus catholicorum desideretur.

Hæreticos, quia charitate carent, ne vitæ quidem honestatem rectè tueri posse.

Ecclesiam, quæ est charitatis domicilium, cùm oderunt hæretici, ne charitatem quidem habere posse videntur.

Ecclesiæ igitur sanctitatem amplectamur, hæreticorum prauitatem fugiamus.

Cæterum

 Prauitas hæreticor.


CÆterum quod ad hæreticos attinet, illud iam ne ipsi quidem inficias iuerint, quòd in summis illis clamoribus ipsorum, qui assiduè fidem veram, qui religionem puram, qui expressum verbum domini, qui denique certam Dei gratiam atque solidam iactare non desistunt, nec maiorem, vt leuissimè dicam, tum obedientiam inferiorum erga superiores, tum clementiam superiorum erga inferiores, quàm olim fuerit: nec maiorem passim omnium cõtinentiam, castitatem, sobrietatem, pudorem, officium, nec maiorem planè vitiorum fugam, nec crebriorem percipiendorum sacramentorum frequentationem, nec omninò ampliorem aut vberiorem, tum harum, tum reliquarum virtutum prouentum, liceat apud eos inuenire, præut paulò antè inter nos inueniebantur. Fatendum enim est, virtutes illas, quæ pridem inter nos egregiè viguerunt, simul vt nouorum istorum dogmatum, veluti quidam licentiæ discus increpuit, omnes propemodum, quod dolenter quidem, sed tamen verè dicimus, ex ipso quasi terrarum orbe emigrasse, & simul cum catholicorum cõcionatorum voce, esse consepultas. Nam, vt interim dicere omittam, de iis, quæ in eorum locum successerunt, & de iis incipiam, quæ doceant & ostendant, nomen etiã ipsum sanctitatis, de qua loquimur, verbo fortassis interdum ab istis, quasi per ludum vsurpari, re nunquam ne affectari quidem. Agè, quotusquisque obsecro, per totum hoc noui euangelii tempus, in vniuerso illo grege inuentus est, qui ob vitam honestè, & cum pietate actam, in diuorum numerum sit relatus, & ad hominum opinionem sit consecratus? imò quotusquisque inter eos est, qui hoc ipsum sic, sanctè, vt opinor, & religiosè effatum, non effusissimo statim risu & cachinno excipiat atque prosequatur? Vsq. adeò omnis cœlo digna vita, ab istorum cõtuberniis exulat, vt etiam ludibriis ipsorum subiecta tota atque obnoxia sit

xia ſit facta. De communi hominum genere loquor. Quid dicam de magiſtris ipſis? Equidem ſi eorum ſanctimoniam pauliſper ſcrutari voluerimus, comperiemus magnam eorum partem à rapina, à cæde, à periurio; maximam à crapula, à luſtris, à vino, à venere, ab ocio, ab alea; breuiter ab omni carnis laſciuia, ad eiuſdemmodi porrò vitam conſectandam, & tum ſibi, tum aliis propemodum commendandam prorepſiſſe. Nimirum illi, qui magna ex parte fidem omni virtute ſpoliant, & ſolam abſque vllo ſanctarum actionum comitatu, in vitam hominum, tanquã in ſcenam introducunt, quique adeò nullam in ſeipſis ſolidæ aut expreſſæ virtutis effigiem, ſed imaginem duntaxat fictæ & adumbratæ, &, vt ipſi loquuntur, imputatæ cuiuſdam iuſtitiæ agnoſcunt; eam demum magnam ſcilicet voluptatem eſſe ducunt, æqualem ac parem verbis vitam agere, moribuſque viciſſim ipſis orationem tanquam cothurnum accommodare; nec ferè quicquam in vita ſua tam diſſolutum putare, quod non ex intimis ipſis profeſſionis ſuæ viſceribus ac medullis deprompta doctrina tueantur. Videlicet nec qui ita viuunt, aliter loqui poſſunt, nec qui ſermone vtuntur tam illoto, vita honeſtiores ſunt. Itaque ergo eius vitæ quam ſequuntur, non ſolùm eos aut pudere, aut pœnitere non poteſt, ſed, ſi modò ſibi conſentanei eſſe velint, ne debet quidem; gloriandum iis potius fuerit, vti quidem gloriari verè poſſunt, quòd & doctrinæ ſuæ conuenienter viuant, & vitæ ipſi ac moribus ſuis aptè admodum ac congruenter doceant; cùm pro caſtitate inceſtas nuptias, pro contemptu diuitiarum, ſacrilegia & rapinas, luxum pro ieiunio profitentur; cùm pro obedientia & ſubiectione aduerſus magiſtratus, populum ad tumultum & perduellionem concitant, cùm claſſicum paſſim belli ciuilis canunt, cùm omnes honeſtas & laudabiles actiones eleuant, & tantum non ex vita hominum exterminant, & proſcribunt, cùm ad omnem nequitiam & impudentiam

dentiam fenestram aperiunt, non solùm præcisa, & vltra ferè medium resecta honestæ vitæ prædicatione, quæ apud eos, remota & eiecta meriti ratione, necessariò friget, verùmetiam, sublata prorsus è medio, vt diximus, vitæ intemperantioris pœnitentia, atque adeò confessione saltem ipsa, quæ vel sola, dum in ecclesia publicè obseruata est, multos à scelere & flagitio potuit cohibere; breuiter, cùm non virtutes colere, sed, vt dixit quidam, vitia colorare, non ecclesiam Christi regere, sed Sathanæ synagogam instituere, atque adeò non religionem aut pietatem docere, sed ipsum terrarum orbem, quemadmodum videmus, stupro, nequitia, crapula, periurio, fraude, flagitio, imbuere videri possunt. Homines arrogantia inflati, supercilio tumidi, dolo instructi, maledicentia armati, libidine incensi, ambitione cæci, inuidia enecti, auaritia infames, amentia præcipites; omninò autem qui optimi eorum sunt, aut Gnathones, aut certè Thrasones meri. Atqui initio quidem, cùm primùm ad hanc suam, verbo religionem, re ipsa omnis nequitiæ officinam accederent, ecclesiam se ipsam vomicis istis perpurgaturos profitebantur; vbi accesserunt, omnia tetrioribus etiam quàm antea & multò periculosioribus vomicis atque vlceribus, scientes ac volentes pròh dolor compleuerunt; hancq́ue adeò, & non aliam, magnificorum illorum promissorum suorum fidem, deoq́ue, ecclesiæq́ue, nobisq́ue ipsis datam, homines fraudulenti exoluerunt. Verùm ex his malis quæ postea consecuta sunt, facilè quid iam tum cum animis suis meditari videbantur, perspici ac cognosci potest; nimirũ ne tunc quidem aliud eos quicquam cogitasse palàm est, quàm vt virtutis quidem neruos omnes eliderent, pro virtutibus autem, regnum quasi quoddam scelerum ac vitiorum in orbe terrarum erigerent. O mores virorum. O doctrinam philosophorum. Atqui ad eam tamen eiusmodi magistrorum, vel, vt ipsi appellari amant, Ministrorum do-

ctrinam, video plerosque etiam Ministrastros ipsos, dociliores se, penè plus quàm sat erat, præbuisse. Quis enim vnquam eorum, (qui tamen omnes, vniuersis ipsis Ministris suis meliores, pudentiores, virtutis amantiores sunt) quis, inquam, illorum, non dico, vt dicere cæperam, aliquam inter homines sancti viri opinionem est consecutus? illud tantum quæro, quis illorum interim fortior, iustior, pientior, liberalior, continentior, veracior, simplicior, ab ea doctrina est factus? quis non potius iniustior, impudentior, rapacior, dissolutior, mendacior, versutior? & omninò, quid quidã vir litteratissimus scripto ipso suo testatum iampridem facere ad perpetuitatem non dubitauit, non seipso deterior? Quod quidem vsque adeò notum ac peruulgatum, primis etiam illis temporibus extitit, vt ipse quoque ille Luterus, ne quid nos fingere videamur, qui primus eum nequitiæ ludum aperire, vel, vt modò dixi, regnum vitiorum stabilire cæperat, non multò pòst, ipsa exorientium iam tum flagitiorum copia atque magnitudine commotus, & tanquam victus veritate, queri alicubi in suis scriptis non dubitaret, ex illa eius rigida, si diis placet, regula atque disciplina, tanquam ex equo scilicet Troiano, homines multò quàm fuerint in Papatu, (sic enim loquitur) nequiores, id autem est, si ad eius opinionẽ referas, latrones meros, ad communem hominum vitam profluxisse. Hæc Luterus, nihilo etiam ipse discipulis magister sanctior, de suis gregalibus. His autem quoq. multò etiam atrociora ferunt testimonia, ii qui Luterum ipsum aliquanto pòst, in eadem sunt schola consecuti. Qui sanè Euangelicorum scilicet istorum vitam, minimè ad euangelii normam, sed potius ad malesana Epicuri lutulẽti hominis dogmata compositam, non Euangelicam illam, sed Epicuream appellant; nec illam homine dignam, sed proiectæ potius beluarum immanitati propriam, scriptis publicè editis asserere non dubitant; ita mehercule, vt si quis

sit, qui

ſit, qui quàmmaximam nebulonum, impoſtorum, vſurariorum, & omninò temulentorum, ac cœlo diuisque omnibus inuiſorum hominum turbam atque colluuiem ſimul cupiat intueri, hunc eas potiſſimum perluſtrare ciuitates aiant oportere, in quibus doctrina noui iſtius euangelii vigeat atque propagetur. Tales enim profectò in his vrbibus homines, ipſorum quidem ſententia, depræhendat, apud quos, virtute ac honeſtate omni extincta prorſus & profligata, nec metus peccati ſit vllus, nec appellatio vlla. Breuiter, eiuſmodi portenta hominũ inueniat, quibus ſceleratiores ac flagitioſiores, ne inter Ethnicos quidẽ, aut Iudæos, aut Turcas etiam ipſos, (verba hæc ſunt teſtium ipſorum) poſſint reperiri: homines ita planè fœdos ac infames, vt à diabolo tantum non obſeſſi eſſe, Lutero ipſi ſuo videantur. Sed ego eos quidem hoc loco nimium pugnaciter non vrgebo, vt tantis ſceleribus, quantorum, cùm à cæteris, paribus æqualibusque ſuis, tum vel à magiſtro ſaltem ipſo arguuntur, vltrò ſe ipſi alligent; illud modò bona cum venia ab eis petam, ecquid ſe ipſi maioribus ipſis ſuis Papiſtis ſanctiores eſſe exiſtiment; vt, ſi aiant, prò diuûm hominumque fidem exclamem, & magiſtri ac ſociorum ipſorum aduerſus eos teſtimonium proferam; ſin negent, occaſum cum ipſis eius religionis deplorem, quæ earum virtutum, à quibus ſe ipſi longiſſimè abeſſe confitentur, altrix in eorum parentibus atque educatrix extitit. Quid tamen illi hæc contra? Quid? Ocioſi homines; vix ſatis magiſtrum ipſum ſuum, vix etiam ſuos, quid dicant exaudiunt; nos autem ipſos ne vix quidem. Verùm vbi vehementius aliquanto quærere inſtitimus, in promtu ferè habent verſum Homericum, quem videmus etiã à pöéta Latino eſſe poſtea vſurpatum.

Iliacos, inquiunt, *intra muros peccatur, & extra.*

Quo quidem illi verſu, crimen ipſum, aduerſum ſe intentatum, non tam à ſe remouere, quàm nobiſcum commu-

Prauitas hæreticor.

nicare velle videntur; magiſtri autem ipſius, & ipſorum illorum ſuorum gregalium os, leuitatis conuicio verberare non dubitant. Sit enim ita ſanè, ô amici, de muris ipſis Iliacis, vt voluit Homerus. Atqui de vobis, viuis ſcilicet ſynagogæ ſuæ muris atque lapidibus, diuerſum reſpondet, non dico Homerus Græcus, ſed Helias ipſe veſter Germanicus: qui planiſſimè & apertiſſimè, vt audiſtis, non Græca illa leuitate, ſed Germanica ſcilicet veſtra fide atque veritate, affirmare non dubitat, vos in comparatione Papiſtarum, quibus apud ipſum tamen vix quicquam fingi potuit profligatius, multo eſſe ſceleratiores. Sentitisné, amici, non verſum aduerſum vos Homericum ab aduerſario contortum, ſed plagam hoc verbo vobis à magiſtro veſtro eſſe impoſitam prorſus inſanabilem? Verùm demus, quod velle videmini: & in eo quoque, quando ita vobis videtur, Heliam iſtum veſtrum vanitatis coarguamus; vt dicamus, æquè peccari ab vtriſque nobis. Quid igitur? Sequitur nimirum primùm, vos non eſſe meliores nobis: veſtra enim ipſorum confeſſione peccatur profectò à vobis, non minus quàm à nobis. Quod ſi eſt, ſequitur iam illud quoque alterum, nihil cauſæ nobis eſſe, cur vos, ſectamque iſtam veſtram, veteri noſtra eccleſia relicta, ſequi debeamus. Quid deinde ſequitur? Sequitur etiam illud tertium, nos nihilo eſſe deteriores vobis. Si enim æquè peccatur ab vtrisque, fieri non poteſt, vt alteri alteris deteriores ſimus. Quod ſi eſt, dicite iam vos, quæſo, per ſummam iſtam & planè incomparabilem conſtantiam ſapientiamque veſtram, quid cauſæ fuit, vt propter nouos mores veſtros, nihilo noſtris meliores, veteres noſtros, veſtris nihilo deteriores relinqueretis, & Roma Veios, ne dicam Babylonem, commigraretis? Quod ipſum quidem, ne vos item poſſitis in nos aliquando retorquere, ab eo ſanè vel ipſa illa, quam præ vobis obtinemus, antiquitas noſtra, facilè nos vindicabit; non nos eſſe videlicet, qui exiuerimus

ex vobis,

 Prauitas hereticor

ex vobis, ſed vos potius eſſe, qui ex nobis exiuiſtis. Vos autem dicite obſecro, quam rationem potiſſimum ſecuti, nos eſſe relinquendos exiſtimauiſtis? Equidem ſunt apud nos ſodalitatum certa quædam genera, ad exercēdos homines in pietate, & in euangelicis tum præceptis, tum inſtitutis, ab optimis illis, & excellenti quadam ac planè diuina virtute præditis viris auctoribus pridem adinuenta. (Non puto quicquam eiuſmodi extare inter vos. ſunt enim mandata ſcilicet ac reperta hominum; & quædam quaſi rudimenta ad exercitium, vt dixi, pietatis comparata. Vos autem domini Euangelici, qui in ipſa arce totius perfectionis conſtitiſſe iam vobis videmini, incunabulis videlicet eiuſmodi non egetis, nec crepundia vlla virtutis aut pietatis deſideratis; & omninò, quod olim per iocū dixit quidā de quibuſdam, malos ſcilicet eiuſmodi mores nō amatis. Non modò igitur eiuſmodi ſodalitia conſtituta non habetis, ſed etiam is, qui in eiuſmodi ſodalitiis, dum apud vos extarent, ſpecie ac nomine aliquandiu verſabatur, Luterus veſter, homo profeſſione Auguſtinianus, poſtquàm ſemel & exiuiſſet ipſe ex illis, cùm tamen non eſſet ex eis; & indidem, ad conſceleratas, nouo in eccleſia exemplo coniungendas monachales nuptias, Nonnam illam ſuam abduxiſſet, eueſtigiò ne veſtigium quidem eorum ſodalitiorum apud vos reliquit.) In his igitur eiuſmodi apud nos vitæ generibus, gradus veluti quoſdā eſſe videas laxioris aut aſperioris vitæ chriſtianæ. In quibus quidem gradibus, ex remiſſiore & ſolutiore vita, ad aſtrictiorem cōmigrare, ius faſque eſt; & faciunt ſæpè multi, non modò ſine crimine, ſed etiam cum laude ſumma; contrà ex aſtrictiore ad laxiorem, ſine magiſtratus ſuperioris venia, temerè ſe conferre haud licet, neque adeò probro caret. Agite igitur, vtrum horum ſecuti eſtis? Nam ſi ad liberiorem veſtram, ab rigidiore vita noſtra, conferre vos voluiſtis, vbi eſt maiorum petita aut obtenta venia? aut

 verò po-

Prauitas hæreticor.

verò potius, vbi est, vbi est solenne illud promissum vestrum, quo vno, has, quas paucas etiamnum dolosè tenetis, orbis terrarum partes, astutè ab initio, per fraudem & dolum conciliastis vobis? Vbi est, inquam, nobile illud & magnificum promissum vestrum, vos, morum veterum in ecclesia restaurandorum, ac vitæ illius antiquæ, à rebus duris, ad omnem victus ac cultus molliciem prolapsæ, vita rursus ac doctrina vestra seueriore restituendæ, munus suscepisse? At enim si neque venia quæsita aut tributa est vobis, & vos tamen seueritatem veteris disciplinæ solutæ, &, vt dixi, inclinatæ, quam instaurare velle videbamini, nõ magnopere, vt leuissimè dicam, moribus vestris astrinxistis, videte quæso, ne licentiam magis quàm id quod liceat, vestra illa secessione secuti esse videamini. Sin contrà, ad vestram asperiorem, à vita nostra laxiore, transire cogitastis, vnam, quæso, saltem proferte vestram actionem, vnum exemplum ex omnibus, per hæc tempora rebus vestris gestis depromite, quod testimonio sit huius austerioris scilicet vitæ vestræ; & vincite. Equidem tria sunt vel præcipue, quæ Pandora ista vestra, orbi terrarum videtur attulisse, ex iis dico, quæ ciuilibus interdum viris minus vtique videntur posse improbari. coniugium sacerdotum, vel, vt vos vultis, Ministrorum vestrorum, communionẽ vtriusque speciei in eucharistia, & linguam illam popularem in sacris faciendis. Excutiamus igitur hoc loco obiter, in his tribus, rigidam scilicet istam vitam vestram; vt si eam vspiam apud vos reperiamus, Veios & ipsi continuò migremus Quirites, dextrasque vobiscum societatis coniungamus; sin in iis rebus, quæ probari tamen quibusdam videntur, reperiamus nullam, vt tunc eam scilicet multò minus in reliquis reperiri apud vos posse, vosque adeò sine causa secessionem à nobis fecisse, scire intelligereque possimus. Primùm igitur. Sacerdotes vestri. Hei mihi, semper hic error. Non sacerdotes, sed ii, qui nihil cum sacris commune vn-

Prauitas hæreticor.

mune vnquam habuerũt, ſeu cerdones,ſeu Miniſtri iſti veſtri, vxores duxerunt. Quid exhorruiſtis ? an metuebatis videlicet, ne, aut veſtras, adderem ; aut ipſos,Eremitas potius ſiue Anachoritas factos eſſe dicerem?ad quorum profectò alterum expalluiſſe vos, ad alterum erubuiſſe conſpicio. Ego verò, nec veſtras duxiſſe, nec Eremitas factos eſſe, ſed præcisè, vt dixi,vxores duxiſſe aio. Atqui nos, eccleſiæ ſcilicet Romanæ præsbyteri, conſuetudinem eiuſmodi non habemus. Vtri igitur viuimus laxius aut durius? Recita decretum Pauli, QVI SINE VXORE EST, inquit, SOLICITVS EST QVÆ SVNT DOMINI, QVOMODO PLACEAT DOMINO. QVI AVTEM CVM VXORE EST, SOLICITVS EST QVÆ SVNT MVNDI, QVOMODO PLACEAT VXORI. O auſteram, amici, vitam veſtram. Et ſcio quidem, quid huic loco opponere ferè ſoleatis,de noſtrorum celibum vita ſacerdotum,non ſatis in celibatu ipſo, nec caſta, nec pudica. Verùm quid dicetis de aliorum quoq. extra ſacerdotium, in ipſo, quod tantopere dilaudatis, matrimonio, inter vos ipſos degentium, vita nihilo caſtiore ? Noſtra id fortaſſe nihil intereſſe, excipietis, vt ſoletis. Sed quid dicetis rurſus, de multorum ſacerdotum noſtrorum, in ipſo celibatu, & caſtiſſimè acta vita, & pudiciſſimè ? Paucos eſſe eiuſmodi, inquietis. Nos verò quod datis accipimus : apud vos autem, omnes quotquot ſunt Miniſtri veſtri coniugati, ſceleſtiſſimis eſſe dicimus nuptiis illigatos. Sed hæc mittamus. Illud conſtat. Eum quidem, qui iungit matrimonio, benè facere ; eum autem qui non iungit, melius facere. Hæc ſunt enim verba Pauli. Ex quibus etiam liquet,eum planè qui iungit, ſed non matrimonio, perperam omninò facere. Veſtræ autem iſtæ, quas creditis, non ſunt profectò neque veræ, neque legitimæ nuptiæ. Et ſi ſint,certè qui non iungit,melius facit. Atqui meliora omnia ſunt etiã difficiliora. Difficilius igitur in carne præter carnem, quàm ſecundũ carnem vi-

nem viuere. Veſtri autem cùm eiuſmodi vitam, quæ in carne præter carnem viuitur, non exemplis tantum, ſed etiam ſermonibus ac ſcriptis ipſis ſuis planè aſpernentur, videte quæſo, vtrum à laxiore ad rigidiorem, an contrà, collimare atque adeò contendere videantur. Choragus quidem ille & præſultor eorum Luterus, ab auſtera illa, vti tunc ferebant tempora, Auguſtinenſium vita, planè abiit ad laxiſſimam. Nam clauſtra illa monaſterii ſui, quæ arcebant vtcumque, ſi non animum, at corpus certè quidē hominis minimè omnium continentis, ea effugit homo transfuga, corporis autem clauſtra alieni, à quibus voto ac religione vtrinque ſuſcepta arcebatur, ea homo petulantiſſimus, per ſummum ſacrilegium perfregit; vt ne quid videlicet vſpiam clauſum eſſe poſſet intemperantiæ ſuæ. Eratné tunc autem ex veſtris quispiam, aut verò eſtné nūc etiam, qui ſaltem, factum male, exclamaſſet? Nemo. Qui igitur tacuerunt, conſentire planè videbantur. Omnes igitur, quod in ipſis fuit, aſſenſum diſciplinæ laxiori præbuerunt, omnes etiam frænum auſterioris & horridioris vitæ momorderunt. Vin' autem ſcire, quid illis celebs ille maritus pro ea re gratiæ retulerit? Primùm, quod ſolent boni ſocii, idem illud, quod ſibi aliorum conceſſu licuit, illis etiam ipſis ſymmyſtis vel potius ſatellitibus ſuis omnibus, licitum eſſe voluit: id autem eſt, vxores omnibus promiſcuè, non modò conceſſit, ſed etiam inuitis nonnullis adiunxit; in eoque primùm diſciplinam eccleſiaſticam ſeueriore lege deuinctam, tum in ſeipſo, tum in aliis, ſoluit & laxauit, atque adeò conſtuprauit. Quid autem deinde? Iam enim venio ad optatum illum calicem, & ad vulgaria ſacra veſtra. Ille verò miniſtrorum animis conciliatis ſibi, ipſorum etiam dominorum, id autem eſt, plebis ipſius animos conciliandos eſſe exiſtimauit; & conuerſa ad eos oratione. Eia, inquit, boni viri, vos quidem, quod veſtrū eſſe proprium oportuit, vxores, non inuiti communicaſtis no-

Prauitas hæretico.

ſtis nobiſcum; haud æquum eſt, vt quod noſtrum item eſt, inuideamus vobis. Ite igitur omnes, & prædicate euangelium omni creaturæ; omnes enim profectò eſtis regale ſacerdotium. Parum eſt. Deinde igitur. accipite, inquit, hunc calicem, & ex eo, ſeu mauultis etiam ex quibuſcumque, & ex quotcumque tandem calicibus aliis, bibite, bibite omnes. Et quidem omnes, omnes. Tantum non addidit, oues & boues vniuerſæ, inſuper & pecora campi. Atque hic iam quoque iterum, de priſtina eccleſiæ conſuetudine laxauit permultum. Vulgus enim noſtrum hactenus nec prædicando euangelio vacabant, nec calici adhibebantur; ſorte & conditione ſua vltrò contenti, de pane domini participabant, calicem clero concedebant; & tamen veriſſimo Chriſti corpore & ſanguine, non minus ſaginabantur. Quid autem præterea ille? Etiam. Quos hactenus ſingulos, ſuauitate illius cantus, vel potius hinnitus ſui, de quo diximus, ſatis permulſerat, rurſum apud vtroſque eorum communiter gratiam inire voluit, & myſteria ſacrorum, quæ antea ſolis latinis patuerunt, in vulgus protulit. In quo ipſo ſoluiſſe eum quoque, vt in aliis, veteris habenas diſciplinæ, quis non videt? Nam & Miniſtro profectò ipſi laxius eſt atque ſolutius, non tot linguis ad ſacra ipſa obeunda opus habere, & plebi deniq. ipſi, ea quæ hactenus in archanis myſteriis numerabantur, nec archana deinceps ducere, nec myſteria deputare, eſt profectò ad omnem licentiam ſolutius. Ita ille, cùm antea & ſacerdotes domini vita ipſa celibe, & populus acquiſitionis vna euchariſtiæ ſpecie, & vtrique illorum, latinis ac Romanis ſacris, in eccleſia contenti eſſent, vtroſque vtrinque quaſi patentibus quibuſdam portis foras eduxit, & in ſumma vitæ, religionis, cerimoniarum, morum denique laxitate atque licentia collocauit. Hoſcine vos igitur mores, in deſerendis noſtris moribus ſequebamini? hanccine vitam ſegregatione veſtra à vita noſtra quærebatis? Ignoſcite, ignoſcite.

ignoſcite. Non ſanè nimis magnam, neque, vt leuiſſimè dicam, nimium iuſtam cauſam, veſtræ à nobis diſceſſionis cepiſtis. Quid? doctrinamné noſtram refugiſtis potius quàm vitam? Sed de doctrina paulò pòſt viderimus, nunc de vita & moribus catholicis noſtris, illud reſpondemus. Ante veſtrum hoc quidem recens à vobis promulgatum euangelium, multò, vt diximus, commodiores, nominiq. christiano congruentiores mores noſtrorum fuiſſe; nunc cum veſtris vnà, moribúſne dicam an inſtitutis nouis, de vetere veteris probitatis atque integritatis orbita, non leuiter fortaſſis deflexiſſe; nec tamen vſque adeò corruptos eſſe, quin in omni virtutis excellentia, veſtro etiam Cenſore iudice, vobis ipſis (quod ſine arrogantia dictum eſto) ſuperiores eſſe videamur. Deflexiſſe aliquid ſi quis miratus fuerit, is multò verius miratus fuerit, in tanta quidem omnium vitiorum licentia, impunitate, impudentia, quantam vos incircumciſis ſermonibus veſtris, exemplis etiam nō ſatis caſtigatis, in orbem terrarum inuexiſtis, nō ipſum etiam virtutis ſemen extinctum vbique interiſſe; à quo quidem paululum admodum abfuit. Nunc, vt in malis, ſemen fortaſſis virtutis & probitatis, apparet vſpiam inter noſtros, virtus quidem illa priſca, quæ maiorum noſtrorū temporibus in eccleſia noſtra viguit, nunc veſtra culpa οἴχεται, ſic, vt ex omni propemodum vita mortalium videatur exulare. Niſi fortè illos, ex veſtris Picardorum & Anabaptiſtarum ſectis tectioribus, & fraudulentioribus homines, exiſtimatis aliquid habere virtutis veræ & expreſſæ; qui ad mentum vſque adducto ſupercilio, ſanctitatē mentiuntur, & vultu illo ſuo tætrico, orbi ipſi terrarum non tantum imponere, ſed etiam imperare cogitant, atq. moliuntur; dum triſti quadam & ſeuera non tam aſſumpta, quàm aſſimulata perſona, non alios ad eccleſiæ communionem pertinere cenſent, quàm eiuſmodi quadam præditos perfecta & numeris omnibus abſoluta vitæ ſanctitate,

Prauitas hæreticor.

ctitate, quæ in terris istis, in ista, dico, ecclesia mortalium, vel, vt passim loquimur, militantium, multò autem minus in cœtibus & cõuenticulis ipsorum, reperiatur nunquam. Stulti homines, ne quid dicam aliud, qui hoc ipso dogmate suo inciuili, palàm testimonium ipsi contra se ferre videntur; vt, cùm vita sua longe absint, ab illa, quàm mente & cogitatione sua finxerunt, necessaria, & vt ipsi iudicant, maximè propria ecclesiæ puritate, extra ecclesiam quidem esse manifestissimè conuincantur. Sed quid agimus? Demus sanè tam his, quàm cæteris omnibus hæreticis, sanctitatem non modò nostra maiorem, (qui in vitio nos esse, à perfectione autem non solùm sanctitatis, sed etiam morum ipsorum antiquorum, longe abesse, vltrò agnoscimus) verùmetiam illorum hæreticorum antiquorum sanctitati parem, quos à vitæ eorum puritate, antiquitas Catharos appellarat: quid tum postea? si omnis eorum sanctimonia fucata est, & nullo charitatis ac beneuolentiæ Christianæ amictu conuestita? in qua vna charitate, vniuersum bonarum actionum decus, adeoque vita ipsa earũ, posita est & constituta. Quam quidem isti charitatem & beneuolentiam christianam vsq. adeò oderunt, vsque adeò persequuntur, vt eam simul cum ecclesia ipsa, quæ est nidus, vt sic dicam, & domicilium ipsum, ac cubile veræ charitatis, proscriptam & extinctam, vi etiam, si aliter non possint, tollere è medio gestiant. Quæ mihi sanè vna eorum improbitas, omnes omnium hominum impietates facilè videtur vincere ac superare. Quid ita? Dicam. & quidem ita dicam, vt sentio. Facinus est, hominẽ vnum lædere; scelus est, parentem violare; maius paricidio est, Christum deum hominem in crucem tollere; quid dicam, ecclesiæ ipsi, vi vitam euitare? Etenim ecclesia, ita vna est, vt hominum tamen multitudinem compræhendat; ita parentis vicem obtinet, vt omnes tamen omnium propinquorum charitates complexa esse videatur; ita est

Pravitas hæreticor.

coniuncta Christo Deo, vt omnia inter ipsos, fœdere planè coniugali, imò etiam plusquàm coniugali, facta esse communia videantur. Coniugali quidem, quòd Christus ipse dominus vnum cũ ea corpus fieri voluerit; plusquàm coniugali autem, quòd pro ea, suum ipse corpus ad crucẽ figi permiserit, & denique ob eius amorem quendam singularem, vitam quoque ipsam suam profundere, ac mortem acerbissimam, & ignominiæ plenissimam oppetere nõ dubitauerit. Qui igitur aut separet, quod ita coniunxit Deus, aut contemnat, quod ita honestauit, aut persequatur, quod ita adamauit, is etiamsi cæteroqui vir bonus esse videatur, hoc tamen ipso, & omne quidem bonitatis decus ac gloriam amittat, & se præterea teterrimo atque grauissimo omnium flagitio contaminet. Ita sanè vt omnibus intra gremium ecclesiæ versantibus, & amore atque charitate Christiana deuinctis, peccare quodammodò, quàm cæteris extra ecclesiã constitutis, rectè & ex ratione viuere, tutius propemodum esse videatur. Sentitisné amici, quæso, ecquónã progressus sit furor vester? principio quidẽ ad Papistarum tantũ ludibriũ, deinde ad Christi & ecclesiæ contumeliam, postremò ad vestrã ipsorũ ignominiã summã aptus & intentus. Sed hæc omnia, quæ de catholicorũ & sectariorum sanctitate vtrinque, quantum præsenti loco satis est, dicta sunt, quæúe aliàs ab aliis dici etiam possunt copiosius, re ipsa quàm verbis notiora sunt. Vtros igitur malumus? Equidem quorum vita tam impudenter flagitiosa est, eorum doctrina quoque turpis atque scelerata debet deputari, & vel despici ac contemni antequàm suscipiatur, vel certè malè suscepta, benè tandem deseri ac relinqui. Quis consurget pro me, inquit psalmographus, aduersus malignantes? & quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem? Odiui, odiui, inquit ipse, ecclesiam „ malignantium, & cum impiis non sedebo. Quid autem porrò facies, ô regie propheta, vbi satis impios istos auersatus fu-

Nouitas hæreticor.

ſatus fueris, & ſedes eorum impiger reliqueris? Primùm, inquit ipſe ibidem, lauabo inter innocentes manus meas, „ ex iis videlicet ſordibus eas eluens, quas interim, dum verſarer inter malignantes, contraxerunt. Deinde autem manibus illis puris, & lotis iam atque abſterſis, altare tuum „ domine, altare tuum, quod eſt in medio templi tui, in ipſa „ eccleſia tua ſancta, id circumdabo & amplectar. Hæc il- „ le. Quem nos quoque, quantum maximè poterimus, imitari contendemus; & hos quidem, qui ſunt ex malignantium eccleſia, omni ſtudio vitabimus, eccleſiam porrò, eam potius quæ ſancta eſt, quàm illam quæ eſt ſcelerata, & corporibus & animis noſtris ſemper requiremus.

CAP. VI.

Nouitas & factiones hæreticorum.

Tertium ſaxũ fundamenti eccleſiaſtici eſt, catholicam eccleſiã eſſe.
Ei rei opponitur nouitas & factiones hæreticorum.
Quod vtrumque ſuſpectiſſimum habere debemus.
NOVItas hæreticorum oſtenditur: quæ millies etiam renaſcendo, deteri & antiquum obtinere nunquam poteſt.
FACTIones hæreticorum demonſtrantur.
Quia cum nulla veteri eccleſia conſentiunt.
Ac ne cum recenti quidem, ſiue Græca, ſiue noſtra, ſiue barbara.
Locus Ioan. Apoſtoli, de diſceſſione hæreticorũ ex nobis, explicatur.



VID aliud? etiam illud nobiſcum expendemus, quod quidem eſt, in hac inſtituta notarum interiorum, & quaſi fundamentorum eccleſiæ comparatione, tertium; quòd hi ipſi Miniſtri, de quibus loquimur, præter ſuam illam omnibus notiſſimam diſcordiam, de

qua ſuperius, & nequitiam, de qua modò locuti ſumus, vel ob ipſam ſaltem, de qua deinceps dicturi ſumus, nouitatem, & à veteri eccleſia ipſa diſceſſionem, non poſſunt non in grauiſſimam ſuſpicionem venire, ne parum catholici, imò etiam, ne parum chriſtiani, (ineſt enim in nomine ipſo catholici, nota quædã melior chriſtianitatis) imouerò ne parum boni ciues eſſe videantur. Quemadmodũ enim antiquiſſimam quanque ciuium inter ipſos conſociationem ac conſenſum, maximè laudare, & ad cœlum ferre, & firmiſſimum quaſi quoddam vitæ fortunarumq́ue noſtrarum, in rebus aduerſis perfugium ac receptaculum ducere ac deputare ſolemus, ita contrà, factionis & nouitatis ipſam etiam ſuſpicionem ſtudioſiſſimè non minus in eccleſia, quàm in repub. deuitamus; quòd qui ſunt eiuſmodi, iis nũquam vita noſtra tutò, ſine metu ac ſolicitudine committi poſſe videatur. Cedò, quî veſtram rempub. tantam amiſiſtis tam citò? quæritur apud Næuium veterem pòëtam. Sed ſic, vt apud omnem poſteritatem valere debeat eiuſmodi interrogatio. Cedò, quî veſtrã rempub. tantam amiſiſtis tam citò? Reſpondetur autem, id quod omnium item animis maximè ad perpetuitatem infixum eſſe debet. Proueniebant, inquit, oratores noui, ſtulti, adoleſcentuli. Conſideremus igitur nos quoque hoc loco, & inquiramus. Quando obſecro, Miniſtri iſti orti ſunt? Equidem maiorum noſtrorum temporibus, quod ſcimus, non fuerunt; quibus quidem temporibus, vti meminimus, vnum erat, vnum illud erat vbique labium totius orbis chriſtiani; quo ipſo labio loquuntur nunc etiam, ita vti ſemel cæperunt, eccleſiæ noſtræ. Præter hanc, quæ in præſentiarũ viget, & quæ iam inde à primis temporibus hucuſque continuata decurrit, religionis & pietatis doctrina, nullam tunc aliam doctrinam, nec Græci, nec Latini, nec barbari, pro Chriſti doctrina agnoſcebant; diſceſſionem ab ea doctrina, diſceſſionem à Chriſti doctrina eſſe exiſtimabant;

Nouitas hæreticor.

mabant; vel minimum autem eius doctrinæ apicem velle conuellere, planè non ducebant esse christianum. Itaque idipsum sapiebant, idipsum loquebantur, idipsum æquè colebant omnes. Agitabantur fortassis & vigebant interdum inter Græcos & Latinos, leues quædam dissensiones de rebus paucis, quæ ipsæ non fidem sanè aut religionem euertebant, quæ vna ferè erat omnium, sed mutui tantummodo, qui ex coniuncta omnium fide ac religione expectabatur, amoris cursum nonnihil retardabant; in reliquis pietatem quidem certè christianam sartam & tectam cõseruabant. Quando igitur belua hæc immanis, quæ se admirabili, & maximè constanti eorum consensioni opposuit, caput hoc inuisum, & ecclesiæ infestum, cœpit primùm attollere? quando, inquam, nefanda ista cornua capitis execrandi, ministri, dico, isti; isti, inquam, omnis domesticæ seditionis, atque publicæ nequitiæ administri, cœperunt in hanc lucem prorepere? Quando, censes? Equidẽ Mescislaus eos noster, ante sexcentos annos in Polonia, Iagello etiam, ante ducentos, in Lituania, fundanda religione christiana, prorsus ignorarunt. Nam si non ignorarunt, cur recenti tum illi christianæ inter suos instituendæ religioni, non hos in vniuersum magistros quæsiuerunt? cur non aliquid saltem ab iis acceptum, reliquis admiscuerunt? hoc magis, quo eos propius, in cœnæ scilicet dominicæ cerimonia, sub vtraque symbolorum specie vulgo ipsi repræsentanda, videbant ferè ad Rutenorũ vicinorum suorum, qui suos ipsi religionis ritus, ad Græcarum ecclesiarum auctoritatem conferunt, similitudinem accedere. Verùm hi quidem eiusmodi magistri, an ministri potius, tum temporis profectò non extabant, & neque nostro Mescislao, neque adeò Mescislao ipso posteriori Iagelloni Lituano, vel ex nomine saltem noti erant. Qui si christiani doctores erant & magistri, diuersa præsertim in ea religione instituta sequentes, latêre certè eos, qui Christo domino

Nouitas hæreticor.

domino colonias in ditionibus ſuis conſtituere moliebantur, minimè potuerunt, quominus de ipſis, ſiue ab vtroque eorum, ſiue ab altero, quorum ætas inuicem quadringentis totis diſtabat annis, aliqua vel tenuiſſima ſaltem fama atque auditio acciperetur. Sin autem in toto tum terrarū orbe, vt oſtendimus, non extabant, quid eſt, cur dogma eorum, ab omnium chriſtianorum dogmate diuerſum, pro chriſtiano, noſtris demum temporibus deputari debeat; quod non niſi poſt mille quingentos à Chriſto nato annos, cœpit nonnuſquā apparere? Sed dices, fuiſſe fortaſſis iamdudum vſpiam; verùm puſillum illum gregem, obſcuram tum admodum in tenebris vitam egiſſe. Quod ſi eſt, laudo equidem Meſciſlaum, & Iagellonem noſtros, qui nec ad plantandam in regnis ſuis, illuſtrem iam tum Ieſu Chriſti religionem, obſcuros villicos quæſiuerunt, nec ad publicæ fidei ædificationem, priuatæ & modicæ fidei architectos ipſos adhibendos ſibi eſſe exiſtimauerunt. Sed quid aut Meſciſlaos & Iagellones mortuos, aut vllos omninò teſtes, in re tam clara & aperta, cieo? Iſti ipſi nouarum apud nos doctrinarum auctores atque adminiſtri, cùm primum aut ederentur in hanc lucem, aut vſuram ſaltem eius lucis ſentire per ætatem atq. intelligere inciperent, dicant per Deum, dicant, ecquemnám in hoc totius, ſiue Poloniæ, ſiue Lituaniæ, quàm longiſſimè patet, ambitu latiſſimo, viderint, audiuerint, ſenſerint, qui ſe tunc iſtarum eiuſmodi doctrinarum auctorem perhiberet? Dicant, dicant, ſi poſſunt, ſe eas doctrinas, patrum ſaltem ſuorum morientium teſtamento relictas accepiſſe, aut naſcentes ipſos ex matris vtero, tanquam cœlitus in has terras ſecum deportaſſe, aut verò vbi iam nati eſſent, cum ipſo nutricum lacte ſuxiſſe, aut denique adultos, tanquam tradita aliquando à maioribus, in orbem terrarum reuocaſſe. Nihil horum, nihil horum. Non enim accepta tradere, ſed ficta & excogitata, multò etiam pòſt, quàm & nati & adulti eſſent, nuper ad-

Nouitas hæreticor.

per admodum nostra memoria vltrò procudere cæperũt; atque hoc ipso, seipsos recentissimos, &, vt sic dicam, omnium nouissimos homines, religione ipsa sua antiquiores esse demonstrarunt. Quod tamen, si ex vera commendatione pendi res deberet, contrà esse decuit, vt religio ipsa, abortiua ista prole vtique esset antiquior. Antiquissimam se profiteri aiunt. Vtinam quod dicunt, etiam docerent; atq. adeò vtinam saltem id dicerent; hoc enim ipso aliquid se saltem antiquitati tribuere ostenderent. Verùm nec docebunt sanè vnquam, cùm eorum doctrinam, nostris demũ in Polonia & Lituania temporibus natam esse, nos qui quinquagenarii sumus, memoria teneamus; nec dicere profectò cupient, cùm maxima eorum pars, omnem antiquitatis opinionem tanto studio refugiant, vt se ipsos recentissimos homines, cæco ipsi, sic enim loquuntur, terrarum orbi, & diuturnis atque perantiquis superstitionibus immerso, primos recentis huius, & nuper adeò à se inuentæ, doctrinæ lumen, post annos demum à Christo nato mille quingentos & amplius, prætulisse glorientur. Quid enim sibi vult illa inscriptio Confessionis eorum, in conuẽtu Augustano propositæ, vt eam, anno demum Christi domini M. D. XXX. fuisse Q. Carolo Cæsari exhibitam profiterentur? Nouitatis videlicet isti, quod dixi, gloriam, magis ferè quàm antiquitatis, videntur semper aucupari; quam quidem, me etiam adstipulatore, teneãt licet. Quod si qui tamen sint inter eos, magis sobrii, qui aliquam antiquitatis laudem affectare, & propter paucula quædam capita, ex illa, rudis etiamtum antiquitatis christianæ memoria, repetita, sed perperam in recentibus suis synagogis vsurpata, omnium repertorum suorum decus & gloriam, ad illa ipsa nascentis ecclesiæ primordia referre non dubitent, his ego quidem ita respondeo; vel nihil esse apud eos, quod ex antiquitate rectè vsurpatum videri queat; vel, si quid est, vnius profectò hirundinis aduentu, vola-

tu, cantu, ver effici non posse; vel denique, longè aliam esse oportuisse nascentis ecclesiæ conditionem, & aliam ecclesiæ iam constitutæ esse oportere; sicut ortus fluminum aliam esse faciem videmus, quàm progressus eorundem. Tum verò etiam illud addo. Nec malæ fidei possessorem vnquam in rebus ciuilibus præscribere, nec hæreticum, vllo antiquitatis vsurpatæ prætextu, nouitatis in religione appellationem posse euitare; vt pote qui & mala fide semper ea possederit, quæ aliquandiu possedisse videbatur, & cui præterea, cœpta quondam possessionis eius continuatio, semper sit, cum vigilantia & studio catholicorum hominum, tum verò multò etiam magis, iure ipso, & singulari Dei Opt. Max. prouidentia, ita interrupta, vt planè fuerit abolita. Condemnatis enim, verbi gratia, ante etiam annos mille, nouis illis, & nouiter tum obortis hæresibus quibuscumque, & pace ac quiete veteris & constantis religionis, ecclesiæ ipsi cito pòst restituta, equidem hæreses illæ, continuò, cum ipso vestigio sublatæ interierunt, & ipsum esse ac viuere, ita amiserunt, vt eædem illæ millies extinctæ, si millies deinceps renascãtur, millies semper nouæ esse necessariò dici atq. existimari debeant. Quid ita? primùm quia antea extinctæ iam fuerunt. Sicut enim tumultus nouos, & coniurationes nouas dicimus, iterum, post priores deletas coniurationes, ab iisdem etiam illis sicariis, & iisdem illis de rebus fortè excitatas, eò, quòd, quæ ante eas, aliæ eiusdemmodi fuerunt, eæ sopitæ iam ac oppressæ fuerunt; ita hæreses omnes, etiam ex aliqua specie antiquitatis, tanquam ab orco reuocatas, nouas ex eadem hac causa rectè atque legitimè appellamus. Quid porrò ex alia etiam causa? Ego verò etiam ex alia, dixerim; nec scio, an multo magis. Cùm enim collatio fit hæresum ad verbum ipsum & effatum Dei immortalis, quod quidem à primis temporum initiis exortum, manet in æternum, cogens ac moderans æquabiliter ecclesiam sanctam,

Factiones hæreticor.

ctam, planè constat, hæreses omnes præ eo nouas videri oportere, cùm & discedant quidem assiduè à norma eius, & denique ita & mutentur ipsæ quotidie, & religionem vnà immutent, vt eandem esse non credas; vsque adeò sanè, vt vigentibus iis, gentes ipsæ profanæ ac barbaræ religionem christianam, in media christianitate vix reperiant, & vix agnoscant. Igitur & hæretici ipsi planè noui sunt, & doctrina eorum perspicuè noua. Quid autem? num habent saltem communionem aut societatem vllam cum vna aliqua veteri christianorum ecclesia, ex omnibus ecclesiis, quas oriens, occidens, meridies, septentrio iamdudum est complexus? vt si ab hac discesserunt, ad aliam se saltem, quando in omnibus vno eodemque tempore lumen veritatis extingui nulla ratione potuerit, contulisse videantur? Nihil profectò minus. Cum nulla enim planè ecclesia euangelium suum, (quod tamen non est euangelium; nisi quòd erant, qui eo orbem terrarum concussuri, & Christi euangelium conuulsuri erant) contulerunt, atque ita ne dexteram quidem societatis vllius ecclesiæ præhenderunt. Tentauisse quiddam eiusmodi videri possent, sub ipsa exorientis Luciperi, Luteri dicere volebam, initia; cùm ille ad Leonem X. Romanæ ecclesiæ nostræ antistitẽ ita tum scripsisset. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, " reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocẽ Christi in te præ- " sidentis & loquentis agnoscam. Quæ enim vox conueni- " entior erumpere poterat homini antiquæ ecclesiæ communionem atque auctoritatem imploranti? Verùm ex animo id eum non fecisse, euentus ostendit. Condemnatis enim à Pontifice suis, quos obtruserat, erroribus, non ille Christi in Pontifice loquentis sermoni obediuit; sed quæsitis toties diuerticulis, nunc ad scholas & gymnasia doctorum quasi prouocare, nunc concilium Oecumenicum per speciem respectare, nunc Regum, Imperatorum, principum, & omninò gladio accinctorum magistratuum iu-

 dicio

…CTio hæreticor.

dicio cauſam totam permittere; nunc denique eandem ad cerdones, coquos, lanios, nautas, caupones, ſtabularios, quoàd liceret, transferre ſtuduit. Miſerum hominem, qui tam fluctuet, nec aut portum vnquam vllum teneat, aut vndis ſaltem ipſis, quo minus diu miſer eſſe poſsit, obruatur. Nuperum eſſe oportet. Nam ni ita eſſet, equidem aut viuus, aut mortuus, fluctuare iamdudum deſiiſſet. Sed ita eſt hæreſis, quemadmodum de moroſopho olim neſcio quo, dici in fabulis puerilibus memini; qui cùm ſuſpendium commeritum deprecari vel non poſſet, vel etiam non auderet, arborem tantum infelicem illam, vt poſſet ad ſuſpendiū arbitratu ſuo deligere, id orabat. Quo impetrato, cùm ad ſexcentas arbores ſuſpendendus duceretur, omnes ad vnam recuſabat, & tum hanc, tum illam, alia atque alia de cauſa excipiebat, & auerſabatur; atque hoc aſtu, vitam à ſuſpendio, quoad longiſsimè poterat, tuebatur. Nec aliter ſanè noſter ille, de quo loquimur. Cùm enim ad extremum, ne in illa quidem cerdonum ac laniorum colluuie, in qua vna, tanquam in inaniſsima quadam Aeoli aula, homo ventoſiſsimus diutiſsimè ſe iactauit, deſpectus ab omnibus, & à ſeipſo penè iam relictus ac deſperatus, acquieſceret, verbo ad ſcripturam tandem ipſam appellare, reuera ad ſeipſum, & ad ſua ipſius decreta, quibus & ſcripturam omnem, & omne mortalium genus voluit eſſe ſubiectum, repente ex monacho, monarcha orbis terrarū factus, cauſam ipſam aduocare non dubitauit. Nimirum enim cautè prouidit, tanto ſcilicet ſerius condemnatum ſe iri. Verùm interea tamen, quid eſt, quæſo, ab omnibus deſciſcere, ſi hoc non eſt? aut quid eſt ab omnibus deſeri, ſi hoc non eſt? aut verò quid tandem turpe eſt, ſi hoc vtrumque turpe non eſt? Dices. Atqui hæreticis, vt deſint acceſsiones ceteræ, ipſi quidem ſibi, in illa ipſa gregis ſui exiguitate, qua mirificè gloriantur, ſatis ſufficiunt; qui nō numero ſententiarum, ſed pondere valere, & non multi-

tudine

FACTio hæreticor[um]

tudine hominum, sed doctrinæ veritate, se suáque volunt populo commendari. Audio, & quod das etiam accipio. Verùm dic illud mihi. Si sibi ipsi sufficiunt, &, si sua ipsorum paucitate gloriantur, cur modò Pontificem Max. modò concilia, modò scholas, modò aulas, interdum autem quoque modò non caulas, videntur respectare, vt diximus? Tum autem, si se suaq. quod tu ais, volunt populo commendari, quomodo quæso, seipsis contenti videri poterunt? Miserum, mihi crede, miserum, & falsum prorsus ac inane est, hoc eiusmodi consolationis genus, velle paucitate suffragatorum contentum videri. Visné autem ostendam tibi, tuos istos magnificentissimos, & tuo iudicio, sua sorte contentissimos homines, reuera sui ipsius pœnitere, & sua ipsorum sorte contentos non esse? Non nimis, vt puto, diu est, cùm gens ista, postquàm se à Latinis, vt dixi, ecclesiis exclusam esse cerneret, & tamen non esse bonum hominem esse solum, intelligeret, fecit, siue illius, vt dico, domesticæ solitudinis pertæsa, siue, quod magis existimo, ipsa suorum facinorum victa conscientia, vt Græcorum schismaticorum prouincias adeundas, & eorum animos suppliciter sibi esse per litteras pertentandos existimaret; vt si fortè, fortuna ipsa, ad eam, quam ambiebant, affinitatem cum Græcis coniungendam, ipsis aspirasset, euestigiò ad eos commigrarent, & vna eademque opera, id quod fuerunt, hæretici permanerent, & quod non essent, assumerent, ac schismatici fierent; vel saltem vt hæretici in schismaticorum sinu, nidum suum locarent. Religionis igitur suæ capita, scripto vtcumque compræhendunt, scriptum id ad orientales illas ecclesias mittunt; si annuant, paratos se esse ostendunt ad dextras societatis cũ eis coniungendas. Ita illi, cùm latinas ipsas ecclesias, fundum veluti quendam populum suum, spreuisséntne ipsi, an ab iis potius spreti essent, factum est, vt non iam Veios, nec Babylonem, sed Byzantium se transferre, & Romam ve-

terem, totius religionis caput, noua Roma, quæ nunc eſt totius abominationis caput,permutare voluerint. Verùm ne hic quidem apud Græcos iſtos, magnopere quicquam miſeri homines profecerunt, niſi quòd ſuo ſe ipſi indicio, vt ſorices, prodiderunt. Eſt enim in manibus, luculentum Græcorum illorum Byzantinorum ſcriptum, ſcripto iſtorum oppoſitum; in quo ſic tractantur iſti, ſic notis verè Threyciis, ad perpetuas quodammodo æternitates compunguntur, vt dum ſcripti iſtius nota vlla in dei eccleſia extiterit, extabit autem, vt arbitror,quamdiutiſsimè, cùm ſit etiam de ſua lingua in alienam pereleganter tranſlatũ, tamdiu dedecus iſtorum ſempiternum aboleri non poſſit. Quid verbis opus eſt? Genus planè hominum nullum eſt, cui hæc ſua male feriata dogmata non obtruſerint, & quaſi vietam quandam ac malè conciliatam, diis deniq. iratis natam filiam non paſsim proſtituerint. Ecce autem, vbi nullum ſe omninò generum vſpiam acquirere potuiſſe intelligunt, faciendum neceſſariò eſſe animaduertunt ſibi, vt eam tandem domi ipſi ſuæ retineant,quam ament, quam ſomnient, qua ſe oblectent, quam poſtremò animum ſuum eſſe ducant. Nempe cùm ſpiritus immundus exierit de homine, loca ipſa arida obambulat, ſtudio requietis. Qua fruſtratus, inquit, Reuertar domum meam vnde exiui,fixiſq.ibi ſedibus,reddit omnia poſteriora multò prioribus deteriora.Sic iſti,cùm omnia circumquaq.luſtraſſent, nec ſatis vbi conſiſterent inuenirent, in ſua tecta reuerſi, ibi ſe neceſſariò, ſpreti ac contempti continuerunt: illud interea vetus, ignauiſsimorum hominũ, taciti vſurpantes.

Populus me ſibilat: at mihi plaudo
Ipſe domi.

Domi, domi, inquam, in craſſiſſimis ſuis tenebris latêre, miſeri iſti homines neceſſe habuerunt, lucem ipſam hominum ferré amplius nequaquam potuerunt. Eam igitur ego ſpon-

FACTio
hæreticor.

ego ſponſam veſtram appetam, aut etiam vltrò oblatam accipiam? quæ quoniam nemini obtrudi potuerit, itur ad me? Non ego certè quidem, ſed nec quiſquam alius, me auctore. Si enim in illa ſumma orbis totius impietate, & legis chriſtianæ etiamtum ignoratione, magna ſe niti ratione exiſtimabant Iudæi illi, ad ipſius Pauli Apoſtoli doctrinam chriſtianam infamandam, quòd illi ſectæ, vt ipſi tum appellabant, chriſtianæ, ab omnibus vbique contra- " diceretur; profectò multò nos verius æquius, in hac tan- " ta euangelii luce, & hoc ſæculo chriſtiano tam erudito, idem obiicere poſſumus hæreticis noſtris, illudque ſumma cum confidentia dicere, non ſolùm fidem, ſed ne manum quidem vertendam nobis eſſe, eius ipſius ſectæ cauſa, quæ paſſim ab omnibus orientis ac occidentis eccleſiis chriſtianis, tanto ſtudio & conſenſione, non tantum reſpueretur, verùm etiam oppugnaretur. Apparet igitur, doctrinam hanc eorum, quam, ſi vera eſſe debuiſſet, aut vniuerſalem omninò, aut alicui ſaltem eccleſiæ veteri addictam eſſe oportuit, vniuerſalem quidem fortaſſis ex eo videri poſſe, quòd locus ferè ſit nullus, vbi obtruſa non fuerit; cùm autem nuſquam accepta ſit, conſtat profectò, non priuatam ſolùm atq. ab omnibus eccleſiis ſeiunctam ac ſeparatam, ſed etiam impiam prorſus atque nefariam, omninò autem erraticam, ne dicam hæreticam, eſſe oportere. Quod cùm ita ſit, meritò iam quidem non ſolùm paulò antè Byzantini illi, quos modò diximus, ab hoc hominum genere ſtudioſè ſe refugere, ſcripto publico edito oſtenderunt, ſed etiam maiores olim noſtri, homines prudentiſſimi, legibus huius regni noſtri communibus, & fœdere, ac ſanctione publica, eiuſdem doctrinæ homines, (atque adeò tantò tolerabiliores, quanto Huſſitarum & Calixtinorum doctrina, quæ tunc in vicinia maiorum noſtrorum viguit, noſtri iſtius temporis hæreticis, Anabaptiſtis & Trideiſtis, tolerabilior videbatur) abigendos ex hoc regno & exterminan-

Actio hæreticor.

minandos, ac in vltimas terras deportandos, putauerunt. Quid ago? Moſcus, Moſcus nuper ipſe mediusfidius, princeps à religione noſtra catholica, propter ſchiſma ſuum, alienus, à Latino etiam & Romano noſtro nomine, propter morum ſuorum barbariem, quammaximè abhorrēs, tamen cùm nonnullos eiuſmodi homines, de ciuilibus alioqui iniuriis ad ſe publico nomine allegatos, ſatis pro ſua feritate comiter ab initio excepiſſet, vbi tādem de dogmate illorum inſolenti, & ſuis quoque eccleſiis ſchiſmaticis inaudito, factus fuiſſet certior, non potuit dogma illud non penitus auerſari, & ſtyli quoq. ſui acumine, non perſtringere. De alienis loquor. Ego verò ipſos illos inter ſe ita ſeparatos & ita exoſos eſſe dico, vt alteri alteros, quod iam diximus, extra ſynagogas ſuas eiiciant, diris deuoueant, ignibus denique ſuffocandos & exurendos tradant. Sed de nouitate & diſceſſione hæreticorum ab eccleſia, hactenus ſufficiat. Vtrumque ſanè eorum diuinitus mihi videtur Ioannes ipſe apoſtolus in ſua canonica epiſtola ex-
» preſſiſſe, cùm ita ſcribit de hæreticis. EX NOBIS, inquit,
» EXIVERVNT. Defectionem notat exeuntium hæretico-
» rum, ex eccleſia. SED NON ERANT EX NOBIS, inquit. Notat eorum nouitatem, qui neſcio vnde orti, patrem quidem inter orthodoxos ciere non poſſunt. Pergit Ioannes.
» NAM SI FVISSENT EX NOBIS, NOBISCVM VTI-
» QVE PERMANSISSENT. Quaſi ſi diceret. Si noui non fuiſſent, antiquum quidem planè obtinerent. Vt ita ex iis verbis apoſtoli abundè intelligi poſſit, ſicut ipſum, permanere cum orthodoxis, catholicorum eſt, ita contrà, non eſſe ex orthodoxis; & tamen exire ex orthodoxis, proprium eſſe omnium hæreticorum; quorum alterum, vt dixi, arguit nouitatem eorum, alterum autem inconſtantiam, & mobilitatem ſummam. Meritò igitur idem apoſtolus,
» tempus ipſum hæreticorum, nouiſſimam iam tum horam ibidem appellauit; vt ſicut extremo ipſo tempore nihil eſſe

poteſt

FACT. hæreticor.

poteſt recentius, ita omnibus hæreſibus nihil eſſe queat nouius. Vt igitur concedamus, hæreticos, ipſis iam tum Apoſtolorum temporibus extitiſſe, ſicut ipſius quoque Ioannis Apoſtoli temporibus, ipſo teſte, extiterunt hæreticorum patriarchæ, Nicolaus, Ebion, & Cherintus, tamen ex eo nullam eis prorſus nec antiquitatem concedemus, nec ciuitatem. Neutrum enim obtinent, nec, eſſe ex nobis, vt ciues; nec, nobiſcum permanere, vt antiqui inde dici poſſint; ſed vti olim, cùm initio ex nobis exiuiſſent, id autem eſt, cùm primùm orthodoxos reliquiſſent, non ciues catholici, ſed factioſi hæretici fuerunt, ita nũc noſtris quoque temporibus, quum à nobis exeunt, non aliud quàm ſed tioſi, & à catholicorum ciuitate ſecluſi homines debeant appellari; quando vetus illud, nobiſcum permanere, amiſerunt. Vt igitur ea, quæ fuſius aliquanto diximus, ad vnam ſummam contrahamus; quam, quæſo, eorum eccleſiam eſſe putabimus, qui & nuper adeò nati, ab eccleſia vera deſciuerunt, & ad nullam aliam in orbe terrarum eccleſiam, temporibus ſuis antiquiorem, ſeſe contulerunt? Sed cùm ex nobis exiſſent, altare contra altare excitarunt, & ſe, pro nouæ ſynagogæ auctoribus, audaciſſimè venditarunt; ſic quidem, vt non minus à ſchiſmaticis, quàm à catholicis ipſis, nec magis à catholicis, quàm à ſeipſis reiicerentur; homines, quibus

neque apud Danaos vſquam locus, inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi, pœnas cum ſanguine poſcunt.

Si veram igitur religionem quærimus, à noua quidem & ſingulari, quantum poſſumus, declinemus; quæramus autem, nec recens natam, nec à communione orbis ipſius Chriſtiani ſeparatam.

CAP. VII.

Eccleſiæ catholicæ conſideratio.

L *Eccleſia*

Ecclesia catholica est, quæ omnes vniuersitates complectitur. Rerum, Locorum, Temporum, Personarum, Rationum.
Singula horum explicantur.
Adaptantur omnia ad ecclesiam nostram.
In qua & rerum vniuersitas esse ostenditur. Vbi de communione alterius speciei, in eucharistiæ sacramento agitur.
& locorum, & temporum, & rationum,
& personarum. Vbi de Papistarum appellatione.
Ipsi hæretici nostram ecclesiam, catholicam esse profitentur.



ETenim ecclesia, quæ vera est, quæque hoc nomine verè appellari debet, ea non minus CATHOLICA, quàm vna & sancta esse debet. Quid est, catholica? non priuata, nō quotidie noua, non obscura; sed clara, prisca, perpetua, publica; breuiter, vniuersitatē quandam rerum, locorum, temporum, personarum, rationum etiam, & omninò generalem omnium, vt sic dicam, generalitatem compræhendens. Rerum; quæ videlicet, non vnum aliquid singulare ex doctrina sancta excerpat, vnumq. illud vrgeat; sed quæ omnia seruare doceat, quæcumque diuinitus, tam scripto, quàm voce viua, imperata, tradita, laudata etiam ac commendata sunt nobis. Locorum, quæ non hìc modò, aut illic, nec, aut in deserto modò & inculto, ac ignobili aliquo vico, aut in ædium tantùm priuatarum penetralibus, Christum concludat, sed quæ vltimis ipsis terræ finibus imperium eius describat, atque definiat. Temporum; quæ non id, nunc demū disputandi atque in vulgum spargēdi causa arripiat, quod aut olim condemnatum est, aut modò natum, simul vt exortum est, paulò pòst humore destitutum exaruit; sed „ quæ, quod fuit iam inde ab initio, &, quod etiamnum permanet, & ad extremum vsque extremi illius vniuersalis iudicii diem permanebit, id ipsa quoque, iam inde ab initio acceptum,

Ecclesia catholica.

acceptum, ad extremum vſque retineat, & conſtanter profiteatur. Perſonarum; quæ videlicet neque Pauli ſe eſſe dicat, neque Apollo, neque Cephæ, neque multò his inferiorum, Luteri, Caluini, Bezæ; ſed quæ ſe eſſe profiteatur corpus vnius & indiuiſi Chriſti: ex quo tota ipſa compacta, & connexa, augmentum facit in ſui ædificationem, hoc autem eſt, in conſtitutionẽ ouilis illius vniuerſi, quod Chriſtus vnicum ſe eſſe in terris omnibus prædixit habiturum; &, quo ſe vno vniuerſa ipſa eccleſia catholica concludit. Rationum denique; quæ nihil omninò priuatæ rationis priuatim ſibi ſeligat, (ex hac enim eiuſmodi priuatarum rationum priuata ſelectione, hæreſes ipſas, & ortum pariter, & appellationem ſuam accepiſſe conſtat) ſed quæ, cùm commune naturæ, &, quæ ſecunda quaſi natura eſt, ſcripturæ, iudicium ſequatur, tum verò in ipſa ſcriptura pertractanda, hos ſibi veluti cancellos quoſdam communes, & in omni profeſſionis genere perneceſſarios, circumſcribat. Vnum, ne ſcripta in ſpeciem contraria, verbis potius inter ſe committat, quàm ſententia conciliet. Alterũ, ne ſententiam vnius, duorumúe, aut communi omnium ſententiæ, aut verò perſpicuo ipſi ſcripto anteponat. Tertium, ne quod omninò, quantùmuis in ſpeciem perſpicuum, tanto autem magis, ne quod apertè ambiguum legis mutæ ſcriptum, aut ſuo, paucorumúe hominum ſenſu definiat, aut ſententiæ omnium communi, id autem eſt, viuæ voci conſuetudinis & auctoritatis receptæ, quaſi ex aduerſo obiiciat. Poſtremum, vt priuatam quamlibet ratiocinationem, communi vel omnium, vel plurium hominum, vel certè conſuetudinis, &, quod omnium tutiſſimum eſt, auctoriratis ipſius receptæ ratiocinatione temperet. Omninò autem, ne aut ſecreta modò quædam veluti Stoicorum paradoxa, ſecretis, ac ſeparatis à communi vniuerſorum ſententia rationibus defendat, cætera aſpernetur; aut rurſus ſolas vulgatas, & quæ ſecundo po-

Ecclesia catholica

pulo defendi possunt, sententias, protrita ipsa ac peruulgata ratione consectetur, prudentum decreta negligat; sed medium teneat, & in modum apis circumuolitans, vndiq. ita delibet ac decerpat, vt vulgaria sanioribus condiat, humana autem diuinis regat atque moderetur. O speciem, Christiani, ecclesiæ excellentem. Concupiscit & deficit animus meus in atria eiusmodi domus domini. Quibus sanè omnibus ritè examinatis & perpensis rebus, facile omninò constare potest, cùm hæreticorum synagogæ, ad hanc eiusmodi catholicismi descriptionẽ ne aspirare quidem posse videantur, (si enim ea quæ diximus, communia cum catholicorum sententiis haberent, hæreses vtique non essent) solam ecclesiam nostram esse, quæ eam descriptionem planè exprimat atque repræsentet. Etenim principiò quidem si rerum vniuersitatem ipsam respicias, nihil planè ab ecclesia nostra reiici depræhendes, eorum, quæ per diuinos aliquando homines, tam scripto, quàm voce viua tradita, quæque etiam siue præcepto atque iussu eorum imperata, siue adeò consilio, orbi terrarum ad perpetuitatem sunt commendata. Neque enim ecclesia catholica illud inculcat vnum. Fidem iustificare; quod vno aliquo in scripturæ loco fortè fortuna repertum, solum hæretici nostri percrepare, solum tonare, & solo eo orbem terrarum permiscere videntur; sed addit quoque, quod in aliis eiusdem scripturæ locis non minus scriptum reperit, fidem in Christo, eam demum valere, quæ per charitatem operetur. Alioqui si adsit omnis fides, omnis, inquam, fides si adsit, absit autem charitas, nihil perfectum videri posse. Fidem enim, quæ factis cassa atque inanis sit, ociosam & mortuam planè esse. Neq. adeò solum illud vsurpat, nihil damnationis esse, iis qui sunt in Christo Iesu; sed etiam adiungit, quod ibidem statim sequitur. his, inquam, nihil damnationis esse, qui [illegible] secundum carnem ambulant. Quid aliud facit ecclesia? Ea verò non solùm illud

obtrudit,

Eccleſia catholica

obtrudit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, quod vnum amici iſti noſtri, cum plauſu, & quodam quaſi hinnitu plus ſatis ingeminant; ſed alterius quoque admonet, quo repleri poſſe cœlum iudicat. De virginibus, inquit ipſa cum Paulo apoſtolo, præceptum non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecuta, vt ſim fidelis. Non ſolùm ingerit, Scrutamini ſcripturas, quo ipſo hæretici aures noſtras plus ſatis obtuderunt; ſed vnà cum eo, illud quoque non diſſimulat. State & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. De quo ipſo paulò pòſt copioſius agemus. Non ſolùm denique dicit illud. Accipite hunc panẽ & comedite. &, Bibite ex hoc calice omnes; cuius vnius rei cauſa nouatores iſti orbem ipſum terrarum hactenus perturbarunt; ſed etiam & dicit, & credit illud, quod ibidem continuò ſequitur, quodque adeò non omnis credit ſynagoga. Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Præuaricari nos dicent, cùm hæc ſcribimus, quæ de calice domini ſcribimus. Quotus enim quiſque, inquient, in eccleſia veſtra, bibit ex calice domini, ad quem tamen à ſcriptura omnes ſine diſcrimine palàm inuitantur verbis illis. Bibite ex hoc omnes, bibite ex hoc omnes? Cùm igitur vos quidem, inquient, non omnes homines ad bibendum admittatis, ecquónam modo in hoc genere vniuerſitatem illam rerum atque dogmatum ſanctorum, quam catholiciſmi nomine vſurpando, vobis proteruè arrogatis, complexu veſtræ eccleſiæ contineri arbitrabimini? aut verò, quomodo eccleſiam ipſam veſtram, catholicam, hoc autem eſt, vniuerſalem eſſe defendetis, in qua & ſymbolum ſanè alterum, ſacramẽti vel maximè præcipui, eſt acciſum, & ex eadem illa parte, verba teſtamenti ipſius dominici clariſſima, nullum neque honorem, neque vſum habere videantur. Nam de ſymbolo quidem ſacramenti, inquient, certum eſt, dominum Ieſum, ea ipſa nocte, qua in

Ecclesia
catholica.

mortem, pro vita & salute nostra, vita ipsa salusque nostra tradebatur, non magis panem quàm poculum cum vino in manus suas præhendisse, vtrique æquè benedixisse, vtrumq. etiam æquè suis omnibus ad participandum præbuisse; in iis autem ipsis præterea rebus, ad omnem temporum perpetuitatem in sua ecclesia stabiliendis, & quasi testamenti ipsius nuncupatione solenniter sanciendis, eo verborum genere vsum esse constat, quod non minus disertè ad vinum & calicem, quàm ad panem ipsum, ad duo scilicet, non ad vnum, pertinere videretur. Neq. enim modò dixit, Comedite, quod pani congruit; sed etiam dicit, Bibite, quod vino conuenit. Tum autem, illud denique luce meridiana clarius est, à vobis, qui catholici videri vultis, panem solum in ecclesiis vestris retineri, panem tantummodo asseruari, vinum & calicem posthaberi, nec ad vllum omninò ecclesiæ vsum adduci. Audio fratres mei, audio; &, vt puto, etiam quid velitis intelligo. Speciem nimirum eius sacramēti alteram, præcisam in ecclesia nostra, & diminutam esse dicitis: vsum autem & honorem eorum verborum, quæ eodem pertinebant, quæque nos, dicis tantum causa retinuisse videmur, vel sublatum apud nos esse, vel interuersum. Nos verò, ô amici, neque accisum quicquam horum aut diminutum, neq. adeò deprauatum aut deformatum in ecclesia nostra esse asserimus. Etenim speciei quidem vtriusq. præsentiam in hoc sacramento, quam vos in ecclesia nostra cernere, aut omninò negatis, aut saltem dissimulatis, non obscurè sanè ferimus; cùm in iugi illo, & non, vt apud vos ferè, menstruo, sed, vt apud nos, planè quotidiano, sacrosanctæ missæ sacrificio, vtramque seorsum, in ecclesia nostra, sacramenti speciem consecramus, vtramque etiam per manus hominis sacerdotis, in altum attollimus, & singulas earum palàm in ipso conspectu omnium designamus, ac oculis omnium repræsentamus: idque adeò facimus, ne quid eorum hæretici,

gens im-

Eccleſi catholic

gens impudens & inimica, negare poſſe videantur, quæ nos tam claris & apertis indiciis, apud orbem ipſum terrarum, quotidie, ad omnia propemodum templorum altaria, etiam atque etiam conteſtamur. Nullam igitur planè earum ſpecierum partem abeſſe ab eccleſia noſtra exiſtimamus; non, ne latêre quidem. Non abeſſe, quia conſecrantur; non latêre, quia attolluntur, & paſſim omnibus in conſpectum dantur. Niſi vos fortè, ſicuti aliàs corpus ipſum Chriſti in euchariſtia, non verborum myſticorum vi conſecrari, ſed oris ipſius veſtri & palati dignitate atq. præſtantia perfici, hoc autem eſt, non tunc cùm conſecratur fieri, ſed tunc demum cùm à vobis manditur, confici & compleri aſſeritis, ita ſpecies quoque ipſas eius corporis, quia abſint ab ore veſtro, iccirco eas ab eccleſia planè abeſſe affirmatis. Quod ſi facitis, tunc vos quidem, dum palato tantum veſtro, quid adſit, aut abſit, iudicatis, diuinũ illum eccleſiæ palatum profectò non perſpicitis, quod ferè de Epicuro veſtro pronunciauit olim Ennius non noſter. Atque hæc quidem de ſpecie vtraque eius ſacramenti. Iamuerò quod ad verborum rationem attinet, illorum præcipuè, quæ in ipſa teſtamenti dominici nuncupatione, ad vini ſpeciem referuntur, BIBITE EX HOC OMNES, magna ſanè iam ex parte illud conſtat, nec honorem, nec vſum verborum eorum legitimum, deeſſe in eccleſia noſtra. Quid enim? Equidem honos mihi verbis detrahi tũ videtur, cùm fides illis non habetur; vſus, cùm illis nõ obtemperatur. Quem vos igitur alium verborũ iſtorum, BIBITE EX HOC OMNES, honorem apud nos requiritis, quando nos verba illa, vti ad Apoſtolos eſſe dicta, ex euangelio nouimus, ita ad eoſdem illos, & quidem ad omnes, dicta eſſe, conſtantiſſimè credimus & confitemur? hoc etiam amplius, quòd illis ipſis verbis domini, eueſtigiò Apoſtolos obtemperauiſſe, bibiſſe ex eo omnes, credimus planè & confitemur? Illudque adeò ipſum iccirco

ſtatim

Ecclesia catholica.

statim ibidem ab Euangelista Marco, Petri, aduersarii vestri summi, discipulo, quasi de industria ad reliquam historiam additum esse dicimus, vt vobis, qui vestro isto calice, opportunè importunè ingerendo, frustra ecclesiam conturbatis, crucem vnà cum calice, eo loco Euangelista ille figeret, vosque penitus hoc ipso, quasi quodam stimulo pungeret ac fodicaret. Bibite ex hoc omnes; & biberunt ex illo omnes. Bibite ex hoc omnes; & biberunt ex illo omnes. Honorem igitur & dignitatem verborum illorum. Bibite ex hoc omnes, integram manere in ecclesia nostra, constat. Quid vsum? Non minus & vsum quoque. Quomodo? Quia nos quidem verborum illorum vim, quæ Apostolis ipsis in cœna illa accumbentibus dicta sunt semel à domino, omnes vt biberent, quibusque etiam tunc illi verbis impigrè obtemperarunt, biberunt enim sanè omnes, eam vim extinctam statim cum verbis ipsis, & è medio sublatam non dicimus; sed vti tum erat, ita ad eorum posteros & successores sacerdotes propagatam, omni studio in ecclesia nostra retinemus; sic, vt quoties modò sacerdotes nostri pro populo faciant, toties eorum verborũ vsum in ecclesia dei abunde, atque etiam multò quàm apud vos ipsos illustrius, renouari videamus. Quem tu igitur vsum alium requiris, cùm is quem ostendimus, & legitimus sit, & sartus apud nos ac tectus conseruetur? Dices. Atqui non sacerdotum tantum causa dictum est, Accipite & comedite; ergo ne illud quidem alterum, bibite ex hoc omnes, sacerdotum tantum causa dictum esse existimandum est. Agè. Quorum igitur tu causa dictum esse censes? Omnium, inquies. Atqui omnes iam biberũt. Recita Marci Euangelistæ testimoniũ. Et BIBERVNT, inquit, EX EO OMNES. Dices. Atqui ad eosdẽ ipsos dictũ est, bibite, ad quos dictum est, comedite. Cùm igitur vos ipsi, inquis, illud, comedite, transferatis ad plebem ipsam quoque, quid est, quòd hoc, bibite, ad plebem eandem transferri re-

ferri recuſatis? Reſpondeo. Iam hæc quidem veſtra hæreticorum culpa eſt. Ab initio enim ſic non fuit; cùm pia & benigna mater noſtra eccleſia ſancta, quod acceperat à domino, id ipſum tradebat quoque promiſcuè omnibus ferè nobis, iiſque ipſis, vti panis, ita calicis quoque vſum liberum patêre planè volebat; non quaſi id omninò ad ſalutem neceſſarium eſſet, cùm in quibuſdam catholicorum eccleſiis, iam tum etiam temporibus Apoſtolorum, ab hoc ipſo calice, ſine detrimento, atque adeò ſine repræhenſione vlla, publicè abſtineretur; atque haud ſcio, an eadem illa ex cauſa, ex qua etiam à ſanguine & à ſuffocato abſtinebatur, à recentibus illis chriſtianis. Cùm enim viderent boni illi viri, & ad vnam inter mortales exercendam charitatem facti, pleroſque Iudæorum, abhorrentes ab eſu ſanguinis, propter dominicam in lege ſanctionem, offendi cerimonia illa ſacramenti noſtri, in qua ſanguinẽ ipſum domini ſub vini ſpecie fidelibus propinari audiebãt, dederunt hoc nõ grauatè mutuæ ipſi charitati, vt ipſi quoque, illorum cauſa, ſicut à ſuffocato & idolothito, ita & à ſanguine, in ipſa etiam cœna dominica abſtinerent. Atque ita ſenſim quaſi, poſteritati ipſi modum præſcriberent, ex quo poſteritas ipſa intelligeret, in alterius iſtius ſacramenti ſpecie vſurpanda, charitati potius Chriſtianæ inſeruiendum, quàm ſummis verborum Chriſti apicibus inhærendum eſſe. Ergo, quod dicere cœperam, ſi ab ipſo ortus ſui initio, dabat ferè eccleſia catholica populo calicem hunc domini, palàm profectò oſtendebat, ipſo etiam calice paſſim vſurpando, offendi, aut peccari nihil. Sin à calice abſtinebat, certè vſum illius non eſſe tantopere vulgo neceſſarium, quàm nunc à vobis exigitur, iam tum reipſa demonſtrabat. Cæterum poſtquàm & olim quidem exortum eſſet odioſum quoddam & crudele nimis hæreticorũ genus, qui abſurdiſſimis de Chriſti domini corpore, ſpargendis in vulgus opinionibus, vſum temporibus illis liberum ac

Eccleſia catholica.

Eccleſia catholica.

rum ac penè promiſcuum calicis domini in eccleſia morati eſſent; & hoc etiam tempore, vos ipſi ſucceſſiſſetis item, qui de verbis illis, Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus, lites ex litibus ſereretis, & omnia in ſummam dubitationem, ac perturbationem adduceretis, factum eſt, veſtra quidem & veſtrorum, vt dico, culpa maxima, vt & tunc quidem vſus hic ipſe calicis, decreto concilii Epheſini ſuſpectus quodammodò redderetur plebi chriſtianæ, & idem in proximo hoc Tridentino cōcilio, in locum priſtinum non reſtitueretur. Dices, nec ſuſpectum reddi debuiſſe, nec reſtitui non oportuiſſe, Chriſto quidem domino iubente. Bibite ex hoc omnes. Audi nunc iam, ô bone. & audite, audite, quotquot eſtis miniſtri, non magis verbi diuini adulterati, quàm nequitiæ iſtius & licentiæ cuiuſdam inauditæ temporū iſtorū, præ qua orbis iam vniuerſus ingemiſcit; atq. haud ſcio an vos etiam ipſi cum orbe vniuerſo. Ferretíſne vos, ſi quis ſit, qui vos, cum veſtra iſta verbi iſtius veſtri prædicatione, ab hominibus ad canes, ab aulis ad caulas, adigere conetur? vosque adeò tergiuerſantes & omninò reſtitantes, illa denique diuina ſen-
„ tentia grauiſſima percellat? Ite prædicate euangeliū omni
„ creaturæ. Omni creaturæ? Abnuere vos video. Atqui ſcriptum eſt, inquam. Prædicate omni creaturæ; prædicate o-
„ mni creaturæ. Atqui vos excipitis, non licere, ex ipſius e-
„ tiam domini ſententia, ſanctum dare canibus, neque mar-
„ garitas ante porcos proiici oportere. Audio, audio; idem ego tamen, euangelium nihilominus prædicandum eſſe omni creaturæ, ex ipſius verbis euangelii cenſeo. Non me fertis. Ne ego vos quidem. Dicitis enim, Bibendum eſſe omnibus de calice domini. Et in eo nimium ſanè proteruè vrgetis illud ex euangelio. Bibite ex hoc omnes, Bibite ex hoc omnes. Ego contrà excipio ex eodem illo euangelio. Bibiſſe ex eo omnes, bibiſſe ex eo omnes; & ſi quid, communicauiſſe certè veteres illos chriſtianos homines, in fra-

ctione pa-

Ecclesiæ catholicæ.

ctione panis, nulla calicis facta mentione. Quid vos ad hæc? Vos verò permoleste iteratis tamen, Bibendum esse omnibus. Bibendum esse omnibus. Quis vos ferat? Sed agam etiam vobiscum lenius. Ferretísne vos, si quis iam vos, de iis, quæ ad communionem vtriusque sacramentalis speciei pertineant, disserentes audiat; & cùm ex vobis plus satis audierit, in participatione huius sacramenti, & bibendum omnibus, & omnibus manducandum esse, continuò inferat, ne infantes iam quidem arcendos esse, ne nauseabūdos quidem, ne saturos quidem, ne publicis quidem flagitiis coopertos? Quid faceretis? Non ferremus, inquies, hominem ineptum & importunum. Dicite igitur mihi. Si omnibus promiscuè ac communiter & bibendum esse, & manducandum censetis, quid est, quòd vos ipsi, non omnes promiscuè ad vtraq. admittitis; sed certa quædam hominum genera ab vtroque arcere audetis? et tamen vos legitimum sacramenti huius vsum in synagogis vestris retinere iactatis: cùm verbū, OMNES, non in omnibus planè retineatis etiam ipsi? Et bene vos quidem in eo facitis, quòd non quoslibet promiscuè ad vestras illas vestrorum mysteriorū vmbras temerè admittendos esse existimatis. Sed in illo tamen ferendi non estis, quòd quæ vobis licere vultis, ea ne ipsi quidem ecclesiæ sanctæ licere existimatis; ac neque illud vlla ex parte reformidatis, quod fortè aliquis per iocum in vos iácere posse videatur.

Quid domini faciant, audent cùm talia serui?

Deinde in illo, immanium etiam mihi tyrannorum mores imitari videmini, quòd, cùm vos ipsi vestra malitia, ipsis, dico, vestris maiorumq́ue vestrorum hæreticorum factis fœdis, hanc eiusmodi calicis quandam quasi orbitatem, in ecclesiam ipsam induxissetis, parum habetis induxisse, nisi nobis idipsum, quasi non à vobis profectum, assiduè vltrò exprobretis, & tantum non lugere etiam, in ipsa plaga, crudelissimè nobis per vos ipsos imposita, superbissimè

prohibeatis. Nos verò, cùm satis ob eam rem indoluimus, scelusque adeò vestrum, pro pietate nostra christiana, satis deplorauimus, etiam deo singulares gratias agere non prætermittimus, quòd in tanta, & tam rabiosa vestra maiorumque vestrorum aduersus ecclesiam conspiratione, etsi fieri sanè non potuit, quin magnis ecclesia incommodis afficeretur, eò tamen perueniri potuisse nunquam permiserit, vt, quod vos inprimis agere ac cupere videbamini, ratio ipsa ac series vniuersa dominici testamenti, in vniuersum, cum pane & calice simul, ecclesiæ ipsi eriperetur. Nunc autem, quod vobis oculi doleant, manet profectò ecclesiæ nostræ in perpetuum hæreditas plena, corporis & sanguinis domini, sub panis & vini elementis ipsis; &, vt ad ea, vnde proximè digressi sumus, aliquando reuertamur, manent etiam eidem veræ Christi sponsæ, donationes omnes, semel à sponso suo Iesu Christo factæ, & ad omnem perpetuitatem consignatæ. Manent non modò, quas diximus, scripturæ bibliorum integræ, sed etiam præterea & scripturæ patrum, & leges ac instituta conciliorũ, & traditiones maiorũ, quas vos ne accipitis ferè quidem. Manent hodieque in nobis, scribit quidam non nimis vetus auctor, (ne dicas doctrinam aliquando fuisse interru-
„ ptam) Manent, inquit, manent Apostolorum vestigia &
„ eorum religio, quia ex deo est, nõ potest dissolui. Vestes,
„ inquit ille, Israelitici populi per annos xxxx. integræ in de-
„ serto permanserunt; atqui multò magis Apostolorum ve-
„ stes, super iumentum impositæ saluatoris. Hic est autem quoque idem huius sponsæ vestitus ille aureus, peculiaris ipsi & proprius, quo sese à dextris sponsi sui maximè reddit conspicuam & insignem. Præter quem etiam ipsum, vndique illi suppeditant varia aliorum quoq. genera vestimentorum variorum, quibus ita circumamicta est, vt non iam solùm diuina possideat, sed vt etiam humana omnia meritò sibi vendicet; vsque adeò quidem, vt quicquid omninò vspi-

Ecclesia catholica.

nō vſpiam, in ipſa etiam ethnicorum philoſophia, aut ſolidi eſt, aut ſynceri, aut veri, aut honeſti, id omne iure optimo æquè ſuum eſſe ducere & poſſit, & debeat; vti abunde docuit D. Auguſtinus. Neque id verbis ſolùm, in illis ſuis de doctrina christiana libris, ſed etiam rebus ipſis, in omni genere librorum & ſcriptorum ſuorum; quibus copioſè admodum oſtendit, depromptis tot & tantis ex media philoſophia rationibus, ad catholicæ religionis defenſionem. Quid oſtendit? oſtendit eccleſiam noſtrā catholicam, dominā eſſe totius profanæ philoſophiæ. Quod ipſum cæteri quoque omnes eiuſdem noſtræ eccleſiæ doctores & magiſtri, ſcriptis ſuis omnibus, philoſophorum decretis refertiſſimis, affatim demonſtrarunt. Atque hæc eſt ſanè regia illa gaza, reginæ huius eccleſiæ noſtræ, cum nullis quidem pellicum donariis aut monilibus comparanda. Cæteris enim ſingulis aliquid fortaſſis pro earum modulo datum eſt, in hanc vnam affatim omnia ſunt cōgeſta, quæ rerum omnium quaſi quandam vniuerſitatem, de qua primo loco dicere inſtitueramus, repræſentare videantur. O ſpeciem Chriſtiani eccleſiæ noſtræ excellentē. Concupiſcit & deficit animus meus in atria eiuſmodi domus domini. Atque hæc quidem de vniuerſitate rerum. Iamuerò in ipſa etiam locorum vniuerſitate, quod erat in diſtributione noſtra alterum, non minus profectò eccleſiam hanc noſtram inſignem dabo. Neque enim ea vno ſe aliquo mundi angulo circumſcribit, vt ſunt fundi hæreticarum ſynagogarum, tam anguſti illi quidem, vt funda mitti poſſe videantur; ſed eccleſiæ noſtræ vera ſunt latifundia, toto ipſo terrarum orbe longè lateque expanſa, non ſolùm in Vitebergenſium aut Geneuenſium agro atque ditione, ſed planè quà patet hæreditas ipſa & poſſeſſio Chriſti domini, à mari videlicet vſque ad mare, & à flumine vſq. ad terminos orbis terrarum. Gratias Deo agit Paulus Apoſtolus per Chriſtum Ieſum, primis etiam illis Euāgelii tem-

Ecclesia catholica.

„ gelii temporibus, ad Romanos ſcribens, quòd fides eorum
„ annunciaretur iam tum in vniuerſo orbe. Quantò magis nos hoc quidem tempore & agere debemus, & habere gratias ſummo Deo, cùm videamus eădem illam fidei Romanæ profeſſionem non ſolùm in Sarmatiam noſtram penetraſſe, non ſolùm Europam, Aſiam, & Africam peragraſſe vniuerſam, ſed etiam in ipſum iam nouum, & hactenus omnibus mortalibus planè orbem incognitum cōmigraſſe; ſic quidem, vt prius ferè ad nouos illos & toto diuiſos orbe Indos, euangelium catholicæ eccleſiæ noſtræ, & iterum dico, noſtræ, & iterum atque iterum dico, Romanæ, peruenerit, quàm de ipſis ad cæteras orbis terrarũ nationes fama aliqua certior perueniſſet. O ſpeciem, Chriſtiani, eccleſiæ noſtræ excellentem. Concupiſcit & deficit animus meus in atria eiuſmodi domus domini. Et rerum igitur vniuerſitatem complectitur & locorum. Quid temporum? Etiam temporum quoque. Cùm enim cæteras ſectas omnes heri & nudiustertius naſci, imò indies etiam & oriri videmus & occidere, tum eccleſia quidem catholica, noſtra hæc, inquam, qua libenter continemur, eccleſia Romana, origines ſuas, iam inde ab Apoſtolorum, atq. adeò ab veterum illorum patriarcharum temporibus repetit, eundem etiam illum vetuſtiſſimæ religionis ac doctrinæ ſuccum & fideliſſimè retinet, & per omnes temporum viciſſitudines conſtantiſſimè conſeruat, ſic, vt vel ex ipſa quoque temporum ratione, iure optimo catholicæ eccleſiæ vim atque appellationem debeat obtinere. Neq. enim nos quidem, qui illis eccleſiæ catholicæ finibus propemodum infinitis continemur, nouam vllam, & recens aut natam, aut partam religionem colimus, non etiam vllam aut parimus ipſi, aut ex aliis concinnamus, quod hæreticorum eſt; qui noſtris his temporibus, in noſtra ferè eccleſia catholica, ex catholicis nati parentibus, cùm in alia baptizati, in alia educati ſint, in alia deinde viuunt, &

Ecclesia catholica.

in alia denique moriuntur. Ita eſt fluxa & caduca omnis hæreticarum ſiue religionum, ſiue eccleſiarum ratio. Nos autem. Cùm dico, nos, primùm nosipſos qui viuimus, intelligo, deinde verò & patres, & auos, & proauos, & abauos, & atauos, & maiores etiam noſtros omnes, quorum ſatu, ſiue mundo huic, ſiue deo mundi auctori, generati ſumus· Nos igitur, inquam, iam inde à temporibus, vt dixi, Apoſtolorum, eiuſdem religionis catholicæ temporibus, in eadem eccleſia catholica naſcimur; nos cum maioribus omnibus noſtris chriſtianis, in hac ipſa eccleſia ſemel nati, nos in eadem illa Chriſto domino per baptiſmũ initiati, hactenus in eadem viuimus; nos denique omnes, omnes, inquam, non magis adeò cum maioribus, quàm cum poſteris etiam ipſis noſtris, perfuncti huius vitæ ſtatione ac munere, in eadem morimur, nulla apud nos non modò doctrinæ veteris cerimoniarumque Apoſtolicarum mutatione ſubſecuta, ſed eadem planè illa veteri, & hactenus ſalua, & perpetuò vigente religione. Quod enim pro Petro, Romanæ ſedis præſide futuro, rogauit Chriſtus dominus, vt ne deficeret fides eius, in eo profectò ita eſt pro ſua dignitate exauditus, vt non modò dum viueret, ſed vt etiam multò magis ſe vita functo, fides tamen eius viuere ac vigere videretur. O ſpeciem Chriſtiani eccleſiæ noſtræ excellentem. Ac tantam quidem eſſe & doctrinæ & eccleſiæ catholicæ antiquitatem, diuturnitatem, conſtantiam, mirum videri non debet, cùm ea, præter illa, quæ hactenus dicta ſunt, de rerum & locorum, & temporum vniuerſalitate, etiam rationum eiuſmodi vniuerſalitatem adhibeat, in tradenda & propaganda doctrina ſua ſalutari; quas rationes omnium communiſſimas, vt diximus, & in omni profeſſionis genere maximè vſurpatas, atque ideò etiam perpetuas eſſe, nemo eſt quin agnoſcat. Ita enim ſcriptũ ipſum ſequitur, vt duobus ſcriptis in ſpeciem contrariis ſeſe offerentibus, ſemper aut magis perſpicuum amplectatur, aut

verò vtrumque commoda interpretatione leniat atq. moderetur; interpretatione, inquam, hausta, non ex vnius, duorúmue, ſed ex communi aut omnium, aut ſaltem pluriũ, aut certè ſapientiorum ſententia, vel potius cõſenſu. Communem autem quoq. ipſam eiuſmodi ſententiam, vel conſenſum, non vnius alicuius hominis priuata opinione, ſed vel conſuetudine ipſa, vel certè recepta, ſiue magiſtratus ipſius, ſiue adeò conciliorum œcumenicorum, auctoritate metiatur. Ita ſanè, vt ſi quis fortè hanc, qua ad eum modum noſtra vtitur eccleſia, ratiocinationem vniuerſalem eſſe inficiari auſit, is nullam planè aliam ratiocinationem vniuerſalem poſſit vſpiam, in omni ſcientiarum genere reperire. O ſpeciem eccleſiæ catholicæ excellentem. Longum ſit, ſi ſingula coner vlterius explicare, ſed certè ita eſſe, vt dico, res ipſa loquitur. Ex quo patet, meritò eam eccleſiam & vniuerſalem eſſe, & tot ſæculis firmam atque ſtabilem permanere. Quæ quidẽ ad omnia, illud accedit denique, quòd ea ipſa, ita idem illud vniuerſalitatis ſuæ nomen maximè tuetur, [illegible] nullis etiam præterea perſonis mortalibus ſit alli- [illegible] enim à ſuis partibus, tantam & habeat, & habuerit ſemper copiam hominum clariſſimorum, ſiue potentiam quis ſpectet, ſiue doctrinam & eruditionem eorum, vt vel hac ſola propemodum re, ſi deſint cætera, meritò ſibi catholicæ nomen eccleſiæ vendicare poſſe videatur; cùm ab eo ipſo tempore, quo Chriſti euangelium in orbe terrarum primùm inſonuit, omnes propemodum viri, ſiue probitatis, ſiue doctrinæ, ſiue adeò honorum etiam opinione præcellentes, (monſtra modò quædam & portenta naturæ excipio) omnes, inquam, eiuſmodi, ab ipſius noſtræ eccleſiæ Romanæ partibus fuiſſe, hoſtibus autem eius & inimicis, omnibus ſuis viribus reſtitiſſe videantur. Tot doctores ſancti, tot Epiſcopi, tot Duces, tot Reges, tot Imperatores, tot Pontifices Maximi. Et tamen ex tanto eorum numero, de quorum clariſſimis nominibus, ſuam eccleſiæ ipſi noſtræ

appella-

Ecclesia catholica.

appellationem desumere, non turpissimum profectò futurum fuerat, nemo vnus ita honoratus, nemo tantopere adamatus, nemo planè illi tam formidolosus extitit, vt ex eius vnius nomine nominari se permiserit, appetierit, sustinuerit, aut verò etiam vita & salute illius, salutem & incolumitatem suam contineri existimauerit; quod vtrumque conciliabula ipsa hæreticorum, & faciunt quidem, dum de suorum auctorum nominibus denominationem accipiunt, & experiuntur, dum eorum interitu, ipsa quoque ad interitum deducuntur. O speciem insignem, Christiani, ecclesiæ nostræ. Quo minus mirandũ est, si ea ipsa, quæ tot illustrium virorum ac principum nominibus vti noluit, ad suam ipsius appellationem conformandam, de fece illa hominum plebeiorum & factiosorum haurire nunquam voluerit: vt aliquid videlicet, vel olim cum Arrianorum, Pelagianorum, Manicheorum, Donatistarum, vel nunc etiam multò magis cum Viclefistarum, Hussitarum, Luteranorũ, Zuinglianorum, & cæterarum eiusmodi pestium, cognomine atque appellatione, commune habere videretur. Non diu est, cùm incredibilis quædam hæreticorum prauitas, Papisticæ appellationem cœpit illi affingere. Quæ quidem appellatio, etsi planè neque probrosa per se est, (Paparum enim appellatio honoris semper, nõ contumeliæ causa fuit vsurpata) & præterea, cùm non ex vna quapiam persona priuata, sed ex Episcopo & pastore ecclesiæ vniuersalis desumpta sit, omninò inter priuatas denominationes censeri non potest; tamen ne hac quidem appellatione eiusmodi, tum satis honorifica, tum ab omni singularitate aliena, vtendum sibi esse ecclesia ipsa nostra existimauit vnquam, contenta hucusque, tum christianæ, vt est in Actis Apostolorum, tum catholicæ, vt est in symbolo eorundem, nominibus quàmlatissimè patentibus appellari. In priore enim, propter eius ipsius mentionem, quem deus posuit caput super omnem ecclesiam, ipsius etiam omnis ecclesiæ,

 Id autem

Ecclesia catholica.

id autem est, reliquorum omnium membrorum eius, & totius adeò corporis eius, simul videtur fieri mentio; in posteriore autem catholicæ ecclesiæ vocabulo, omnes omnium hominum personæ, ætates, sexus, nationes, vnius ac eiusdem fidei, & amoris mutui conspiratione copulatæ, liquidius etiam multò esse videntur compræhensæ. Quam quidem eiusmodi personarum vniuersitatem, quemadmodum ipsa illa ecclesia nostra, Apostolici maximè muneris functione, solet in vnum congregare, ita rursus functionem eiusmodi, vel sola illa perennitate successionis, studet planè in perpetuum tueri ac conseruare, quòd pro patribus ipsis, assiduè nascantur illi filii: quos ipsa in demortuorum parentum loca, continuata successione substituit, „ &, vt Dauid inquit, principes constituit super omnem terram; atque ad eum modum quidem, non solùm catholicam se esse, vt modò diximus, sed etiam, quod statim dicemus, Apostolicam ecclesiam demonstrat; dogmataque adeò ipsa sua, diuina esse, & diuinitus reuelata, vera etiam & in semetipsis iustificata, abundè declarat & ostendit. Opinionum enim humanarum commenta delet dies, veritas autem domini manet in æternum. Audisné hæc, ô nuper nata, ô nondum adulta, ô nunquam omninò nec staturæ iustæ capax, nec ætatis: sed veluti vitiosus quidam frutex, sic humili semper & ad terram abiecta, & nescio quomodo contorta ac compressa, & omninò in omnibus malè fausta specie ac figura infamis: ô denique & semper, & citò sponte tua ad interitum ipsum vergens: ô postremò, quod vtique extremum interitus tui solatium videri poterat, omnis planè successionis expers, hæreticorum synagoga? Audisné hæc? Videsné ô misera, hinc quidem si spectes, veram ecclesiam, nisi vniuersalem esse non posse; illinc autem à parte altera, ecclesiæ tibi vniuersalis non modò rem, sed ne appellationem quidem posse vlla ratione conuenire? Excipit synagoga, & ait. Quid vobis ipsis? inquit; conuenitné

 Ecclesia catholica.

uenitné vniuersalis ecclesiæ siue res, siue appellatio? Ego verò maximè conuenire iam ostendi satis. Sed quoniam iterum atque iterum quæris, iterum tibi atque iterum pro ecclesia nostra respondebo; & respondebo, vt opinor, sic, vt hoc etiam ringare magis, & si vis, vt etiam siue rumpare ac moriare, siue adeò, quod ego omninò mallem, à via tua mala conuertare. Nonne legis apud Augustinum, tam certam esse catholicæ appellationem ecclesiæ ipsi nostræ, vt si in vrbe aliqua, rogentur ab homine peregrino singuli " hæretici, de loco, vbi ad catholicam conueniatur, nullus " ex iis tam perfricta fronte futurus sit, qui suas, aut cætero- " rum hæreticæ factionis hominum ædes, ausit pro catholi- " cis ædibus digito designare? Igitur non catholici omninò " estis vos. Quod enim contra vos, vestro ipsorum testimonio, testimonium validius possum adducere? At, qui sunt tandem catholici, vestra etiam ipsorum confessione? Euoluite, euoluite libros vestratium, elegantiorum præsertim, & aliqua saltem modestia ac verecundia præditorum: reperietis, in his eorum libris, toties penè nobis, ego autem dico, nobis, non vobis, catholicismum, hoc autem est, vniuersalitatem attribui, quoties partium vtrarumque, in hac contentione, distinctio minimè odiosa, erat facienda. Satin' est? Ne sit satis à modestis viris & grauibus testimonium petere; petamus etiã scilicet à facetis. Repetite igitur hoc loco memoria, illos quoque hominum vestrorum cachinnos, & sales in ecclesiam ipsam nostram, ab vrbanis illis hominibus vestris, acutè scilicet & assiduè coniectos; nonne comperietis, in ipsis quoque eorum probris, non dubiè, eius, quam quærimus, vestigia veritatis? vbi Cacolycos nos, ad catholicorum videlicet nominis contumeliosam imitationẽ, semper fuisse appellatos videbitis. Nos igitur, & faceti & inficeti illi vestri, catholicos appellabũt; vos, qui neutrum profectò estis, & alterutrorum tamen sententiæ stare necesse habetis: vos, inquam, aut negabi-

 tis, aut

tis, aut assensum sustinebitis? Vos verò, si sapitis, nostram hanc ecclesiam catholicam agnoscite, ad eamq́ue equis, quod dicitur, & velis contendite; priuata illa vestra conciliabula, cane peius oderitis & angui.

CAP. VIII.

Ecclesiæ Apostolicæ consideratio: quæ est in successione.

Quartum saxum fundamenti ecclesiastici est, Apostolicam ecclesiam esse.

Ea res ferè in successione consistit.

Successionis ecclesiasticæ vis & vtilitas.

1. *Vt vnde vera doctrina petenda sit, sciamus.*

Loci aliquot scripturæ explicantur. De Magis.

De Maria peccatrice.

De Maria matre dñi.

Ostenditur, vtilitatem hanc, propriam successionis esse.

2. *Vt nos ab ignobilitate religionis facilius defendamus.*



Tque hoc quidem, quod modò attigimus, de filiorum in vices parentum substitutione, præcipuum quendam, mea sententia, vsum habet, ad veram ipsam ecclesiam inuestigandam. Neq. enim facilè dixerim, quænám sit res alia æquè præstans, & ad id quod agimus, æquè efficax, quàm si quis illud assiduè, non magis mente promtum gerat, quàm ob oculos positum intueatur, quod nos in hac interiorum christianæ, & huic oppositæ Satanicæ ecclesiæ notarum, & quasi fundamentorum comparatione, quartū esse voluimus; quòd ecclesia ipsa, præter cætera, quæ suprà exposuimus, eadem & est, & dicitur

 Eccl. Apo. successio.

citur APOSTOLICA; hoc autem est, quòd successionem quandam continuatam iam inde ab Apostolis, ad viuum, vt sic dicam, potest in seipsa demonstrare; successionem, inquam, non magis certorum hominum in loca & cathedras ac Episcopatus ab Apostolis institutos, quod quidem ipsum etiam per se magnum est, quàm doctrinæ suæ in doctrinam ipsam Apostolorũ, quæ apud Episcopos ipsos, nec ferè alibi, deposita omninò extitit; qui etiam ipsi deinde, mittendis quaquauersum in vices suas, ac per manuum impositionem ordinandis præsbyteris, doctrinã ipsam Apostolorum, & vicaria quasi ac delegata eorum opera, per totum terrarum orbem disseminauerunt, & eandem, sua quidem in præsbyteros auctoritate, præsbyterorum autem vicissim erga se obedientia, integram ac incontaminatam hucusque conseruarunt. Quid iuuat ea consideratio successionis, inquis? Permultum equidem. Ibi enim profectò vnumquodque reperiri verisimilius est, vbi reconditum est, quàm ibi, vbi nunquam est, neque conditũ, neque positum. Vt enim ii, qui in arte disserendi versantur, locum aiunt esse argumenti sedem, ita nos, qui certam ac firmam doctrinã de Deo quærimus, successionem hanc Episcoporum, sedem esse veræ & Apostolicæ ipsius doctrinæ existimare debemus; sic, vt eam quidem non aliunde, quàm ab iis Episcopis, qui in Apostolorum loca successerunt, hauriendam esse censeamus. Nam cùm omnibus in vniuersum sacerdotibus ita demandata sit diuinitus custodia scientiæ salutaris, vt eam populus scilicet ex ore eorum requirat; tum verò nominatim eadem hæc ipsa scientia, tanquam peculiare quoddam depositum, eorum fidei credita est, qui ab Apostolis semel instituti, succedere sibi, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii debuerũt; & ita quidem credita, vt depositum eiusmodi, omni adhibita cautione, diligenter non solùm sibi asseruarent, sed, vt Paulus Timotheo præcipit, etiam aliis custodirent. At

 non cu-

non custodierunt, inquis. Primùm. Quis mihi id persuadet? deinde verò etiam, quis me eius rei iudicem constituit? Nam, vt de primo primùm loquar, dicite obsecro, mortales quotquot estis, quis nobis alius scripturas, cerimonias, sacramenta, sacrificia: breuiter, tam doctrinam, quàm vitam euangelicam, ab ipsis Iesu Christi Dei nostri temporibus, ad hæc vsque tempora conseruauit, quàm Apostoli, & Apostolici viri Apostolorum successores? Quis hæc alius, secundum Apostolorum quidem & Apostolicorum virorum tempora, in ipsum terrarũ orbem propagauit, quàm Apostolorum successores? Quis hæc aliquantò pòst, ad Gallos, Germanos, Anglos, Scotos, Saxones, Boëmos fratres nostros, atque adeò ad nos etiam ipsos Polonos, alius detulit, quàm Apostolorum successores? Quis hæc denique alius, nouissimis istis nostris temporibus, ad has, toti olim antiquitati incognitas, Indias nostras nouas deportauit, quàm Apostolorum successores? Dicite vos, qui primi omnium in Polonia, non sobrii, vt ille ad euertendam rempub. sed Luteranico veneno fœdo imbuti, ad internitione delendam religionem accessistis; & qui primi, diuinos illos, ac fidelissimos & religiosissimos homines maiores nostros, nulla planè aut religione tangi, aut etiam pietate moueri, docere ausi estis; siue vos Ilsæ, siue Discordiæ, siue Cosmii, siue Crouicii, siue nescio qui alii fuistis. Dicite, inquam. Quis in Poloniam, biblia nostris hominibus cathechizandis importauit? nonne Apostolorum successores? quis ea ipsa, vestri similibus hæreticis confutandis conseruauit? nonne Apostolorum successores? Quis doctrinam euangelii apud nos, quis ecclesiarum traditiones, quis solennes sacramentorum ritus atq. cerimonias, Iesu Christi fouendis in Polonia ouibus custodiuit? nonne Apostolorũ successores? Albertus primùm, qui ex nostro Archiepiscopatu Gnesnensi, inter diuos relatus est: & post eum Gaudentius, Hippolytus, Bossuta, Stephanus, Petri duo, Martini duo, Iacobi tres,

 Eccl. Apo. successio.

bi tres, Ioannes octo, Nicolai duo, Vincentii duo, Borislaus, Hæroslaus, Bozenta, Dobrogostius, Vladislaus, Sbigneus, Fridericus, Rosa, Lascius, Dreuicius, & cæteri, qui in Gnesnensi nostra Archiepiscopali sede, eorum loca deinceps tenuerunt, vsque ad ipsa maiorum nostrorum tempora? Post illa autem tempora, dicite, quis omnem vim doctrinæ diuinitus inspiratæ, & viui illius ac maximè efficacis sermonis dei, aduersum vos & successores vestros, hæreticos, in Polonia vibrauit atque expediuit? Nonne Apostolorum & Apostolicorum illorum virorũ, in eadem Archiepiscopali sede successores? Critius, qui vestram hæresim scriptis etiam suis oppugnauit, Latalitius, Gamratus, Zergouius, Prærembius, Vchanius; qui omnes audaciam vestram auctoritate sua sæpe compresserunt? Quorum ipsorum insistens vestigiis, is qui nunc eandẽ sellam honoris Archiepiscopalis obtinet, Stanislaus Carncouius, luculẽtis suis, tum in ecclesia contionibus, tũ in senatu sententiis, & nefarios vestros in dei ecclesiã impetus egregiè coërcet, & doctrinam peruellit: non sine consentientibus ad omnia studiis & operis reliquorum cõsortium & collegarũ suorũ. Io. Demetrii Solicouii Archiepiscopi Leopoliẽsis. Petri Miscouii Episcopi Cracouiensis. Hieron. Comitis Rosraseuii Vladislauieñ. Georgii Ducis Radiuili Vilneñ. Lucæ Coscelecii Posnanieñ. Petri Dunini Volscii Ploceñ. Martini Cromeri Varmieñ. Victorini Virbicii Luceorieñ. Ioannis Borucouii Præmislieñ. Georgii Gedrocii Samogitiæ, Petri Costcæ Culmeñ. Adami Pilchouii Chelmeñ. Martini Balobresii Camenecẽñ. qui sunt hodie in Polonia Apostolicorum illorum virorũ successores. Dicite, dicite, inquã, vos Ilsæ, Crouicii, Cosmii, Discordiæ; Dicite, & ad ea quæ rogamus, respondete. Aut verò quoniam isti, de quibus loquimur, vestratium hæreseon patriarchæ, mortui sunt, dicite vos ipsi saltem, qui viuitis hæretici, hæreticorum illorum hæredes & successores. Dicite, dicite. Vndénam illi ipsi

Eccl. Apo. successio. An ipsi patriarchæ vestri hæretici, biblia, quibus aduersus ecclesiam, pessimo suo consilio vterentur, acceperunt? nonne, vt dicimus, ab Apostolorū successoribus? Inficiari nō possunt (interdum enim ferunt nō obscurè: & cùm primum ipsi, ad omnia in ecclesia subruēda accederet, biblia ipsa sub scamnis præsbyterorum nostrorum delituisse vociferantur) verbo tamen assentiri recusant. Quid igitur faciam, homo, in re clarissima, testimoniis destitutus, & vestro viuorū, & illorum quasi minorum gentiū, vestrorum inter nos patriarcharū mortuorū? Quid faciam? Tu quæso, Martine Lutere, qui nec viuus es, in frusta concerptus à tot successoribus tuis, nec mortuus: viuis enim, quanquam admodum miserè, in iisdem illis qui te discerpserunt. Tu igitur, cui nonnunquam inuito solet verum ipsum erumpere; tu, tu, inquam, homo liber atque ingenue, adiuua hanc veritatem nostram testimonio tuo, &, quod soles, tuo teipsum gladio iugula. Quæro igitur abs te, sic, vt omnes homines possint exaudire. Quis tibi, Martine Lutere, homini & nato & facto ad interitū & occasum ecclesiæ Christi, biblia sacra suppeditauit? illa, inquam, biblia, quibus tu, cùm saluis & integris, ad tuam ipsius & multorum salutem vti potuisses, ad tuum arbitrium & cauillationem detortis atque deflexis, ad tuam, & multorum aliorum perniciem abuti maluisti? Sed tamen, quis ea tibi suppeditauit? Nonne Apostolorum successores? Quis baptismum, pœnitentiam, cætera sacramenta, ad tuam vsque ætatem, à prima ipsa in his regionibus fundatiône christianismi, custodiuit? nonne Apostolorum successores? Quis doctrinā ipsam christianam conseruauit? nonne Apostolorum successores? Si negas, obsignatis tabellis agam tecum. An enim non hæc sunt tua verba, in tuo quodam libello ad posteritatis memoriam consignata? Atque hîc equidem adeste mortales, & singularem hominis, non tam in exprimendis animi sensibus eloquentiam, quàm in catholicā deseren-

Apostolica successio.

deserenda ecclesia prudentiam, attendite. A Papa, inquit Luterus, totam scripturam, & prædicandi officium habemus. fatemur enim sub Papatu plurimum esse boni christiani, imò omne bonum christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Est enim ibi vera scriptura, verus baptismus, verum sacramentum altaris, veræ claues ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verus catechismus; in summa, verus nucleus christianitatis. Papè, hæccine sunt Luteri verba? Papæ igitur, Lutere, qui sunt successores Apostolorum, hæc omnia tibi verè, vt quidem ipse fateris, conseruarunt; & me existimare vis, ea mihi filio à patribus ipsis inuideri, quæ tibi, hosti atque inimico capitali, tam prolixè, & tam liberaliter ab eis communicata sunt? Nimirum ecclesia catholica, vt se benignissimi patris illius, qui in cœlis est, hæredem esse, omni, qua potest, ratione declaret & ostendat, solem quoque & ipsa suum oriri facit super bonos & malos, & pluit item super iustos & iniustos, depositumque hoc sanctum iis etiam ipsis communicat, quos non ignorat, suis istis bonis, esse aduersus seipsam abusuros. Quid tergiuersaris Luterane, & contra tam apertum magistri tui testimonium, euangeliũ te ab ecclesiæ nostræ præpositis accepisse inficiari conaris? Atqui Augustinus multò verior religionis catholicæ doctor, & matris quoque ecclesiæ obseruantior filius, plus etiã illi aliquanto tribuit. Non enim sic solùm dicit, Euangelium non haberem. Sed, Euangelio, inquit, non crederẽ, nisi me ecclesiæ auctoritas commoueret. At cuius tandem ecclesiæ? Aude dicere, tuæ: si tua synagoga fuit temporibus Augustini. Facilè igitur teneo, quod volui, Apostolorum nimirum successores, hoc autem est, Papas, & catholicæ nostræ ecclesiæ præfectos, vsque adeò depositum illud diuinum custodiuisse, vt ipsis etiam inimicis suis, isti, dico, genimini viperarum, qui, dum ipsi modò aliquâ in lucem erumpant, ipsa materna viscera erodere non dubitant;

Apostolica successio.

tant; his, inquam, ingratissimis & crudelissimis hominibus, fidelissimè illud suppeditare, & quasi lupos, in suam perniciem propriis vberibus alere, nunquam hactenus detrectarint. Certè Ambrosius quoque, (vt iam in ore duorum vel trium stet omne verbum) symbolum Apostolorum, quo non magis præcipua fidei nostræ capita, quàm hæc, in quibus expendendis versamur, veræ ecclesiæ vestigia continentur, ab Romana ipsa ecclesia, semper intemeratum custodiri ait & seruari. Et quidem disertè, ab Romana, inquit: vt facilè inde Papas, eius ecclesiæ præsides possis agnoscere, ad quorum vnū epistolam etiam illam scribit. Quis igitur aduersus res tam claras, vt oculis ipsis cerni, tam solidas, vt manibus prope teneri possint, tam denique certas, & ratas, vt per ipsa etiam hæreticorum ora erumpant, persuaderi sibi patiatur, ea à successoribus Apostolorum custodita non fuisse, quæ orbis vniuersus ex eorum manibus accepit? quæ hæretici, gens inimica, ex eorum scriniis sustulerunt? Verùm demus interim, quod isti volunt, non custodiuisse, aut certè mala fide custodiuisse. quid tum postea? Egóne verò à quoquam aut magister aliquis sum constitutus, cornicum oculis configendis, aut Censor, maioribus meis notatione censoria castigandis, aut iudex, patribus ipsis meis iudicandis, & non modò turpi, sed etiam nulla actione condemnandis? Equidem res ipsa non modò magisterium, censuram, iudiciumué meū non fert, sed ne aduocationem quidem aut patrocinium desiderat; adesse magis iubet ad imperandum, vel ad parendum potius; sic enim antiqui loquebantur. Nimirum filius ego sum, illi patres; ego discipulus, illi magistri; ego „ seruus, illi dispensatores, constituti super familiam domi„ ni, ad suum cuique dimensum opportunè, &, vt ego interpretor, temporum ipsorum habita ratione, tribuendum; „ breuiter, ego sum ouis, illi pastores. Pastoresné igitur à „ gregibus, an contrà, greges à pastoribus pascuntur? quod ait domi-

Apostolica successio

ait dominus. Enunquam, quæso, quisquam oues vidit, pastorem ipsum pascentes, aut alia sibiipsis pabula, quàm, quæ à pastore præberentur, inquirentes? Mihi verò & pasci sufficiat, non etiam pascere; & illud præterea satis esto, quod summus omnium pastor Christus ait. Quicquid demum ii dixerint, qui in cathedram Mosis successerunt, id omne præstari à nobis oportere. In quo ipso, illud etiam, quod dicam, obiter, non sine singulari animorum nostrorum voluptate, animaduertendum pariter ac expendendũ est. Totidem penè verbis asseri hoc loco à Christo domino obedientiam nostrã, erga præfectos ecclesiæ suæ, quot verbis à matre ipsa virgine, assertam fuisse quondam meminimus, obedientiam ministrorum illorum nuptialium in Cana Galileæ, aduersus dominũ ipsum Christum. Quid enim ibi ait mater ad ministros illos de filio? QVODCVNQVE, inquit, DIXERIT VOBIS FACITE. Quid autem hoc loco filius ipse de vicariis suis, ecclesiæ sanctæ præfectis, ad nos omnes? hoc autem est, ad discipulos suos? Verba, vt dixi, totidem. OMNIA, inquit, QVÆCVNQVE DIXERINT VOBIS SERVATE ET FACITE. Potuitné, quæso, aut ad sermonem maternum ipsum, magis accommodatè loqui, quàm locutum esse videmus? aut verò etiam magis sancire imperium ecclesiæ præfectorũ, quàm vti à matre sancitum erat suum? Vt iumentum factus sum apud te, inquit regius propheta. Ergo mihi quidem an pastores nostri depositum ipsum satis fideliter custodierint, nec liquet fortassis, nec adeò inquirendum est; est enim qui inquirat & iudicet; illud liquet, depositum hoc ipsum commendatum eorum fidei fuisse, aliorum non fuisse; me etiam ex illorum ore pendére, & ab eis, omnia quæ ad salutis meæ rationem pertinent, requirere iussum esse. Quemadmodũ igitur Magi illi, qui nato Christo domino ex oriente profecti, magnæ incredibilis suæ pietatis causa, terrarum spacia peragrarũt; dum orbis terrarum domi-

Apostolica successio.

num recens natum quærunt, Hierosolymis de eo percontantur, vbi Deus Opt. & Max. legū oraculorumq́ue suorū sedem ac domicilium tunc esse voluerat ; & quemadmodum Maria, dum eundem illum vita functum ac sepultum dominum, extremo honore prosequi desiderat, ad ipsum, in quo eum condi nuper viderat, sepulchrum rectà gradū facit ; sic ego nunc etiam, si Christum salutis meæ ducem & auctorem, primùm inuenire, deinde autem inuentū tenere cupio, ea sanè loca lustrare inprimis debeo, quæ sunt maximè insignibus ipsius aut testimoniis, aut verò etiam vestigiis, consecrata. In quo etiam, si fortè præter opinionem meam ita acciderit, vt dominum ipsum, neque Hierosolymis cum Magis, neque in monumento cum Maria, reperiam, illud tamen pro eo lucri feram, vt ibi quidem, principes sacerdotum & scribas, hic autē, angelum ipsum, reperiam, qui mihi interim, tanquam exoptata illa in naufragio Cynosura, solis orientis aut obeuntis regiones, ita in mediis illis meis dubitationibus, siue Bethleemum, siue adeò Galileam, certa tunc temporis domini mei hospitia ac receptacula demonstrent, & officium animo illi meo hæsitanti præstent iucundum inprimis atque salutare. Mater quidem ipsa dei, cùm eundem illum quem pepererat, Christum filium impuberem, duodecim annos natum, Hierosolymis per obliuionem reliquisset, non temere huc illuc vagatur, non petit ignota loca vlla, sed cùm illum paulisper inter notos & cognatos perquisisset, neque inuenisset, eandem illam subitò viam redit, & statim filium Hierosolymis, vbi eum reliquerat, hoc etiam magis, quòd inter doctores, audientem illos, & interrogantem illos, inuenisse perhibetur. „ Fratres. quæcumque scripta sunt, ad „ nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & con- „ solationem scripturarum, spem habeamus. Facite igitur, facite. Facite quicquid vultis homines miseri, & omnibus lachrymis dignissimi. Ecce nunc iam prædico vobis. Nisi

Christum

Christum intra eius propria sacrosancta ecclesiæ cubilia quæsieritis; & nisi, vnde paulo antè digressi estis, eodem cum Maria matre eius redieritis, nunquam vbi pascat, nunquam vbi cubet in meridie, cognoscere poteritis, sed vti iam semel, post tot greges infamium & vagabundorũ istorum sodalium ipsius vagari incepistis, ita perpetuò errabitis, & nec viam, nec vitam, nec veritatem reperietis vnquã. Hic, hic apud nos & via, & veritas, & vita deposita est. Hic, hic apud successores Apostolorum & quærenda ea vobis & inuenienda est. Sed vrgent aduersarii, quî fieri possit, vt hæc tanta, successioni isti accepta sint ferenda? Ego verò, quî id fiat, non valde quærendum esse putem, quando rem ita se habere planè videam. Vt enim pugnaciter admodum & per contentionem minimè necessariam facere videretur, qui non prius ignem ipsum, vi calfaciendi præditum esse fateatur, quàm quî id fieri possit, ratione penitus & intelligentia comprædendat, ita planè præfracti, & ad iurgia atque rixas nati hominis esse dixerim, (qualem quidem iurgandi consuetudinem ecclesia dei prorsus repudiat) malle disputando tempus perdere, ecquónam modo fieri possit, vt tanta prærogatiua omnes Apostolorum successores diuinitus ornati fuerint, quàm id fateri, quod verum ac manifestum esse docuimus; vel potius, quàm eo frui, quod ad vsum & vtilitatem nostram diuinitus nobis datum & concessum esse meritò agnoscere debemus. Quanquam etiam si quis quærere amet, ne causa quidem eius rei nimis obscura esse potest, cùm eiusdemmodi exempla in ipsis oculis nostris sint defixa. Constat enim, ne longè abeamus exemplis ad eam rem cõquirendis. Qui honos, quæ commoda, quæ prærogatiuæ, regibus nostris Poloniæ, ipsis etiam adeò Vitembergensibus Burgimagistris vestris, sunt vnquam attributæ, eas ab aliis ad alios, non noua vlla de singulorum magistratu ferunda lege, sed ipso illo successionis in magistratum illum iure atque beneficio deuenire.

Quæro enim, cur Stephanus hic Batorius, quem nuper adeò principem optimum & prudentiſſimum, atque omnibus regiis virtutibus ornatiſſimum, ex Palatino Tranſyluaniæ Regem noſtrum creauimus. Cur hic, inquam, publico totius huius regni noſtri conſilio præſideat: id quod annis ſuperioribus ne ſomniarat quidem? Reſpondes. Quia rex eſt. regibus autem id licere. Cur mandet, cui velit, honores reipub? Quia rex eſt. Cur fruatur vectigalibus & commodis Reipub? Quia rex eſt. Cur vitæ necisque meæ habeat poteſtatem? Quia rex eſt, & omnibus regiis muneribus fungitur. Rex autem quî, inquam? Nimirum reſpondes, in locum regum ſuffectum & inauguratum ſucceſſiſſe. Sed mitto reges, & eodem hoc modo quæro de Burgimagiſtris tuis. Cedò. Cur Volfgangus iſte veſter neſcio quis vrbanam exerceat veſtram iuriſdictionem? Reſpondes. Quia magiſter ciuium noſter eſt. Cur in ius vocet? Quia magiſter ciuium eſt. Cur in carcerem duci iubeat? Quia magiſter ciuium eſt. hæc autem, quæ dixi, magiſtri ciuium ſunt omnia. Vnde autem ei magiſtratus hic ciuium? Nempe, ais, in locum magiſtrorum ciuium ſuffectum eſſe. Itané autē quæſo? Tu verò iam me quoque, quid tibi de ſucceſſione eccleſiaſtica rogitanti reſpondeam, egregiè docuiſti. Quære enim ex me nunc iam tu quoq. Quid ita Gregorius hic XIII. Pont. religioſiſſ. & ſapientiſſ. vniuerſæ eccleſiæ præſideat? Reſpondebo. In promtu cauſam eſſe, quia Petrus eſt, & maximè ad eum pertinet de omnibus ouibus Chriſti. Petro enim profectò dictū eſt. Paſce & oues & agnos meos. Quæres deinde. Quid ita porrò liberè aut cōſtituat paſſim quos velit Epiſcopos, aut quos nolit deſtituat? vel ſaltem non conſtituat certè quidem? Dicam. Quia Petrus eſt. Quid ita vſurpet ſoluendi poteſtatem, & ligandi? Quia Petrus eſt, reſpondebo. Petrus autem quî? inquies. At ego totidem verbis. In locum Petri, dicam, ſuffectum & inauguratum ſucceſſiſſe. Atque hæc eſt ferè prima ſucceſſionis huius in

III. Apostolica successio

ecclesia insignis admodum vtilitas: vt vbi potissimum à vacillantibus interdum ac dubiis nobis quærenda sit ecclesia, scire sine omni controuersia, atque adeò sine difficultate posse videamur. Cui quidem vtilitati ipsi, alteram hāc quoque exaduerso vtilitatem, nihilo, vt puto, priore inferiorem, addamus licet, quòd vti non solùm ad nobilitatem nostram gloriosum, verùmetiam ad legitimi nostri generis demonstrationem, certum inprimis & maximè idoneum non esse non potest, habere domi quasdam veluti maiorum imagines, quibus semper ad certitudinem simul & claritatem nostri generis rectè niti, & ignominiosum illud S. P. quo Romani olim nothos & incerto patre procreatos significare solebant, vitare posse videamur, ita necessariò fatendum est, nos, qui successionem hanc in ecclesia nostra, ceu quasdam maiorum nostrorum imagines, tenemus ac tuemur, facilè præ cæteris omnibus, legitimum ac nobile genus nostrū in religione christiana, & tenere ipsos ac tueri, & ab aliorum etiam calumniis posse vindicare. Eorum enim videlicet progenies, & posteri, atq. adeò hæredes sumus, qui viderūt ipsi & audiuerunt, deque ipso visibili illo diuino verbo manibus suis contrectauerunt: vt hoc nomine certior ad nos earum rerum hæreditas deueniret, quarum in verissima possessione patres ipsi & maiores nostri extiterunt, ad quos ipsos ita os ipsum domini locutum est, vt ab ipsis deinde ad alios, eorum omnium mysteriorum possessio deueniret, quæ ad ipsos quondam ore ipso Dei veri & æterni, coràm voce viua promulgata fuerunt. Cuius sanè hæreditatis cretionem, Dauid etiam ipse in seipso apertè agnoscere videtur, cum ita in psalmo loquitur. Hæreditate, inquit, acquisiui testimonia sempiternæ legis ac voluntatis tuæ, domine: & acquisiui quidem, inquit, non mihi tantum, sed etiā posteris, & in eodem genere hæredibus ipsis meis in æternum. In ea igitur ecclesia, quæ sola hæreditate ac successione tam locuples est, libenter per-

Successio apud hæretic. nulla

ter permaneamus, vel si quid ab ea digressi sumus, ad ipsam nos certè primo quoque tempore rursus referamus.

CAP. IX.

Successio Episcoporum nulla apud hæreticos, ac ne missio quidem: ex quo inuisibilis ecclesia.

Successioni in ecclesia opponitur Neglectus successionis apud hæreticos, & Missionis simul.

Nullam esse successionem apud hæreticos.

Caput successionis Missio est: qua carent hæretici.

Atque ideo audiri non debent.

Locus Apostoli. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt.

Hæretici, cum Successionem & Missionem ostendere non possent, necessariò finxerunt ecclesiam inuisibilem.

Ecclesia inuisibilis hæreticorum refellitur.

Loci scripturæ explicantur. Euang. Dic ecclesiæ.

Psal. In sole posuit tabernaculum suum.

Philip. λόγον ζωῆς ἐπέχοντες.

Euang. Nō potest ciuitas abscondi &c.

Concluditur, Illam potius ecclesiam agnoscendam esse, quæ fundamentis nitatur, quàm quæ ipsis careat.



I possent, saltem successionem hanc, aduersariorū administri, in se ipsis vtcunque demonstrare, quosnám, quæso, spiritus sumerent? quos triumphos agerent? aut verò quem tandem nostrum non iustissimè ad suam illam factionē trahere, atque allicere viderētur? Nunc quis est, qui nō miretur, homines nullis natalibus insignes, nullis propemodum ortos maioribus, & breuiter, terræ filios, tan-

Succeſſ[illegible] apud hæretic. nulla

lios, tantam familiam ducere? Cupio, inquit Tertullianus, oſtendant mihi, ex qua auctoritate prodierint, edant origines eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel ex iis qui fuerunt cum Apoſtolis, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim, inquit, modo, eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, &c. Sic ille de Apoſtolicis eccleſiis. At noſtri quidem iſti, pugnent quantum volent, licet; neruos etiam, ſi videtur, intendant omnes, ſe ipſos denique in quaſlibet formas vertant, non modò tamen origines ſynagogarum ſuarum, Apoſtolicis eccleſiis æquales non edent, ſed ne auctoritatem quidem vllam, ex qua ipſimet prodierint, poterunt vnquam, quod ſatis ſit, demonſtrare. Nam à vetuſta quidem illa Apoſtolica ſucceſſione tantum profectò abſunt, vt ne nunc quidem noſtris hiſce temporibus, legitima via ingrediantur ad ſtadium illius ſucceſſionis ritè aliquando conficiendum. Quæ eſt enim via legitima Apoſtolicæ ſucceſſionis? Mitto interim reſpondere cætera, quæ in hoc genere non abſurdè fortaſſis dici poſſe viderentur; ſunt enim, vt puto, alterius & loci, & temporis; illud dicam, quod & breuiter, & verè, & omninò ſine controuerſia, ſemper poteſt, & ſanè hoc loco non ſolùm poteſt, ſed etiam debet, reſponderi. Caput eius viæ, de qua loquimur, neceſſariò ſcilicet non aliunde quàm à miſſione ipſa repeti oportere. Quæ malùm eſt, inquies, iſta miſſio? Apagè. ego verò illam dico miſſionem, de qua ipſum etiam Apoſtolorum Græcum nomen planiſſimè eſt ſumptum; & de qua item extat illud præclarum admodum Pauli elogium, in ea ad Romanos. QVOMODO PRÆDICABVNT, inquit ille, NISI MITTANTVR? Eam ego miſsionem, ceu caput & originem quandam totius eius viæ, ſine qua ſucce[illegible] Apoſtolica confici non poteſt, ſpectari inprimis dico oportere. Qua quidem [illegible]os miſ-

 ſione

Miſſio nulla apud hæretic.

ſione cùm omninò careatis, omninò etiam non modò ſucceſsionem & progreſſum Apoſtolicum non tenetis, ſed ne initiũ quidem ipſum progreſſus aut ſucceſsionis Apoſtolicæ, rectè capeſsere poteſtis. Cùm enim ea miſsio ſit initiatio ipſa, & primus, vt oſtendimus, aditus ad Apoſtolicam exercendam functionem, dabitis mihi, credo, interim hanc veniam, ſi, quod rebus addico maximè neceſſariis, idem verbis quoque pronuncio, vos, quanquam vobis omnia audaciſsimè vendicetis, tamen ſine hac miſsione, &, vt dico, initiatione, ne initium quidem habere eius curſus, qui „ in Dei eccleſia conficitur, ſpecioſis illis pedibus euange„ lizantium pacem, euangelizantium bona. Quam enim, quæſo, miſsionem, veſtris iſtis conatibus, veſtris auſis temerariis, veſtræ iſti incredibili licentiæ, vultis, aut verò etiam poteſtis prætendere? illamné, obſecro, quæ eſt, via & ordine hoc noſtro vſitato, vt vos miſſos fuiſse ad nos perhibeatis, ab aliquo viſibili, legitimo, ordinario magiſtratu? an verò potius illud dicitis, vos neque ab hominibus, neque per homines, ſed diuinitus planè ad nos, amandatos fuiſse, nec ordine cõmuni, nec ratione prorſus noſtris temporibus vſitata? An ne hoc quidem contenti, non vos homines ex hominibus natos, ſed ſic cœlitus in orbem ipſum terrarum, tanquam Diopetas quoſdam, ſubitò delapſos, vultis perhiberi? An quid eſt præterea? Quod ſi nihil eſt, vt certè nihil eſſe poteſt, tunc ſi vos quidem aut cœlitus profectos, aut ſaltem diuinitus miſſos eſſe dicitis, diuinæ ſanè iſtius ac cœleſtis veſtræ, ſiue miſſionis, ſiue adeò originis, fidem nobis faciatis neceſſe eſt, iiſdem illis diuinis & admirandis editis operibus, quæ cœleſtem nobis originem veſtram apertiſſimè repræſentent, quæque adeò in omni ætate ſeculorum omnium, omnes extra ordinem diuinitus miſſi legati, ſecum quoquouerſum afferre ſemper ſolebãt. Hæc ſunt enim indicia & notæ quædam inſignes, eorum, qui non ab hominibus, neque per homines, mitti ad homines con-

Missio nulla apud hæretic.

nes consueuerunt. Sin autem ad viam & rationem inter homines vsitatam confugitis, quam vobis fortè arrogetis, tum aut ipsi planè fateamini oportet, missos vos non esse, cùm vel à nullo reuera hominum missi sitis, sed vos ipsi vltrò ingesseritis, vel, si ab aliquo missi estis, ab iis demum missi sitis, qui, cùm ipsi antea missi non fuerint, vel non ad mittendos alios misi fuerint, mittendi certè vestri facultatem nullam habuerunt; aut verò, si, missos vos non esse, fateri non vultis, imò contrà, missos esse, omnibus persuadere studetis, videte quæso, ne ad misionis eiusmodi vestræ fidem astruendam, non satis omninò sit, vos ex nobis prodiisse, nisi etiam ex nobis fueritis. Quid est autem, ex nobis fuisse, nisi nobiscum permansisse? vti sanè egregiè beatus Ioannes Apostolus, in eo, quem suprà exposuimus, suæ epistolæ canonicæ loco interpretatur. Quod cùm ita sit, equidem si nostri isti missos se esse videri volunt, ante omnia, non modò videant, vtrum ex nobis prodierint; in probris enim id potius, quàm in laude duci solet; sed etiam, idque multò magis, an ex nobis fuerint, hoc autem est, an nobiscum permanserint; deinde verò, & se, & nos, omnibus illis incommodis expediant, quibus, vt dixi, suam hanc misionem maximè exagitari ac vrgeri intelligunt. Sin autem, quod extremum est, totam hanc misionis rationem contemnunt, & pro nihilo ducunt, tum & nos quidem eos contemnamus, ac pro nihilo ducamus, & ipsi, desinant iā tādem vllum penes se progressum aut succesionem Apostolicam iactare, sibique adscribere, quando initio quidem Apostolico, quæ ipsa est missio, planissimè destituuntur. Sic enim ait Christus ad Apostolos. «ECCE EGO MITTO VOS. Et alibi. «SICVT MISIT ME VIVENS PATER, «ITA ET EGO MITTO VOS. Illud autem profectò constare inter omnes existimo, qui non procedat, id autem est, qui non incipiat Apostolico more atque modo; quique etiam deinde cùm processerit, non succedat, aut non progrediatur

 grediatur

Missio nulla apud hæretic.

grediatur modo atque more eodem, ab eo mehercule finem Apostolicum frustra vnquam sperari, aut expectari. Quæ est igitur per Deum immortalem, tanta animi nostri cœcitas atque insania, vt, cùm dux nobis & auctor quæratur, ad patrum nostrorum sanctorum vestigia persequenda, & ad eandem aliquando metam cursu nostro contingendam, ad quam illi olim, ex his nostris carceribus euolauerunt, eorum tamen potissimum in hoc genere auctoritatem nobis sequendam esse arbitremur, qui non modò quò nos tandem perducant, quicquam pensi non habent, sed ne illud quidem curant, quò ipsi perueniant; &, quod maius est, non qua semita pergant, non etiam, quam saltẽ insistant viam, admodum considerant; cœci ipsi, & cœcorum duces, atque adeò ne duces quidem. Quid dico, duces? ne homunciones quidem; quando non ducem à quo missi fuerint, non auctorem à quo profluxerint, idoneum vllum edere; dicam amplius, non, ne illud quidem, quid sit, Ducem esse: non, ne an sit quidem vspiam Dux & auctor vllus, satis docere posse videantur. Mihi verò sanè Christus ipse eos potissimum nobis ad cauendum tanquã digito mõstrasse videtur, dum illis maximè seriis verbis ad nos vtitur, quorũ antea quoque facere mentionem cœpe-
" ramus. ATTENDITE, ATTENDITE, inquit, A FAL-
" SIS PROPHETIS, QVI non mittuntur, sed vltrò ipsi AD
" VOS VENIVNT, vobisque se obtrudunt. Hi sunt enim illi, quos ipsos totidem penè verbis designat Hieremias propheta in persona Dei. Currebant, inquit, & ego non mittebam eos. Ergo, vt hunc tandem sermonem aliquando concludamus, neque ipsi, cum missi non sint, Apostoli esse possunt, neque nos, si eos audiamus, fideles esse vlla ratione poterimus. Pulchrè enim colligit Paulus, dum
" ita gradationem illam suam instituit OMNIS, inquit, QVI
" INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT.
" QVOMODO AVTEM INVOCABVNT, IN QVEM

NON

Inuisibilis ecclesia hæretic.

NON CREDIDERVNT? AVT QVOMODO CREDENT, CVM NON AVDIERINT? QVOMODO AVTEM AVDIENT, SINE PRÆDICANTE? QVOMODO VERO PRÆDICABVNT, NISI MITTANTVR? Ex quo sequitur, vt, nisi eos habuerimus, qui ad nos mittantur, neque prædicatores sanè habere, & quæ huius cõsequentia sunt, neque audire salutare quicquam, neq. credere, neque nomen domini inuocare, neque adeò salui esse posse videamur. Tantum est in hac missione momenti constitutum. Qua missione dum carent isti, illam etiam profectò perennem successionis Apostolicæ, de qua diximus, continuationem habere non possunt. Quibus duabus orbati rebus, ad demonstrandam quidem ecclesiam summè necessariis, hoc ipso sanè confiteri perquàm necessariò cogebantur, si modò vera dicere volebant, ecclesiam penes se esse nullam. (Quibus enim rebus opinionem præsentis apud se ecclesiæ tueri debuissent, quibusq́ue adeò indiciis, si quis pressius vrgeret, demonstrare eam potuissent, his qui eam legitimis quasi insistentes vestigiis inuestigassent, iis ipsi omnibus præsidiis prorsus se esse intelligebant destitutos.) Verùm cùm nondum vsque adeò desiperent, vt quæ sibi rebusq́ue suis maximè nocitura viderentur, iis se ipsi vltrò alligarent, & apertè atque ingenuè, nullam apud se esse ecclesiam faterentur; quid fecerunt? viam atque rationem excogitauerunt, subtilem, vt ipsis videtur, & totam tectam, beneq́ue dissimulatam, qua studia inquirentium ecclesiam, penitus ab instituto dimouerent, potius quàm se in eiusmodi necessitatem conicerent, demonstrandi apud se ecclesiam, quam nulla possent ratione demonstrare. Quam igitur in eo viam & rationem iniuerunt? Ecclesiam esse minimè aspectabilem asserere cœperunt; vt si quis vnquam, eius videndæ atque cognoscendæ cupidus, ostendi eam sibi, & ab ipsis eorum cœtibus atque conciliabulis exhiberi flagitaret, is se

Inuisibilis ecclesia hæretic. nodum ſcilicet in ſcyrpo quærere, & rem quæ reperiri non poſset, fruſtra conſectari intelligeret. Totam igitur inuiſibilem, vt dixi, id autem eſt, remotam ab hominum ſenſibus, & in ſolis eorum cogitationibus defixam atque recõditam eccleſiam eſse dixerunt, ſic, vt ipſorum quidẽ iudicio, Chriſti domini eccleſia, veluti quædam imaginaria Platonis reſpub. non tam re exiſtere, quàm mente duntaxat homuncionum miſerorum concipi atque informari videretur. Nimirum verſuto illo & callido, quod dixi, ſermonis genere defungi ſemel maluerunt, vt omne mortalium genus, ſua illa, & à ſe conficta, inuiſibili, id autem eſt, propemodum nulla, eccleſia includerent, quàm vt, viſibili concedenda eccleſia, ſeipſos planiſſimè ab ea exulare, confiteri, vti oportuit, neceſſe habuiſsent. Atqui hoc quoque inſcienter ab ipſis, atque adeò peruersè eſse factum, facilè intelligi poteſt. Cur enim toties Vitebergenſem, toties Geneuenſem eccleſias ipſi nominant, ſi Viteberga, ſi Geneua aſpectabilis eſt, eccleſia non eſt? Quid autem? An verò ignorant, ſpiritum ſanctum inuiſibilem ipſum, poſuiſſe viſibiles Epiſcopos in grege dominico viſibili, qui regerent eccleſiam Dei? Quid ita? niſi vt eam, quæ ex viſibilibus conſtaret, & à viſibilibus regeretur, viſibilem quoque eſſe oſtenderet. Neque enim vt inuiſibili ipſi, eccleſiæ auctori, conſeruatori, domino, viſibiles ſibi conſtituere vicarios non erat difficile, ita contrà viſibilibus ipſis villicis atque vicariis, inuiſibilem eccleſiam regere commodum eſſe poterat aut opportunum. Imouerò erat incommodiſſimum: neque id villicis tantum & vicariis ipſis, qui regerent, ſed gregi quoque ipſi qui regeretur; atque haud ſcio an huic multò etiam magis. Quò ſe enim grex ipſe aſpectabilis ſub noctem, requietis cauſa reciperet, quoúe aut ab imminente tempeſtate, commoditatis gratia ſe ſubduceret, aut lupo inſectante, ſecuritatis ergô confugeret, ſi eccleſiam ouile ſuum cernere non poſſet? Et ne de grege tantum vni-

tum vniuerso loquamur: quid si pauci quidam, ex iis qui in eodem censentur grege, alter in alterum, vt fit, iniuriosus existeret, quid agerent? Inter se, inquies, disceptarent. Atqui iam fecerunt; disceptarunt. Arbitros, inquies, adhiberent. Adhibuerunt, nec hilum tamen profecerunt. Quid agerent? quid agerent? Ad ecclesiam, inquies, referrent. Audio. Sic enim Christus ipse iubet. Ad quam autem ecclesiam referrent, quæso? ad eamné quæ cerni non posset? At quomodo quis ad eam confugeret, quoúe modo eam alloqueretur; quæ omnem oculorum obtutum effugiat? *Inuisibilis ecclesia hæretic.*

Numné inter densas vmbrosa cacumina fagos

veniret; ibique iniuriam, quam accepisset,

Montibus & syluis studio iactaret inani?

Numné vt illa nescio quæ, apud nescio quem pöetam,

Cœlo atque terræ suas proloqueretur miserias?

Sed nos hæc commenta inuisibilis ecclesiæ hæreticis relinquamus; & simpliciter, vbi Apostolos, vbi prophetas, vbi doctores, vbi gubernatores, & reliquos eiusmodi præfectos diuinitus positos viderimus, ibi ecclesiam esse, & vel ex eo ipso, oculis cerni posse, nobiscum statuamus, ad eamque eiusmodi ecclesiam querelas nostras deferamus. In ecclesia enim profectò positos esse eiusmodi præfectos, testatur Apostolus. Quod si est, vt est, equidem pastores fortassis ipsos, pro pastoribus interdum non agnoscere, per summam nostram proteruiam & contumaciam, poterimus; vbi autem pastores sint, ibi ecclesiam non esse, nunquam profectò cũ ratione dicere poterimus. Paulus alicubi ignotum se de facie fuisse Iudeæ ecclesiis profitetur: einé tu autem ignotas vicissim de facie ecclesias fuisse putas, qui eas & nominet, & toties adeat, & Euangelium cum illis conferat, & dextras iungat? Augustinus nonnusquam, in sole tabernaculum diuini illius gigantis positum esse, dum ex psalmo recitat, dictum id ad ecclesiam transferre non dubitat. Vt mihi sanè Solem de mundo deripere, aut certè inuisibilem

ipsum

Inuisibilis ecclesia hæretic.

ipſum eſſe dicere videantur, qui eccleſiam inuiſibilem eſſe aiant. IN SOLE enim profectò POSVIT dominus TABERNACVLVM SVVM eccleſiam. In quo ſole? equidē vel in illorum hominum ſplendore, qui, ſicut luminaria in mundo, ita prærogatiua functionis ſuæ, in eccleſia Dei prælucent, in medio ethnicæ nationis prauæ & peruerſæ, λόγον ζωῆς ἐπέχοντες, vt ait Paulus ad Philippenſes; hoc autem eſt, vicem atque rationem, &, vt planius id quod volo exprimam, præſtantiam omninò animæ, atque adeò mentis ipſius referentes, in hac ipſa compage totius myſtici corporis, quod eſt eccleſia; vel certè, quod idem penè eſt, In ſole, id eſt in diuina illorum ipſorum, ſucceſſorumque illorū claritate, quibus ab ipſomet domino in Euangelio dictum fuit. Vos eſtis lux mundi. Quorum mihi quidem propemodum vtrumque, paſtores illos & doctores ſignificare videtur, quos aſcendens Chriſtus in altum, eccleſiæ ſuæ dediſſe perhibetur. Qua quidem etiam ex ratione, opportuniſſimè illud in eodem illo Euangelii loco illatum fuiſſe videtur, quod ibidem ſtatim à Chriſto domino dictum fuit de eccleſia, non poſſe ciuitatem abſcondi in vertice mōtis poſitam; neque lucernam vnquam eo conſilio accendi, vt accenſa ſub modio deliteſcat, ſed potius locari ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo verſantur. Ita ſanè vt non magis paſtores ipſi & doctores in eccleſia eſſe poſiti, quod dicit Apoſtolus, quàm, quod ait pſaltes, eccleſia viciſſim ipſa in eis, ceu in quibuſdam mundi ſolibus, collocata eſſe videatur; vel potius, vt ipſe diſertè loquitur, in ſole; & vt Chriſtus in Euangelio, in vertice, tanquam in vno. Mala eſt enim multitudo principū. εἷς κοίρανος ἔστω. Quæ mihi ſanè omnia totidem videtur verbis expreſſiſſe vnus Cyprianus, cùm ſcribens ad quendam dicit, & Epiſcopum quidem in eccleſia eſſe, & eccleſiam rurſus in Epiſcopo ſitam videri. Nam & fundamentum profectò eccleſiæ, in eccleſia non eſſe non poteſt, & eccleſia rurſus ipſa, nō

benè po-

 Inuisibilis ecclesia hæreticor.

bene potuit, nisi in suo fundamento, extrui & exædificari. Videtis, amici, quò nos ipsa rerum series deduxerit; quam quidem dum sequimur, eò sensim perducti sumus, quò quasi non cogitabamus hoc tempore peruenire; vt fundamenta scilicet ecclesiæ esse intelligeremus pastores ipsos & doctores nostros, diuinitus in ecclesia positos & constitutos. Quod ipsum quoniam diuinum donum est, maximi sanè beneficii loco est reputandum. Sed de his satis. Nec de his solùm, verùmetiam de illis omnibus, quæ ad illius quadrati ecclesiastici à nobis designati fundamenti rationem pertinere videbantur. Quæ quidem cum hoc ipso, quòd fundamenta sint, debeant nobis esse charissima, tum aliquanto etiam chariora, quòd eiusmodi sint, quæ ad communionem & participationem sui, hæreticos non admittant, catholicos admittant solos. Etenim quid aliud causæ esse dicemus, cur hæretici, dum signa & notas illas studiosè persequuntur, quibus veram, vt putant, ecclesiam circumscribunt, hæc ipsa, quæ diximus, maximarum rerum pondera, neq. recensent ipsi, & certè à nobis allata in medium, repudiant? Quid? nisi quòd, si ea semel pro signis ecclesiæ reciperent, statim fateri cogerentur, ecclesias suas, quæ tantorum & tam illustrium diuinorum beneficiorum exortes sunt, in ecclesia vera non posse numerari. Quod cùm ita sit, vt hæretici ad earum rerũ communionem minimè possint pertinere, quæ res in ecclesia fundamenti obtinent rationem, constat equidẽ, ipsos non modò in fundamento à nobis discrepare, sed etiam fundamentum tã ecclesiæ, quàm doctrinæ suæ habere propemodum nullum. Ex quo ipso sequitur etiam, vt quemadmodum qui in nostra ecclesia sit, hic super firmam petram fundatus sit, ita qui sit, aut esse velit in illorum synagogis, hic nihil habeat, cui tutò insistere atque inniti posse videatur. Quæ quidem omnia accuratius cõsiderata & expensa, sicut multos, ne ab ecclesia exciderent, tenuerunt, ita nihilo pauciores

Inuisibilis ecclesia hæreticor.

abreptos iam & aberrantes, ecclesiæ restituerunt, & ex diuturnis erroribus reuocatos, in certissima rursus ecclesiæ statione collocarunt. Restat igitur, vt quoniam hæc, vt potuimus absoluimus, reliqua quæ supersunt, vti cœpimus, persequamur; quæ ipsa non minus multis adiumento fuisse comperimus, ad euitandas vel contemnendas insidias hæreticorum. Et quidem ab his quasi incunabulis ac fundamentis ecclesiæ, ad illos iam, quos dixi, parietes, & columnas, & omninò ad sublimiores huius ipsius ædificii partes, non tam corpore, quàm animo collustrandas, nos ipsos attollamus. Quæ quo altiores in ipso ecclesiæ ædificio partes obtinent, hoc & ipsa quidem magis conspicua sunt, & structuram quoque ipsam ecclesiæ ipsius, bene ac firmiter in fundamentis cōstitutam, magis atq. magis conspicuam reddunt.

ANDR.

Biblia catholica

PATRICII NIDECICI
DE ECCLESIA VERA ET FALSA.

LIBER II.
Qui est de parietibus & columnis ædificii ecclesiastici.

CAP. I.
Biblia catholica Lxx. interpretum.

Post fundamentum ædificii ecclesiastici, de parietibus & columnis est agendum.
Parietes & columnæ ecclesiæ sunt quatuor, Biblia, Patres, Concilia, Traditiones.
Primus paries est, Bibliorum ipsorum.
Ecclesia nostra recipit Biblia sancta & veneratur.
Libros etiam omnes Bibliorum seruat & tuetur.
Vna conuersione Bibliorum, quæ olim facta est à Lxx. viris, est contenta.
In vna vnius conuersionis interpretatione acquiescit: quæ ipsa est omnium veterum theologorum communis.
Nos quoque ipsi ecclesiam in iis rebus sequi debemus.
Locus Deuteron. de libro legis à sacerdotibus desumendo.



PLacet igitur, quoniam fundamentum ipsum ecclesiæ, saxis quatuor ad soliditatem muniuimus, eademq. saxa ista, quasi signa & notas totidem esse ostẽdimus, quibus vera ecclesia insignita, facile ex fundamento ipso à non veris ecclesiis internosci posse videatur. His inquam, absolutis, placet deinceps, operis ipsius nostri prosequendi

ſequendi gratia, totidem ſiue parietes, ſiue adeò columnas excitare, quæ lapidibus illis innixæ fundamenti, eccleſiam & ſuſtineant, ne corruat, & ſepiant atque muniant, ne dilabatur, neúe etiam cuiuis facta peruia, ex domo ipſa caſta ac pudica, fiat caupona latronum & ſpelunca ferarum; ſed potius vt ita vndique apta nexaque ſit, vt ſpecie quidē ſtructarum maceriarum iſtarum, hortū nobis veluti quendam concluſum, & furibus beſtiiſque inacceſſum referat, atque repræſentet. Statuamus igitur has macerias eius, vel hos parietes, & has columnas quatuor, illas eſſe. Biblia, Patres, Concilia, Traditiones. Quas nos quidē eccleſiæ noſtræ catholicæ notas omnes eſſe appoſitas, vbi quæſierimus, inueniemus; in aduerſariorum autem ſingularibus, quotquot ſunt, eccleſiis, vix interdum vnam earum inueniemus; & ſi quid, vix omninò alteram; omnes autem profectò ne vix quidem. Etenim Bibliis exceptis ſolis, quæ tamen etiam ipſa quàm indignè ab iſtis accipiantur, & tractentur, paulò pòſt ſuo loco dicemus, equidem quot verba prætere a, ex iis, quas modò dixi, eccleſiæ notis, effatus apud hæreticos fueris, totidem angues horribiles de improuiſo pedibus eorum obieceris. Ita ſunt illis hæc ipſa patrum, conciliorum, traditionum ſanctarum nomina planè inſuauia & iniucunda, res autem ipſa deteſtabilis etiam & execranda; cùm contrà eccleſia ipſa noſtra catholica ſponſa Chriſti, & in thecis atque armariis ſuis ſedulò hæc conſeruet, & in quodam quaſi mundo ſuo muliebri libenter admodū numeret, atque adeò in deliciis etiam habeat. Audiamus e-
» nim regem illum prophetarum, quid dicat. Aſtitit regina,
» inquit, à dextris tuis. Quo ornatu, quæſo? IN VESTITV,
» inquit. Hoc primum. INAVRATO. Hoc ſecundū. CIR-
» CVMAMICTA VARIETATE. Tertium & quartum. Vt veſtitus quidem nomine, quemadmodum mea fert opinio, biblia ipſa; deaurati autem appellatione, patres ipſos denotaſſe videatur; circumdatam autem varietate

Biblia catholica.

cùm dicit, concilia penè & traditiones innuere voluisse videatur. Sed nos, vt dixi, singula hæc cum singulis hæreticorum conferamus; sic tamen, vt quæ sunt prima, prius explicemus. Ante omnia igitur, ecclesia ipsa catholica, sanctum hoc & diuinum donum BIBLIORVM, & scripturarum sanctarum, sancta quadam ac summa cum veneratione recipit; & quoniam omnes scripturas illas instinctu afflatuque diuino intelligit esse generi mortalium, ad spem salutis æternæ traditas & tributas, quibus, vt Apostolus inquit, & doctrina religionis proponi populo, & hostes ipsius coargui, & maledicta eorum in religionem, corrigi atque emendari, & omninò omnes, in iis, quæ ad colendam iustitiam pertinent, rectissimè institui posse videantur, idcirco eas omni debita pietate amplectitur. Hoc primum. Quid deinde? Etiam. Libros omnes eorũ bibliorum, quos recipit, diligenter omninò seruat ac tuetur, &, vt suprà dixi, tanquam depositum fidelissimè custodit; ita quidem, vt quos semel diuinitus nacta & adepta est, non perdiderit ex eis quenquam, sed ita asseruarit, vt inde ad hæreticos quoque ipsos, nec aliunde, quod ostendimus, peruenisse videantur. Hoc secundum. Quibus quidem duabus suis actionibus, illorum hominum insipientem admodum palatum detestatur, vel potius insano & diabolico eorum furori magnopere occurrit, qui, (sunt autem hi quoque ex genere quodam hæreticorum nostri temporis) tanto scripturarum sanctarum odio exarserunt, vt eas non ab oculis tantum suis, sed etiam è conspectu ipso totius terrarum orbis, magno studio remoueant, & extinctas prorsus, atq. è medio sublatas esse cupiant. Et recipit igitur scripturas sanctas ecclesia, & easdem seruat ac tuetur. Sed quoniam idipsum synagoga quoq. interdũ vel facit, vel certè facere se simulat, (Hæc est enim ferè esca, quã illa, hamo ipsi letifero inductã, solet ignauis atq. insulsis piscibus obiicere: & hic est, vt superius diximus, quasi quidam vestitu[?] illius, &

Biblia catholica.

quasi operimentum illud ouile, quo induta hæc ipsa synagoga, solet se plerumque conspiciendam ouibus christianis exhibere, vt eos tanto facilius fallat, & deinde in morem lupi, laniet ac dispergat) icc irco duo item alia facit ecclesia: quæ mihi multò etiam ipsa maiora esse, & multò maiorum rerum momenta continere, nec ferè, quod caput est, cum hæreticis communia esse videntur. Vnum, quòd, vti quidem semel accepit de manibus Apostolorum Biblia, à septuaginta ipsis interpretibus ex Hebræo conuersa in Græcum, (hac ipsa enim Bibliorum cõuersione, ipsos quoque Apostolos vsos fuisse, non difficulter ostendi potest, ex iis quæ in nouo testamento citantur per Apostolos ex veteri desumpta) ita hac eorum translatione perpetuò vtitur. Alterum, quòd, vt illa sunt vno modo atque ratione, ab omnibus illis LXX. interpretibus conuersa, ita ipsa quoque, vnam iis atque eandem sententiam attribuit, haustam ex vnanimi omnium catholicorum theologorum consensione. Et vt illis prioribus duabus rebus, hostes ferè suos atque inimicos ipsos Bibliorum sanctorum crudeliores, iugulat, qui in librorum illorum vitam videntur quasi conspirasse, ita his rursus duabus posterioribus, nobis potissimum, qui sumus eius ciues atque liberi, magnopere & ex animo consulit. Consulit autem, tum quòd hac ratione viam hæreticis, quam alioqui, insidiosis suis præstigiis, dolosè ad nos affectare vidētur, strenuè præcludit, tum quòd, prouisis ad eum modum, & munitis iam nobis, facilè deinde animis nostris & consensionem in diuinæ religionis dogmatibus instillat, & hoc ipso beneuolentiam quoque ac charitatem inter nos mutuam, tum inchoat ab initio, tum verò etiam alit inchoatam. Quod quidem vtrumque non solùm mirum, sed etiam planè miserum in modum discerpunt ii, qui suis ipsorum distractis in diuersa studiis, ipsas quoque distrahunt mentes aliorum: dum nec libros quidē Bibliorum sanctorum, aut vllos, aut omnes, aut etiam ve-

rè & ex

 Biblia catholica.

rè & ex animo recipiunt; nec in iis quos recipiunt, vna linguarum conuersione vtuntur; neq. adeò, si fortè vnquam, quod fieri vix potest, in vnam eandemque conuersionem consenserint, verborum illius cõuersionis sensum aut satis callent, aut fideliter tradunt; nec deniq. in suo illo, quẽ tradũt, sensu, peruerso quidem ipso, &, vt leuissimè dicã, alieno, aut sibi satis constant, aut consensum ecclesiæ, vlla ex parte reuerentur. Quod igitur olim Deus Opt. & Max. per Mosen in Deuteronomio, omnibus Israëlitarum futuris regibus, magna cum auctoritate videtur præcepisse, vt postquàm in reges lecti fuerint, inque regio solio consederint, ante omnia legem ipsam exhiberi sibi postulent, quam as- "
siduè intueantur; nec verò legem quamcumque, aut vn- "
decumque descriptam, sed descriptam tantum de ipso sa- "
cerdotum Leuitici generis exemplari; idem nos, vel tantò "
etiam magis, quantò inferiores regibus nos esse intelligimus, præceptum nobis esse existimemus, ne quos alios Bibliorum sanctorum libros aut aucupemur ipsi vndelibet, aut verò obtrudi nobis vltrò patiamur, quàm libros de ecclesiæ sanctæ manibus acceptos, & ad vsum, vtilitatemque nostram, in maximè fidelibus ipsius scriniis diligẽter hactenus conseruatos. Nam exotica quæ sunt, ea vim illam boni naturalis retinere non possunt, quin aut veri aliquid non edant, aut falsi etiam admisceant, aut in toto denique ipso genere, permulta, tum in verbis, tum in sententia ipsa corrumpant ac deprauent. Deinde autem eam potius ecclesiam amplectamur, quæ sanctos hos libros constantissimè asseruat ac tuetur, quàm illam, quæ eos vel omninò non recipit, vel non ex animo recipit, vel certè vtcunque receptos contorquet planè & inquinat.

CAP. II.

CAP. II.

Biblia ab hæreticis aut contempta, aut peſsimè tractata.

Hæretici qui minus violenti ſunt, ii ſcriptū bibliorū retinent quidē, ſed retentum, partim varijs conuerſionibus peruertunt.
partim diuerſis interpretationibus, vel committendo inter ſe ſcripturas, vel ex certis dubias reddendo, contaminant.
Hic loci ſcripturæ expendūtur. Gen. Eritis ſicut dii &c.
Euang. Hæc omnia tibi dabo &c.
Violenti hæretici tollunt ſcripturas è medio ipſas.
idq; vel ex parte: vt nonnullos ſcripturæ libros, vel ipſorū librorū capita.
vel omninò: vt ſcripturam ipſam vniuerſam.
Gradus hæreticorū ad præcipitium. { 1. *Biblia perperā cōuertere.* 2. *peius interpretari.* 3. *peſſimo conſilio abiicere.* }
Hæreticorū diſcipuli bibliorū ignari.
Nos ſcripturam primùm ipſam à catholica eccleſia deſumamus.
Deinde ſenſum eius ſcripturæ à ſpiritu eccleſiæ S. perquiramus.



Tenim quis eſt, qui neſciat, eò inſaniæ, furorem iſtorum per id tempus proceſſiſſe, vt ne à Bibliis iam quidē, quorum apud eos nonnulla vtique eſſe videbatur religio, admodum temperetur? Quæſita enim prò dolor ratio nefaria eſt, atque etiam vtinam inuenta ne eſſet, tam corticem earum quàm medullam, id autem eſt, tam ſcriptum quàm ſententiam arrodendi, arte quidem & conatu diuerſo. Interdum enim illi vtrumque retinent, tam ſcriptum quàm ſententiam: ſed quod retinent, idem illud retinendo, inquinant, vt dixi, atque contaminant; interdum autem ne retinent quidem: ſed ſcriptum illud, ſedem ſen-

Biblia hæreticor.

dem ſententiæ, ſub quo, quaſi ſub quodam cortice, ſententia, quaſi medulla deliteſcens continetur, aut membris illud mutilant, aut partibus principalioribus detruncant, aut totum cum ipſo etiam veſtigio interimunt & extinguunt. Quorum in altero, veſtimentis ſe ouium amictos eſſe oſtēdunt, in altero luporum præditos natura atque ingenio; quod vtrumque in hæreticis omnibus, Chriſtus dominus, diligenter, vt diximus, eſſe monuit obſeruandum. In priore enim illo, cùm & ſcriptum retinent, & ſcripto ipſi ſententiam aliquam attribuunt, veſtitum ſibi mehercule ouium accommodant, vt eo tecti, facilius oues incautas fallant atque decipiant; in hoc autem poſteriore, cùm aut omninò, aut magna ex parte, illa tollunt, quibus & ſcriptum continetur & ſententia, tum mihi iam non arte neque ſimulatione tecta vti, ſed luporum in morem, vi omninò aperta atque crudelitate tyrannica rem agere videntur, de qua poſterius loquemur. Nunc, quod dixi, inquinari ea ab iis & contaminari retinendo, id duorum ferè generum videtur eſſe. Vnum, cùm ſcriptum ipſum, quod retinent, Bibliorum ſanctorum, multis ſuis & variis conuerſionibus ſic peruertunt, vt illud quicquid eſt, ad nihil aliud quàm ad fucum modò hominibus faciendum, retentum eſſe videatur. Quod quidem facile verum eſſe agnoſcet, qui ſecum modò in memoriam redierit, quantulo temporis ſpacio, pro vna illa L x x. virûm conuerſione, quæ tot ſeculis in eccleſia catholica viguit, ipſi plus penè quàm L x x. Bibliorum conuerſiones nobis pepererunt; & pro vna atque vniformi eorum ratione, varia quaſi & diuerſa Bibliorum genera ſubſtituere non dubitauerunt. Quid, quæſo, vt agerent? fucum vt facerent. Alterum cōtaminandi Biblia genus eſt, cùm illa ipſa ſcripti ipſius, quaſi cutis ac coloris deformatione non contenti, quæ fit verbis ipſis ſcripturæ variè pro arbitrio conuertendo, ipſum denique iugulum petunt ſanctarum ſcripturarum, ipſam dico ſententiam, quæ

Biblia hæreticor.

ſcripto ipſo continetur; idque etiam non ſic, vt nullam ſtatim eſſe dicant, tunc enim profectò ſi nulla eſſet, nec petere eam poſſent telis ſuis, nec ad fallendum alios adhibere, ſed ſic, vt quæ recta & germana eſt, eam ſcholiis ſuis ac commentariis peruerſiſſimis, de induſtria infirment, commutent ac euertant. Quo quidem in genere etſi multa cuique vltrò in mentem venire certò ſciam, repetenti ſecum hoc loco, quot & qualia illi ſcholia, tum in inſcriptionibus capitum, tum in oris & marginibus librorum Biblicorum addiderint; quos ad ſenſus, & ad quàm varios, ab vno; ad quàm diuerſos atque contrarios, ab æquabili atque perpetuo; ad quàm falſos atque impios à vero atque ſalutari, ſuis quibuſdam commentariis rem omnem traducere ſtuduerint; ita in vniuerſum cœlum terræ permiſcentes, vt omnia tanquam ebriis, ſurſum ac deorſum agi atque ferri viderentur. Ego tamen, quod ipſe nuper adeò, cum ſumma mea admiratione cognoui, nec, vt arbitror, ſine multorum admiratione efferre potero, id hoc loco prætermittere nec poſſum, nec debeo. Illorum quidem quatuor duntaxat verborum domini, HOC, EST, CORPVS, MEVM, interpretationes, ingeniis inſanorum iſtorum & turbulentorum hominum confictas, non quatuor ſolùm eſſe, vt eſſent quot verba tot ſententiæ; nec eſſe bis quatuor, nec quater quatuor, nec decies quatuor, nec vicies quatuor, nec quadragies quatuor, ſed hoc etiam amplius, quinquagies quatuor; vt quidem ſunt, non à me, cui hæc perſequi minimè vacat, ſed ab aliis hominibus integerrimis numeratæ, & in ipſis etiam iſtorum libris, quaſi in quibuſdam cubilibus, nominatim commonſtratæ. In qua ipſa ſcripturarum ſanctarum interpretatione ſua, tã varia & multiplici, &, quod caput eſt, planè inconſtanti, nulla ſe obſtringi verecundia exiſtimauerunt, quominus ſcripturas aut inuicem inter ſe quaſi committerent, atque ita altera alteri exitium molirentur, aut certè ſcripturæ ipſi exploratæ & minimè

 Biblia hæretic.

minimè dubiæ, dubias planè & incertas interpretationes affingerent. Atque vtrumque, quod dixi, ex vetere est diaboli arte desumptum: qui & scripturas quidem ipsas hostiliter committere, & verbo ipsi certissimo diuino dubiam suam interpretationem attexere, quoties tempus occasióque tulit, minimè vnquam, in omni præteritorum seculorum antiquitate dubitauit. Mitte te deorsum, inquit belua « illa ad Christum dominum. Quid ita? Scriptum est enim, « inquit, Deum angelis suis custodiam tui demandasse. Ma- « lignè. Neque enim hac scriptura ritè abuti potuit, ad vltrò tùm appetenda tùm accersenda pericula; quando eiusmodi proiecta audacia atq. temeritas, Dei prouidentiam, Deúmque adeò ipsum, proteruè admodum tentare, eíque illudere dicatur: quod apertissimè alia scriptura, & grauissimè prohibetur. Verùm sic solet ille quidem. Quid illud alterum, & quidem multò vetustius? De fructu ligni, in- « quit Eua ad serpentem, quod est in medio paradisi, præce- « pit nobis Deus ne vesceremur; ne fortè moriamur. Hæc il- « la. At serpens ille malignus Leuiathan affingit euestigiò interpretationem. Non hoc est, inquit: sed scit Deus, in ipso « esu vestro fructus tam delicati & tam iucundi, oculos ve- « stros apertum iri, vosque adeò ipsos tanquã nouitios quos- « dam & repente factos deos, Deo ipsi similes futuros, insitã « scilicet habentes in animis vestris notitiam quandam ab- « solutam & perfectam boni æquè ac mali. Quæ quidem in- « terpretatio, confestim non modò vim ipsam mandati diuini eneruauit, sed etiã Euam ipsam matrem, & omninò parentes ipsos nostros, de omni illo innocentiæ & immortalitatis statu deturbauit, & in hac ipsa, in qua versamur, miseriarum valle collocauit. Ita & tunc quidem mandatum, quod erat ad vitam largiendam institutum, inuentum est mortiferum & exitiosum, & deinceps semper, vbi modò litteræ ipsæ sanctæ, quæ natura sua sententiam sanctitatis, & vitæ totius plenissimam, ceu diuinum quendam odorem

 continent,

continent, adulterinis hæreticorum interpretationibus fuerint deprauatæ, confestim suauissimum illum, &, vt ita dicam, vitalissimum odorem amittere, ac tetrum quiddam, & quasi mortiferum concipere videbuntur. Nimirum scriptura omnis vt ventus est, qui vnus & idem existens, alium ex puro loco, alium ex impuro lacu odorem afferre secum solet. Quo autem tetrior est is, qui vitali cibo clàm insidiosè vitiato, quàm ille, qui letali apertè præparato veneno, hominem interimit, hoc nos quoque immaniorem & sceleratiorem ducere debemus eum, qui salutaribus diuinorũ oraculorum perscriptionibus, ad pestiferam & peruersam interpretationem detortis, occídit, quàm eum, qui aperto quasi Marte, diris & incantationibus ad hominum perniciem institutis, mortes procurat sociorum. Et item. quo scelestior est, qui ex insidiis, quàm qui vi aperta obuios trucidat: & denique quo crudelior, qui animos, quàm qui corpora interimit, hoc planè nequior ille putandus est, qui sub specie diuinorum oraculorũ, mortem & quidem sempiternam, innocentium hominũ animis machinatur. Quid ita? quia hic quidem, qui gladiatorio ad nos animo affectat viam, caueri vtique ac vitari potest; ille autem, qui per occultas & minimè suspectas insidias tollit homines, quo magis latet in illo simulatæ religionis nomine, hoc ad nocendum accedit non solùm promtior, sed etiam & tectior, & commendatior. Quo sanè in genere, vel ipsum illum, quem dixi, intueamur, artis istius exitialis principem, & quasi architectum diabolum; qui quidem, dum olim, in locis illis solitariis & desertis, cominus ageret cum Christo domino, nisi ante omnia vestitum illum ouium prætendisset, „ SCRIPTVM EST, inquit, & nisi se primùm, hoc eiusmodi sermone, sermoni bonorum & religiosorum virorum simillimo, in quendam quasi lucis angelum transformasset, vix profectò, aut etiam ne vix quidem, postea se tam apertè lupum, vel potius tam manifestè angelum sa-

 Biblia hæretic

lum Satanæ exhibuiſſet, vt auderet deinceps Chriſto dicere, Hæc omnia tibi dabo, inquit, ſi procidens adoraueris me. O vocem ſacrilegam. O impietatem execrandam. Iuuat hoc loco, iuuat, antequam vlterius progrediamur, obiter intueri, & cum animis noſtris quammaximè poſſumus expendere, in quem tandē lupum & quantum, ouina illa pellis, in quam ſe Satan pro illo tempore induerat, euaſerit; vel potius quem lupum & quàm infeſtum, intus aluerit; vt ex vno magiſtro omnes diſcipulos, & ex vno crimine, omnes eiusdē criminis affines, tanto & preſsius cognoſcere & diligentius cauere poſſe videamur. Audet, audet, non iā olla, aut vas aliquod luteum, in ipſo fictoris ſui conſpectu apparere, & hiſcere; ſed audet titio ille infernalis, cui iam inde à primo rerum omnium exordio, cum vniuerſó illo teterrimo apparitorum ſuorum grege ac numero, ſempiternus eſt ille inferorum ignis accenſus & præparatus; audet, inquam, propius pedem conferre, & in os dicere. At cui, quæſo? Præſtanti ipſi ac præpotenti rerum omnium domino, effectori, parenti, moderatori, arbitro; qui ſe fecit, quique omnia fecit, quæ in his terris conſtituti circumquaque videmus, quæque etiam non videmus. Quid audet dicere? O vocem, omni omnium illarum linguarum exectione digniſſimam, quæ eam vnquàm auſint quomodocumque vſurpare. Audet dicere ambuſta iſta ſudes, & titio, vt dixi, infernalis, ſuo rerumque omnium domino. Huc, huc, procide, inquit, ſupplex, ad pedes iſtos meos infauſtos & infelices, omnibus & flagitiis patrandis deſtinatos, & pœnis ſimul ac ſuppliciis æternis luendis deuotos. Procide, procide, inquit: & cultum illum, tibi vni ab omnium mortalium genere debitum, in me viliſſimum ſimul ac nequiſſimum mancipium transferens, & teipſum quaſi natura ac maieſtate diuini tui numinis expolians, meq. adeò illa veſtiens, ac omni gloria & honore coronās, adora, adora me, inquit. O vocē pluſquàm Tartaream, ô vocem pluſquàm

quàm omnibus Erebis digniſſimam. Atque hoc quidem, quod nunc audet ſtigmatias iſte, infinitis partibus maius eſt, & atrocius, ſi conferatur, illo ipſo, quod olim ab ipſo ſtatim ortu ſuo, idem hic leuiſſimus transfuga, per ſummã ſuam impudentiam auſus fuiſſe perhibetur, cum diceret,
„ Conſcendam, inquit, ſuper aſtra, & ponam atque erigam
„ in Aquilone ſedem meam; atque ita ſublimè elatus, reddar
„ æqualis ſublimi illi & excelſo, qui in altis habitat, quique partes mundi & tenet, & numine adeò ſuo complet altiſſimas. Longè hoc, inquam, illo atrocius eſt. Quid enim? Ibi quidem fremit modò aduerſus Deum, & meditatur ſecum inania; hic autem in voces iam erumpit ſceleris & ſacrilegii pleniſſimas. Ibi, ſatis habet rapinam modò illam arbitrari, & mente tantùm atque cogitatione ſecum voluere, qua Deo æqualis eſſe queat; hic ſe nebulo non æqualem Deo facit, ſed fert planè ſuperiorem. Ibi, futurum duntaxat tempus ſpectat, à præſenti abſtinet; hic, eueſtigiò in ipſo fœdiſſimo conſpectu ſuo, procumbere vult cœli ac terræ dominum. Ibi, de abſente hero loquitur ſeruus nequam contumacius; hic furcifer præſentem præfractè & contumelioſè alloquitur: vel, vt planius dicam, non tam alloquitur, quàm præcipit, & tantũ non pro imperio mandat. Ibi, temeritate potius quadam ductus, quàm elatione aliqua animi ſubnixus, quæ eſſet digna imperio, non dicit, iubebo poni à meis & locari ſedem meam: ſed dicit, ipſe eam manibus meis ponam, vel ipſe conſcendam, & ipſe ſolium hoc meum exaltabo, idque adeò, ſuperis inferiſque omnibus inuitis, vltrò occupabo, nec in eo aliorum operis præſtolabor, vt me in ſolio meo reponant, & ſedere faciant. hic autem quid? Tu, tu, inquit, per teipſum, fili Dei altiſſimi, pone hanc ipſam ſedem meam; & ſubiiciens non ſolùm humeros, ſed etiam omnes iſtos ſacroſanctos artus tuos, quos mortalium tuorum ſeruandorum cauſa induiſti, pedibus hiſce nefandis meis, me in ea, ad quam ſemper

 Biblia hæreticor.

aspiraui, maiestatis sede, libens ac volens colloca. At vbi tandem, quæso, vult mastigia iste collocari? Est enim id quoque audire operæprecium. Olim quidem temporibus illis præantiquis, Aquilonis tantùm nescio cuius latera videtur affectasse; hic, iugulum ipsum petit, & ceruices domini, in quibus maiestatis suæ solium figi ab eo velit ac locari. Ibi videlicet relinquit tamen deum pristino loco suo, se modò vtcumque ipsi opponere, & ex aduerso locare conatur; hic deum de solio deturbat, sibique ipsi, quantum potest, subiicit. Ibi, particeps tantùm & socius regni vult esse; hic solus sine socio vult regnare. In summa. Ibi, inuidere magis gloriã videtur deo: hic auferre. Quid auferre? etiam magna ex parte quodãmodo iam videtur velle videri abstulisse. Quid enim est aliud, regna & imperia distribuere cupere, quod hic facit, nisi velle videri diuinam in se transmouisse gloriã? Sanè ab initio sic non fuit. Etsi enim, in hoc ipso nequam & impuro spiritu, statim post exortũ ipsius, vt diximus, prauitas quædam est reperta, ea tamen intra certos, vt ostendimus, cancellos constitit; eousque, quò deinceps in istis desertis ac incultis locis progressam esse videmus, progressa non fuit. Vnde igitur dicemus, tantas postea collegisse vires hanc beluam, vt auderet nunc iam, id, quod illi antea ne per somnium quidem optare in mẽtem venerat? Nimirum illam, illam sibi viam callidissimus artifex, ad hæc omnia, satis, vt putat, communiuit, quòd pii ac religiosi cuiuspiam assumpta & assimulata persona, conatibus suis infandis, scripturæ sanctæ nomen & appellationem per speciẽ prætexuit, & hæc duo verba, SCRIPTVM EST, admurmurauit. En, quibus gradibus, à minoribus illis sceleribus, ad hæc tanta, & tam atrocia facinora, capitalis hic ascendit. En, quam viam & quàm callidam ac occultam institit. Quid hæc ad nos? inquies. hæc enim, quæ narras, acta transacta sunt dudum. Quàm vellem fratres mei, quàm vellem. Sed, ô quot sunt, his etiam nostris temporibus,

poribus, quos hoc iſtud hæreticũ, vel potius diabolicum, SCRIPTVM EST, hoc inquam ſolum, SCRIPTVM EST, plane totos perdidit & euertit, & in maximos deniq. ac teterrimos totius vitæ errores, prò dolor, præcipitauit? atq. etiamnũ perdit, euertit, præcipitat? Permultũ igitur, & iterum atq. iterum dico, permultũ pertinere ad nos exiſtimo, nos in alieno, & quidem maximè in hoc tam illuſtri, quod proponitur, exemplo, etiam atque etiam intueri caſus ipſos noſtros; & cùm videamus, quid tentatum ſit in capite ipſo & magiſtro noſtro Chriſto Ieſu, ab ipſo omnis fraudis & nequitiæ capite & magiſtro diabolo, conſiderare item, quid agatur cum membris ipſis Ieſu Chriſti, hoc autem eſt, quid agatur nobiſcum quotidie, qui ſumus membra Chriſti, ab ipſis membris & inſtrumentis diaboli. Quid mirum enim, ſi homo homini, æqualis æquali, audeat, ad obtegendas quaslibet verſutias, obiicere τὸ SCRIPTVM EST, cùm idem auſus ſit diabolus obiicere Deo? Quid mirũ, ſi interdum homo leuis, per aliquem mentis ipſius ſuæ errorem, opponat id homini, eoq́. ipſo imponat etiam homini, quod ipſum, diabolus pater totius vanitatis, ſumma animi confidentia & obſtinatione oppoſuit Deo? atq. adeò, quo ipſo, ſi dicere fas eſt, imponere voluit deo? Nonne videmus? nonne quotidie cernimus? nonne his oculis aſsiduè intuemur, quid fiat, quæúe inſidiæ tendantur bonis? & quàm ſæpe illo ipſo, SCRIPTVM EST, oculi eorum præſtinguãtur, non dico tantùm ab hæreticis illis immanibus, ſed interdum etiam ab his, qui hoc ipſo arbitrãtur obſequium ſe præſtare deo? Prouideamus igitur, quod in nobis eſt, ne ab his quoque in ſpeciem bonis viris, qui id quod SCRIPTVM EST, libenter, ſed ex mentis potius quadã leuitate, quàm malignitate ſolent obtendere: prouideamus, inquam, ne in fraudem aliquam capitalem, verè boni impellantur. Sed de his ſatis. Quid dicemus de aliis? (iam enim ad illos, quos propoſuimus, violentiores Bibliorum ho-

Biblia hæreticor.

orum hostes veniamus) qui leuiorum istarum velitationū omnium, harum, dico, quasi quotidianarū hæresum pertæsi, quæ scripturarum sanctarū cauillatione occupantur, ad illa, quæ dicere cœperam, facinora capitalia, statim, quò iure qua iniuria decurrunt: & scripturas ipsas sanctas, interdū per partes, quâ possunt, vellūt, interdum cum vestigio planè vniuersas tollūt è medio. Per partes. Modò enim Danielis prophetæ quædam, & Marci ac Ioannis Euangelistarum quædam, ex scriptis eradunt sacrosanctis: modò autem integros Thobiæ, integros Iudithæ, integros Esteris libros, integram Sapientiam, integrum Ecclesiasticum, integram Baruchi prophetiam, integram Machabeorum historiam, à veteri testamento; à nouo autem, integram Iacobi, & integram Iudæ epistolas, & Petri ipsius secundā, & Ioannis secundā pariter ac tertiam, & Pauli deniq. eam quæ ad Hebræos est, resecare non verentur. Parua loquor. Iam enim non desunt etiam, qui cœlestium, nescio quarū, reuelationū recentium amici, omniū autē in vniuersum veterū scripturarum sanctarum capitales inimici, vsq. adeò furiunt, vt omnes in vniuersum, quod dixi, scripturas, ad mortem decretis suis adigere, & de ecclesia, quasi de ciuitate, exterminare minimè dubitēt. Necem se afferre aiunt litteræ ipsi necem adferenti. Quid? etiamné ludunt in re plusquàm seria? Falsam & adulteratam repudiare se inquiunt. A quibus autē, nisi ab ipsis, & ipsorū maioribus adulterata est? Suis opinionibus contrariam esse dicunt. Imò, suas opiniones scripturis esse contrarias, dicere debebant: nunc autem ita agunt, quasi normæ ipsæ ad eorum opiniones, & non contrà potius, opiniones eorum ad normam ipsam seu quadrare, seu flecti debere videantur. Naso cereo eam esse criminantur. Vos verò, amici, nimis rigido cū ferro, ad cū cereum truncandum nasum accessistis. Non primi, inquiunt, sumus qui ad hoc opus accessimus. Proles igitur, quod fatemini, nequissimorum hominum estis, & in sicariorum

Biblia hæreticor.

illorum labores introiſtis; & cùm illi ante vos, ſcripturam ſanctam, partim libris ipſis integris, partim certis librorum capitibus, pro ſua libidine, quaſi mutilaſſent, idque etiam, quod reliquum factum erat, tum conuerſionibus variis, tum interpretationibus diuerſis exagitaſſent: vos reliquiis illis vi vitam euitare non dubitauiſtis, eaſque ad eum modum extremo ſupplicio mactatas, regiè & ſuperbè ex eccleſia, decretis ipſis veſtris eieciſtis, atque ſic quidem menſuram facinorum patrum veſtrorum compleuiſtis. Vt ita veniat tandem ſuper vos vindicta omnis, Bibliorum tum mutilatorum, tum perperam conuerſorum, tum multò etiam peius, ad hominũ intelligentiam transmiſſorum; quæ vos propemodum omnia ſuſcipienda vobis eſſe exiſtimauiſtis, contrà templum, & altare, quæ vobis omni ratione adoranda, non violanda fuerunt. Qua quidem ipſa in aggrediunda re, iidem illi gradus nefarii, licentiæ atque audaciæ veſtræ notati ſunt, ad ruinam veſtram præcipites, qui in aliis item omnibus auſis veſtris, fuerunt ſemper obſeruati; vt primùm videlicet aliquis veſtrum exiſteret, qui Bibliorum ſermonem bonum, malè in aliquem popularem ſermonem conuerteret: tum alius deinde ſuccederet, qui perperam conuerſa peius etiam interpretaretur: poſtremò autem exoriretur ille, qui maxima cum ratione, omnia illa abiiceret, & ſemel omnibus in hoc genere moleſtiis minimè neceſſariis defungeretur. Quid enim rectius faceret, quàm cùm nucleum corroſum iam atque à vermibus confectum depræhendiſſet, eueſtigiò & putamen vnà cum nucleo abiiceret, & ter quater in terram deſpueret, & hianti planè ore ſuo, nauſeam illam omnibus præſentibus & intuentibus, neceſſariò teſtaretur? Hoc intereſt, quòd in nuce quidem vermes nucleum bonum exederunt, excrementa reliquerunt; hic autem, iſti videlicet magiſtri veſtri, per ſummam ſuam malitiam, & ſibi, & vobis, fontem ipſum Bibliorum perlucidum turbauerunt, & cùm turbaſſent,

non mi-

Biblia hæreticor.

non minus ipsi, quàm vos quoque, qui eorum ductum secuti estis, de fece ipsa haurire nō dubitauerunt. Quæ igitur ex hæresiarcharū ipsorū fraude atq. malitia deliberata, viderentur aduersus Biblia ipsa proficisci, diximus hactenus vt potuimus. Quid cæteri, capita illa viliora, qui in hoc quidem genere malitia peccare non videntur? Illi verò, si qui eiusmodi sunt, qui in media hæresi, malitia aliqua non peccent, crassa omninò ignoratione peccare vidētur. Cùm enim sibi pulcherrimos in scripturis progressus fecisse maximè videantur, homines ridiculi, propter aliquot selectiores saltem sententiolas, pro fide aduersus opera, ex euangelio excerptas, & mente atque cogitatione compræhensas, ita sunt vel maximè præcipuorum religionis nostræ capitum prorsus rudes, vt corticem modò quendam, eorum quæ Bibliis contineantur, tenere, à medulla illa interiore, in qua sola vis boni est, procul omninò abesse, & propterea in circuitu tantum ipso ambulare, medium nunquā ferire, & nunquam quò destinauerunt, peruenire posse videantur. Non secus ac Pharisæi & Sadducæi quondam; qui cùm sibi pulchrè sapere, & in ipsa scripturarum cognitione satis excellere viderentur, audiunt tamen à Christo domino. Illi quidem. Euntes, inquit, discite quid sit, Misericordiam volo & non sacrificium. Isti autem hoc etiam acerbius. Erratis, inquit, scripturarum ignari. Quomodo, discite? & quomodo, ignari? Vtique ignari: quòd verba tantum, inquit, scripturarum teneatis, vim earum penitus ignoretis. Discite, autem: vt quod verbo tenetis, re ipsa aliquando tandem exprimatis; nec sitis, quod estis perpetuò, semper discentes, & nunquam ad veritatis cognitionē peruenientes. Nimirum veritas & vis omnis scripturarum sanctarum, non in litteris est, vt isti putant, aut in characteribus, sed in vi & interpretatione spiritus. At cuius spiritus? non quidem priuati nostri, multò autem minus hæreticorum; sed spiritus ipsius diuini. Vt sicut nemo omninò ho-

minum ſcire poteſt, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, ita & quæ dei ſunt, nemo præter ſpiritũ dei, cognoſcere poſſe videatur. Quem quidem ipſum ſuum ſpiritum Deus non alii quàm ſoli eccleſiæ appromiſit. Ergo in hæreticis, quod ad Biblia ipſa attinet, nihil quartum reperias, præter aut capitale ſcripturarum odium, aut meram earum calumniam, aut certè ſummam ignorationem. Nos autem ſi differre ab ipſis volumus, ſicut certè velle debemus, illa duo præcipuè in hoc genere memoria teneamus. Vnum. Scripturam ſanctam, nec voluntate humana allatam eſſe, ſed à ſpiritu ſancto profluxiſſe: nec humana item voluntate, ſed eodem illo ſancto ſpiritu interprete exponi oportere. Quis enim legẽ verius interpretetur, quàm is qui eam condidit? Alterum. Spiritum illum ſanctum, diuinarum ſcripturarum & auctorem & interpretem fidiſſimum, non vni alicui priuato homini alligatum, ſed eccleſiæ ipſi, verè, vt modò dixi, & maximè propriè eſſe appromiſſum. Quamobrem ſi quid ex ſcripturis puri, ſi liquidi, ſi ſalutaris, haurire cupimus, ne ad ſolas, quæſo, ſcripturarum chartas nudas accedamus; imò ſi viui eſſe volumus, ne conſulamus mortuas; ſi catholici perhiberi, ne alias quàm catholicas, & de manu præsbyterorum catholicorũ ſumptas. Quin & earum quoque ipſarum catholicarum ſenſus ſcripturarũ, ne à Pythonibus iſtis neſcio quibus perſcrutemur, qui litteram quidem ſcripturæ emortuam, & mortis miniſtram, tenere poſſunt, à ſenſu ipſo viuo & vitali ſcripturarum ſanctarum penitus ſunt excluſi; ſed relictis iis, ſemper in rebus noſtris dubiis, certiſſimum totius veritatis magiſtrum, diuinum ſpiritũ adeamus: eumque ipſum in ſola catholica eccleſia, nec alibi, & conueniri, & inueniri poſſe, perſuaſum habeamus. Quid enim? Nunquid nos, qui in populo dei cenſemur, non à deo noſtro reſponſum requiremus? num viui ipſi, à mortuis hæreticis conſilia ſcilicet rerum noſtrarum capiemus? Ad legem, inquit propheta,

Biblia hæreticor.

pheta, ad legem; ſed & ad teſtimonium, ſed & ad teſtimonium. Quam ad legem, quæſo? ad legem, quod ſatis ſuperiore capite admonuimus, deſcriptam de ſacerdotum exemplari. Quod autem ad teſtimonium? ad ſpiritum, dico, ſanctum & diuinum, qui ſolius eccleſiæ catholicæ, non hæreticorum ſynagogæ, & doctor eſt, ac magiſter; & teſtis, non modò pro teſtimonio ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei, ſed etiam pro ſigillo promiſſionum, & pro pignore futuræ hæreditatis noſtræ: & omninò pro duce etiam & auctore, cùm aliorũ omnium bonorũ, tum ipſius inprimis veritatis, in vna, ſancta, catholica, Apoſtolica eccleſia inquirendæ, adipiſcendæ, tenendæ etiam perpetuò ac poſſidendæ. Quæ cùm ita ſe habeāt, nos quidem interim ad id quod noſtri inſtituti eſt, oculos diligenter referamus, & cùm diuinum prorſus beneficium eſſe intelligamus Bibliorũ ſanctorũ, quibus ferè eccleſia catholica, in media huius præſentis vitæ morte viuit, in mediis etiam iſtis cœcæ huius noſtræ ignorantiæ tenebris atque erroribus, regitur; demus ſanè operam, vt in ea potius eccleſia perſiſtamus, quæ Biblia ipſa, (at quē & qualem parietem?) in ipſo ſuo ædificio integrum ac benè munitum retinet: quàm aliam vllam quæramus, quæ vel ſine hoc pariete, hiare, noſque ad eum modum, omnibus omnium beſtiarum ac latronum impreſſionibus periculoſiſſimis obiicere videatur; vel quæ, pro integro illo ac benè firmo pariete, pertuſo vndique ac comminuto vtatur: noſque adeò ſi nō iam feris beſtiis, atque ſicariis hominibus, at certè ventis peſtilentibus, vel ſaltem ruinæ ipſi imminenti obnoxios exponat ac relinquat. Libro enim vtiq. Bibliorum tectos nos eſſe ab ea parte oportuit. Quod autem tantum robur libri eſſe poteſt, quod non tot conuerſiones labefactent, non tot interpretationes debilitent, non tot cenſuræ infirment, quot ab hæreticis ad Biblia conuellenda, certatim quaſi tela quædam, aſſiduè contorquentur? Quæ quidem

Biblia, quando ad eum modum tractantur ab hæreticis, in eo præsertim genere, in quo vno se ipsi magnopere, præ nobis penè etiam ipsis, iactare solent ac venditare: quid expectas quid facturi sint in aliis, cùm videas quid in iis faciant, quæ se pro sacrosanctis habere videri planè volunt, & censeri.

CAP. III.

Hæreticorum contra patres & Doctores SS. indignatio.

Hæretici suo sensu scripturas interpretantur.

Ideo patrum expositiones, qui est secundus paries ædificii nostri,
vel non curant: ex quo in multa incommoda incurrunt,
vel vt à suspectis refugiunt,
vel certe eas cauillari non desistunt,
vel denique palàm contemnunt.

Patres contemni non debent. tum quia doctissimi ac fidelissimi, tum quia ad sedandas controuersias maximè idonei.

Hæretici cùm patres reliquerunt, ad sua ipsorum somnia delabũtur. quæ neque eruditione cum scriptis patrum conferri possunt, & tempore ipso citò euanescunt.



Ixi de Bibliis, deque eorum interprete spiritu ipso diuino. Verùm hæretici, cùm non ignorent, & scripturas quidem ipsas Bibliorum sanctorum ita esse difficiles, vt ad earum intelligentiam, quemadmodum nunc diximus, sensus ipsi nostri penitus sint hebetes & obtusi; & donum præterea ipsum interpretationis earum, donum esse proprium ecclesiæ, ab eodem illo diuino profectum spiritu, à quo potissimum ipsæ quoque illæ emanarunt; vtrumque tamen vtrinque æque negligunt, &

susque

Hæretici contra patres.

ſusque deque habent. Nam & ea, quæ non intelligunt, interpretari tamen audent, & interpretationes ipſas ſuas neque ſpiritu illo ſancto auſpice aggrediuntur, neque eccleſiæ ſenſu atque intelligentia definiunt, ſed ſic, nulla neque eccleſiæ expoſitione fulti, neque diuini illius ſpiritus adiumento nixi, propria interpretatione, quam quidem, de ſententia beati Petri Apoſtoli, ab omni prophetia ſcripturæ « neceſſariò amoueri oportuit, quicquid modò vndecunque « arripiunt, id omne ad priuata detortum deſideria, deprauant potius quàm declarant; atque hoc modo non ſolùm ipſi per ſe, in ſacroſancta adyta illa ſcripturarum ingredi non queunt, ſed etiam duces ipſos difficilis & inuii, addo etiam & periculoſi itineris, Doctores ipſos eccleſiæ ſanctæ, indigniſſimis acceptos modis reiiciunt atque aſpernantur. Homines, in poſtremo illo & contemptiſſimo hominum genere poſiti & locati: quos Heſiodus nec per ſe ſapere ipſos dixit, nec aliorum ſapienter inuentis vti velle, ſiue ad vitam ipſam, tum ſuam, tum aliorum, rectè & laudabiliter inſtituendam, ſiue ad ingenia ſaltem, tum ſua ipſorum, tum omninò elegantium quorumque hominum vel paſcenda, vel oblectanda. Indocti planè atque inſtabiles, vti iampridem ab eodem illo Apoſtolorum principe « ſunt appellati; indocti quidem, qui lumen illud docentis intus, ac præeuntis ſpiritus ſancti, de induſtria extinguant; quo doctore ſimul ac ductore quoque, in tantis errorum tenebris, verum ipſum & diſpicere, & ſequi, & tenere potuerunt; inſtabiles autem, quòd poſteaquàm à columna illa & baſi totius veritatis, eccleſia diſceſſerunt, nuſquam omninò, ne in ipſis quidem illis recens ſuſceptis ſuis erroribus, diu conſiſtere poſſe videantur. Vbi enim ex illo ipſo tutiſſimo eccleſiæ portu ſemel ſoluerunt, ſeque deinceps non rectoribus legitimis, patribus et doctoribus ſanctis, vehendos tradiderunt, ſed tetris fluctibus, ac ſpurcis opinionum ſuarum tempeſtatibus iactandos permiſerūt, tum verò magis

Hæretici contra patres.

rò magis atque magis,nunc huc,nunc illuc, miſerè nauem allidunt, & ad extremum, gubernaculo ipſo ſcripturarum ſanctarum vel fracto, vel amiſſo, vel certè de manibus excuſſo, quolibet deinde, & quantumuis vario atq. etiam aduerſo doctrinarum vento correpti, temerè circumagũtur: vt ita non ſolùm velut cœci, errent & vagentur,non ſolùm vt illi qui ſine duce ſunt, ſæpiſſimè offendant, ſed etiam,vti furioſi, vltrò oblatum lumen reſpuant atque auerſentur, nec ſe à ſanctiſſimis quibuſque hominibus & doctiſſimis, duci ac doceri ſinant; inuidi etiam & maligni, qui non ſolùm ipſi hoc tanto bono non vtantur, verùmetiam alios vti eo ſiue prohibeant, ſiue adeò minimè patiantur. Suſpectos ſe viros illos habere,aiunt. Ego verò ſi id de ſuorum temporum æqualibus, theologis noſtris, æmulis iſtis ſuis dicerent, cum quibus propriè concertatio ipſis doctrinæ atque ingenii intercedat, minus mirarer, prudentiam etiã fortaſſis illorum approbarem. Nunc verò quis non miretur, eos ab illis aliquam in ſuſpicionem vocari,cum quibus lis ipſis nulla, certamen nullum, controuerſia etiam nulla intercedat? quis non miretur, viros à memoria quaſi hominum præſentium remotiſſimos, à ſuſpicione iſtorum remotos non eſſe? & eos ipſis in eiuſmodi ſuſpicionem venire, quos mors ipſa, pridem vel naturæ reddita, vel huius ipſius, quam profiterentur, religionis cauſa adita, ſicut de vita planè ipſa prius exemit, quàm de huius temporis controuerſiis noſtris,aut ſentire,aut diuinare ſaltem potuiſſent, ita eos ab omni iſtiuſmodi ſuſpicione iamdudum vindicauit. Suſpectos ſe habere aiunt. Quî quæſo? cùm ipſi iam quidem voluntatem ambulatoriam illam non habeant, vt aut in gratiam, aut in odium cuiusquam, diuerſum ab eo quod ſemel dixerunt,loqui poſſint. Dixerunt autem? imò, quod ita litteris ad perpetuitatem conſignatum reliquerũt, vt ſcripta eorum non amplius pro ſcriptis priuatorum, ſed pro quibuſdam quaſi eccleſiarum actis ac monumẽtis publicis,paſ-

Hæreti[ci] contra patres.

blicis, paſſim habeantur: quibus fides, ſine ſumma capitalis fraudis ſuſpicione, derogari nequaquam poſſe videatur. Quod cùm ita ſit, permirum ſanè eſt, & iterum atque iterũ dico, permirum eſt, an potius dixero etiam periniquum, non modò ea non teri manibus iſtorum, ſed etiam planè violari, & ſuſpicionibus indigniſſimis onerari. Non enim, quod videmus, parcitur ſanctitati, non eruditioni, non innocentiæ eorum; vi geritur res, & furore quodam inſano atque præcipiti, quando illos eorum virorum libros, quibus ducibus, ad veram ſcripturarum intelligentiam facilimè potuiſſent peruenire, eos ipſos omni cura atque diligentia tanquam ad necem conquiſitos, aut ſtudẽt è medio tollere ac opprimere, vt ita pereat anima eorum, cum inimicis eorum; aut ſi non opprimere, ſaltem ita ſupprimere, vt tamen iis, cùm commodum eſt, aduerſus catholicos abutantur; aut ſi ne id quidem poſſint, tum eleuare ſaltem, & in ordinem quaſi cogere adnituntur, vt non modò admiratores deinceps nullos habeant, ſed vt vix etiam lectores ipſos. Quod planè naſcentibus hæreſibus noſtri temporis, apertiſſimè ab hæreticis noſtris, maximis eorũ ſtudiis procurari videbamus. Nunc enim, cùm ne in hoc quidem magnopere ſe quicquam profeciſſe intelligunt, vt auctoritatẽ librorum illorum minuere potuiſſe viderentur, ad cauillos cõuerſi, callidas quaſdam illorum interpretationes admouere, & omninò varias, pro re, & tempore, & loco, machinas, vario ac mirabili quodam artificio, ad eorum qualecunque incommodum comparatas, conferre moliuntur: idque vel tum maximè, cum maximè teſtimoniis atque auctoritate eorum, pro catholica adductis à nobis fide ac religione, premi ſe intelligunt. Quo quidem in ipſo genere, illa etiam veteratoria prorſus ratione vti non dubitant, quòd initio quidem non ſtatim aut odiſſe ſe patres ipſos oſtendunt, aut contemnere, imò vt facilius rudi popello perſuadeant, illam etiam venerandam antiquitatem, aliqua ex

T   parte

Hæretici contra patres.

parte à se stare, auctoritatem eorum tueri se magnificè simulant, atque id quamdiutissimè possunt, omni ratione præseferunt. Verùm vbi iam doctrinam eorum, in suæ doctrinæ contentionem veluti quandam adduci, & quasi ex aduerso opponi sibi intelligunt, tum mihi continuò aut de auctoritate eorum muti fiunt, verbis autem ipsorum, in rem præsentem productis, interpretationem aliquam, si possunt, affingunt, leuem, falsam, ineptam, putidam; aut verò, ne se diu torqueant, statim commutata velificatione, omnes quotquot sunt patres, in turbam, interdum verò etiam infra turbam coniiciunt, & cuilibet de vulgo pares, imò ne pares ferè quidem faciunt. Sic enim alicubi Luterus de Diuo Hieronymo. » Hieronymus, inquit, historiæ gratia legi potest; fidei autem & religionis causa ne debet quidem. Nam de iis verbum nullum in eius scriptis reperias; ideoque inter patres & Doctores ecclesiæ ne numeretur. Quid Origenes? Eum ego, inquit, iam proscripsi. At Chrisostomus saltem. Ne is quidem, inquit, quicquam apud me valet. est enim tantum rabula. Quid Basilius? Monachum duntaxat esse censeo: cæteroquin eiusmodi hominem, quē ego totum quātus est, ne pilo quidem vno putem esse æstimandum. Quem igitur pro his recipiendum esse iudicas? Eloquar, an sileam? Vereor enim, si dixero, vt

Auditum admissi, risum teneatis amici.

Sed dicam tamen. vos risum quantum potestis comprimite. » Vna, inquit Luterus, vna Melanchtonis, hoc autem est, Mei Lanscnechtonis Apologia, omne omnium in vniuersa ecclesia Doctorū genus longè superat. Quid risistis? Nisi fortè mutuum scabentes mulos. Nimirum

Labore alieno magno, partam gloriam
Verbis sæpe in se transmouent, qui habent salem:

Quod in his est. O Gnathones & Thrasones insulsissimos. His isti elogiis, lumina illa & columina religionis ac totius ecclesiæ sanctæ, quibus mundus non erat dignus, isti, qui mundo

mundo non erant digni, afficiunt: his atque eiuſmodi laudibus & præconiis ipſos proſequuntur. Quid nos eorum clientes, qui illos pro patribus patroniſque agnoſcimus, quique in omni doctrina noſtra, libẽter eos nobis, vel præire, vel certè ſuffragari pat mur? Nos verò illi, vocabulo, non tam contempto quàm contemptibiliter à ſe adiuuento, Patrologos, non Theologos videlicet appellant: & nihil aliud quàm patrum ipſorum dictata, in medium afferre quiritantur. Portenta hominum. Quid ſeipſos? Se quidem ipſos, planè vti germaniſſimos theologos deceat, nihil humanum pro diuino recipere, omnia in eccleſia, ad ſola, verbo Biblia, re, inſani ſui cerebri deliria, conferre profitentur. Quid agitis boni viri, quid agitis? quò ruitis? ſiccine vos ſolos ſapere exiſtimatis? Quaſi verò diuini illi & cœleſtes viri, patres noſtri, aut non ſuper Bibliorum fundamentum, genus ipſum doctrinæ ſuæ ædificauerint, aut ea, quæ Bibliis continentur, minus intellexerint, aut etiam intellecta, de induſtria, ſiue tenebris obduxerint, ſiue adeò diſſimulauerint; quorum vnum quidem à rei ipſius euidentia, alterum ab eorum maximis ingeniis, tertium autem à fide & integritate ſumma, manifeſtò abhorreat. Quid eſt enim cuiquam æquè tritum aut familiare, quid æquè planum aut expoſitum, quid æquè colendum aut venerandũ, quàm ſunt Biblia his, de quibus loquimur, patribus? Quibus cùm vos, id quod eſt & ipſis conuenientiſſimum, & per ſe manifeſtiſſimum, ac veriſſimum, audetis velle adimere, dicite, obſecro, per genium veſtrum, cui tantopere indulgetis, per veſtram iſtam eruditionem atq. prudentiam, qua ſe vobiſcum nemo non ſtultiſſimus conferre cupiat; dicite, inquam, ſi qua difficultas incidat in Bibliis ſacroſanctis, vti multa eiuſmodi in ipſis etiam Pauli epiſtolis eſſe, ipſe quoque Apoſtolorum princeps atq. coryphæus, & ſentit, & teſtatur. Dicite, ſi qua de rebus illis difficilibus, interpretationum varietas oriatur & exiſtat, quónam potiſſimum ſiue

Hæretici contra patres.

Heretici contra patres.

nos, siue vos etiam ipsos, incertos ac perplexos, confugere velitis? aut vnde vacillantibus nostris animis confirmandis, subsidia comparare debere existimetis? Nos quidem ad vos medius fidius non ibimus, vt inde aut nihil, aut, quod etiã peius est, meras pietatis offensiones hauriamus; nec vos item ad nos, vt opinor, ituri estis. Qui enim magistri vestri sunt, ii millies errare vos malunt, quàm semel à nobis ad salutem informari. Aut igitur suspensi vtrinque manebimus, aut suis quisque inuentis molliter ac delicatè indormiemus. Atqui neque vos nostris, quanquam, quod verè dicere liceat, vestris longe melioribus, frui nos, sine risu vestro permittetis, neque nos rursus, sine commiseratione, vestris vos decretis insanissimis furere in vulgus & bacchari patiemur. Quid igitur? itáne nobis perpetuò vtrinque blandiemur, vt suo quisque studio delectati, contemnamus alteros? aut contrà, itáne semper animo erimus dubio & suspenso, vt ne nostris quidem ipsorum decretis magnopere niti audeamus? Quid si vtrinque non iam solùm aliena contemnamus, non etiam contemni solùm nostra ab aliis sentiamus, sed, qui ferè exitus est eiusmodi contentionum, armis sua quisque tueri incipiamus? atque ita non modò eam charitatem discindamus, quæ sola nos facere debuit christianos, sed etiam orbem ipsum terrarum & rempub. bello ciuili ac seditionibus inuoluamus: & illis, quæ bella ac seditiones necessariò consequuntur, funeribus scelestis ac nefariis omnia compleamus? Etiámne tum, nullã de eiusmodi dissidiorum tollendorum remedio, cogitationem suscipiemus? etiámne de rebus interdũ vix persuasis, sæpenumero autem temerè omninò arreptis, digladiari inter nos nunquam desistemus? Quid? si pertæsi tandem aliquando mutuarum dissensionum illarum, congruere etiam nostras inter nos sententias cupiamus? ecquánam tibi aptior & conuenientior coniungendorum animorum nostrorum ratio esse videbitur, quàm vt vtrique

viros ab

Hæretici contra patres.

viros ab omni factionum nostrarum suspicione remotos adeamus, sententiasque eorum de nostris inter nos dissensionibus exquiramus, & eorum decretis standum nobis esse existimemus? Minimè, inquiunt. Quid igitur? Ad scripturas, inquiunt, ad scripturas. Rectè sanè. Erubescimus enim nos quoq. quoties sine scripturis loquimur. Ad quas autem scripturas, quæso? ad illasné à vobis tam in cortice quàm in medulla violatas? ad illasné aut inuisas vobis, aut vestrarum, tum conuersionum malignitate an imperitia peruersas, tum interpretationum diuersitate distractas, multis etiam librorum quasi capitibus truncatas, atque adeò ipsis libris integris mutilatas? & denique, ad illasné, vobis ipsis & hæreticis omnibus, non minus quàm diabolo ipsi, vt diximus, communes? Verùm hæc interea relinquamus, & optata loquamur. Quid, quæso, si de scripturarum istarum intelligentia atque sensu, aut non planè nobis constet, aut non prorsus inter nos conueniat? Quid agas? Quid agam? Scripturam, inquiunt, obscuram, dubiam, difficilem, scriptura apertiore, clariore, faciliore explicabo. Audio. Sed quid, si hæc posterior, nihilo mihi priore clarior aut facilior videatur? quid si non solùm videatur, sed etiam ita sit? Fieri non potest. Imò potest. Sed mittamus. Quid si tu vtramque scripturam illam ita contorqueas, vt, non quod ipsa dicat, sed quod tu velis, id eam & dicere, & sentire iubeas atque cogas? Malitiæ, inquis, hoc esset. Et quidem summæ. sed quid, si facias? aut quid, si etiam ego ipse idem faciam? quod tamen sciens, profectò nunquam faciam. Sed vtcumque est, quid si aut tu facias, aut ego faciam? Malitiæ, inquis, hoc esset. Quid autem, (quod non est iam malitiæ, sed, quod est aliquanto minus, imperitiæ) si tu, quid vtraque illa scriptura velit, non assequare? Fieri non potest, inquis. Imò potest. Sed quid, si illud, quod omninò potest, eueniat, vt tu assequare quidem, ego verò te assecutum esse, aut studiosè negem, aut saltem tacitus non credam, aut

Hæretici contra patres.

dam, aut verò dubitem, aut certè ipſe non aſſequar? Quid autem, vt demus cætera rectè eſſe, quid, inquam, ſi eum tibi honorem habere noluero, quem tu quoque ipſe patribus ipſis habendum eſſe non putaſti? vt decretis mihi tuis, etiam alioqui optimis & ſanctiſſimis, ſtandum eſſe vlla ex parte exiſtimem? ſed, cùm tu tibi licuiſſe in animum induxeris, à communi antiquorum patrum conſenſu, arbitrio tuo demigrare, ego item, atque etiam multò magis, licere mihi putem iure meo, à tuis ipſius decretis nouis diſcedere? Atqui veriſſima ſunt, inquies; optima ſunt. Mitto. At tu me initio, non ad decreta vlla & interpretationes tuas, à ſcriptura velle transdere, ſed ad ſcripturas potius ipſas vocare, videbare. Hoc age igitur. Hoc agam, inquit, & verbum Dei purum putum afferam. Verba. Nec enim in eo quoque à leuitate ſua diſcedere norunt hæretici, vt faciant in hoc genere, quod facturos ſe receperunt. Sed vbi ſe initio, in ſolius expreſſi, vt ipſi loquuntur, verbi dei auctoritate conquieſcere, hominumq́ue interpretationes repudiare oſtenderint, ad medium progreſſi, primùm illo ipſo expreſſo dei verbo, quo, tanquam certiſſimo receptu, aduerſus omnes impreſſiones vti, conſtitutum habebant, vel percelli ſe, vel deſtitui, vel certè depelli intelligunt; deinde autem eò impudentiæ ad extremum delabuntur, vt Luteríue, Caluiníue, ſuúmue ipſorum verbum, pro verbo dei, nobis obtrudere, vel etiam præ verbo ipſo dei, & æſtimare, & amplecti, non vereantur. His nos igitur tam imperitis figulis, proh pudor & dedecus temporum ſimul ac ingeniorum noſtrorum, ſalutem noſtram committemus? quorum, vt cætera omittam, tanta eſt leuitas, tantaq́ue inſcientia, vt cùm amphoram ab initio inſtituere cœperint, rota ipſa currente inertiæ atque inconſtantiæ ſuæ, ſubitò nobis vrceum pro amphora produxiſſe videantur? Sed de vrceo facile eſt. Illa eorum cœcitas, & iudicii peruerſitas, omnes profectò perperam efictos vrceos longè ſuperat, quòd dum Auguſtinum, Hie-

Hæretici contra patres.

num, Hieronymum, Ambrosium, Theophilactum, Origenem, lumina illa, vt dixi, & columina fidei catholicæ contemnunt, ac floccifaciunt, & prorsus è scholis christianorum excludunt, ad scopulos istos, quos dixi, religionis, ad Luterum, Caluinum, & cæteros id genus, miserè adhærescunt, homunciones ipsos planè indignos, qui superiorum illorum diuinorum virorum fibulam soluant calceamentorum, si eruditionem spectes; nam in pietatis comparatione, hi quidem cum illis locum habere nullum queunt; cùm quantum ab ætate, tantum à reliquis omnibus eorũ laudibus, planè abesse videantur. Ex quo fit etiam, vt eiusmodi peruersa illorum iudicia, non modò ratione & argumento refellantur, sed etiã confutentur ipso tempore. Nam illorum quidem diuinorum libri hominum viuunt hactenus, & tempore ac vetustate ipsa, quæ aliis rebus omnibus interitum adferre solet, indies magis ac magis roborantur; horum autem amicorum nostrorum libri, cùm nullum prorsus, vt dixi, nec apertæ pietatis, nec eruditionis reconditæ genium habere videantur, cum auctoribus ferè ipsis, atque adeò sæpenumero ante auctores etiam ipsos suos moriuntur; & quæ opiniones de rebus ad religionem pertinentibus, post ipsos demum natos, natæ primùm, vt ostendimus, & in orbem ipsum terrarum inuectæ extiterunt, eæ non raro ante ipsos etiam suos fabricatores extinctos, ipsæ vltrò extinguuntur. Atque hæc quidem eiusmodi temporũ & tempestatum ludibria, amores sunt tamen ac delitiæ eiusdẽ generis hominum.

CAP.

CAP. IIII.

Sanctorum patrum honos in ecclesia catholica.

Hoc ipso quòd ecclesia patres recipit, recipiendi sunt.

Patribus opus est, vltra Biblia & cathechismos, præsertim in medio hæreticorum.

Obiectio hæreticorum. Patribus non sunt tribuendi diuini honores scripturæ sanctæ. Responsio catholicorum.

Ex sola patrum lectione, multos ad ecclesiam rediisse.



CÆterùm quando illi ab eo, quominus tantopere se ipsi ament, dimoueri non possunt, legant sane sua cum suis, sine inuidia, quoad libeat; ament etiam eadem quæ cœperunt, sine riuali.

Non equidem inuideo, miror magis. Nobis ecclesia ipsa, non istos nescio quos, sed planè PATRES, ex omni antiquitate selectos, quos oriens, quos occidens, quos vniuersus denique terrarũ orbis, summos religionis Doctores ac magistros agnouit pariter, & coluit quidem semper, & adhuc agnoscit colit atque veneratur, eos pro columinibus doctrinæ sanctæ proponit, eos denique quisquiliis istis opponit. Vtros igitur vtris anteponemus? Dicam clarius. Ecclesia catholica mater nostra, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum, Epiphanium, Ambrosium, Tertullianum, Bernardum, Gregorios proponit nobis. Synagoga hæreticorum, non mater, sed nouerca, Luterum proponit, & Melanchthonem, & Brentium, & Sarcerium, & Musculum, & Caluinum, & Bezam, & Zuinglium. Vtri igitur maiorem fidem habebimus? Vtros etiam vtris præferemus? Orbis quidem vniuersus, ante hos nostros quinquaginta, post mille quingentos & ampli-

Catholici pro patrib.

& amplius à Christo nato annos, hæreticos istos non norat; & tamen vitam pariter & doctrinam Christianam norat. Quid igitur dicemus? Dicunt interdum. Patribus minimè opus esse; Biblia ipsa sufficere; imò catechismum ipsum sufficere. Dicunt hæc quidem, & tamen ipsi & catechismos catechismis accumulant, & Bibliorum conuersiones multiplicant, & libros præterea multos, quasi magistros quosdam, ad sua sibi desideria coàceruant; prurientes ipsi auribus, & à veritate quidem auersi, ad fabulas " autem conuersi. Quibus quidem omnibus non egerent, si " Bibliis solis contenti essent. Catechismus sufficit. Fortassis: sed quasi modò genitis & lactentibus, non adultis. Biblia sufficiunt. Sufficiunt fortassis: sed adultis, sed solo lacte ecclesiæ enutritis, non iis qui à materno ecclesiæ vbere abrepti, tetro hæreticorũ veneno sunt imbuti. Biblia sufficiunt. Sufficiunt fortassis: sed Augustinis, Ambrosiis, Chrysostomis, Gregoriis, aut simili ingenio & doctrina præditis; non iis, qui nisi præmansum, in viscera traiicere aut concoquere non possunt. His enim profectò Patres & Doctores ecclesiæ opus sunt. Quid enim? an verò ignoramus fratres, id quod Paulus ad Ephesios scribens, litteris reliquit consignatum, Doctores ipsos & pastores, non minus quàm Apostolos, & prophetas, & Euangelistas, datos esse diuinitus " ad consumationem & perfectionem sanctorum? Quomo- " do, quæso, AD PERFECTIONEM? Nimirum vt non statim perpetuò, in omnem vitam nostram, conditione illa puerili contenti simus, primis ipsis agnitionis filii dei rudimentis vtcunque degustandis, in quibus etiam, veluti semper paruuli, semper fluctuemus: sed vt deinceps, insignibus admodum incrementis, ad illam & ætatis maturitatem, & perfectionem staturæ, et, quod caput est, morum absolutionem quandam, nauiter contendamus, quæ est virorum perfectorum: vt nimirum ab eo, quod semel in ecclesia catholica præhendimus, nõ tantum dimoueri nos

nunquam patiamur, ſed potius, actis ſemel beneficio muneris paſtoralis, altiſſimis in doctrina Ieſu Chriſti radicibus, ſecurè deinceps ventos contemnamus doctrinarum contrariarum, iiſque nos ventis vel auferri quòlibet, vel iactari qualibet, vel certè in loco ſummergi ac ſuffocari non permittamus. Hoc magis, quòd iſtiuſmodi hæreticorum paratis quidem ad circumueniendum animis atque ingeniis inſtructorum, doctrinas, aduerſas nobis atque contrarias, in eiuſmodi verſutia & nequitia, ſcribit beatus Paulus occupari, vt hominibus iam quidem ipſis pro talis, ipſa autem illa ſanctiſſima Dei Opt. & Max. religione, pro leuiſſimo talorum ac teſſerarum ludo abuti non vereantur. Ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, inquit Paulus. Significans, quemadmodum malitioſi luſores, talis huc illuc pro arbitrio, quo iure qua iniuria locandis & transferendis, omnem ludi rationem ſoleant permiſcere, ita nequiſſimos iſtos homines, animis innocentium virorum temerè illudendo, eoſque in diuerſa atque contraria ſuperſtitionum ſtudia ſeducendo, omnia vitæ eorum inſtituta perturbare, ludumq. adeò religionũ, non iam tanquam fidium, qui elegantium eſt ſcilicet hominũ & vrbanorum, ſed omninò ceu teſſerarum, qui latronum ferè ac ſicariorum ludus eſſe conſueuit, ludere, atque in hoc tam proiecto ludo, hominibus etiam ipſis miſeris, pro talis, vt dixi, abuti ſolere. Quorum ſanè hominum ſiue fraudibus, ſiue ludibriis, ne vſque adeò patêre videatur vita noſtra, iccirco eccleſia ipſa, quos diuinitus, vt diximus, ad eorum malorum remedium, accepit paſtores & doctores, eos ſtudioſè retinet, eorumque opera, in eiuſmodi technis vel aperiendis, vel amoliendis, libenter omninò vtitur: hiſque adeò auctoribus admodum idoneis, tum ſeipſam veram eſſe eccleſiam demonſtrat, (veræ enim profectò eccleſiæ, non falſæ, neque aſſimulatæ, dati ſunt diuino munere paſtores & doctores, vt vbi corpus fuerit, eodem congregentur & aquilæ) tum aduerſarios, in-

ſcitia,

Catholici pro patrib.

scitiæ, simulationis, erroris, fraudis denique conuincit: opponens ipsis os tutorum ac defensorum suorum, & sapientiam eiusmodi, cui ipsi, cum omnibus portis inferorum, resistere non queant. Quod quidem dum facit, tum verò denique rationem omnem doctrinæ, institutorumque suorum, maximè omnium cõfirmat & tuetur. Etenim quanto quisque propius aberat ab ortu illo religionis nostræ, cùm primùm ecclesia ipsa christiana & orta & nata extitit, hoc profectò & acutius omnia vidit, & certius ac fidelius omnia tradidit, quàm isti tanto interuallo, non modò videre, sed etiam suspicari saltem potuerunt. Illorum igitur pastorum & doctorum libros, quæso Christiani mei, quæso catholici mei

Nocturna versate manu, versate diurna.

Magna enim, mihi credite, continent archana sapientiæ, & scientiæ Dei. Facite, si lubet, periculum in nostra, vt dixi, catholica doctrina defendenda, facite in hæreticorum cõuellenda; facite in humanis, facite in diuinis litteris: facite in virtutibus serendis, facite in vitiis extirpandis, quæ theologos scire æquum est, solertes dabo & diuinos. Diuinos, inquam, dabo. Diuinos prorsus dabo. Vt habeant aduersarii quod eos mordeat, quodque & queri eos, & diuûm hominumque fidem implorare cogat: si hominibus ipsis mortalibus, atque adeò, si naturam communem respicias, etiam vanis, diuinam planè auctoritatem tribui intelligant. Primùm enim vani esse non possunt, in quibus est scientia Dei; deinde, quanquam illa quoque eorum auctoritas, si Latinè quidem dicendum sit, diuina prorsus videri non possit, quæ diuinis ipsa auctoritatibus opus habeat ad se confirmandum; tamen illud quoque negandum non est, vbi se his satis corroborauerit, & earum sententiis, vt sic dicam, obsaturauerit, ipsarum sanè quodammodo induere & vim & naturam. Scitum est enim illud Augustini. Ego, inquit, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici ap-

 pellantur,

„ pellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, vt „ nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmis„ simè credam. Alios autem ita lego, vt quantumlibet san„ ctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putē, quia „ ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores ca„ nonicos, vel probabili saltem ratione, quæ à vero non ab„ horreat, persuadere potuerunt. Hæc Augustinus. Quæ ipsa sanè totidem verbis, in legibus & canonibus ecclesiasticis extant repetita; ne quis ecclesiam, vti arbitrantur hæretici, eius sententiæ pudere, aut pigere vnquam existimare queat. Etsi igitur patres suam ipsi auctoritatem diuinæ auctoritati parem prorsus nunquam faciunt; nō, ne nos quidem ipsi auctoritatem eorum; tamen quoniam & suam ipsi doctrinam ex diuinis potissimùm fontibus hauriunt, & auctoritatem suam, maximè diuinorum, vt dixi, scriptorum & oraculorum auctoritate muniunt, & ab ecclesia, quod summum est, rectæ, piæ, sanæ, orthodoxæ denique doctrinæ, iampridem testimonium ferunt, fit, vt eorum nobis quidem auctoritas meritò diuinæ auctoritati proxima, atque adeò diuina etiam ipsa esse videatur. Quæ enim ecclesiæ auctoritas, has aut illas, & Matthæi, & Marci, & Pauli, & Petri, & Iacobi, & Mosis, & Esaiæ, & Hieremiæ, & reliquorum eiusmodi, scripturas, diuinas præ aliis videri, & passim existimari fecit, (quid est enim, aut quid fuit vnquam, ad eas pro diuinis amplectendas, auctoritate ecclesiæ efficacius?) eadem profectò effecit, vt Augustini, & Hieronymi, & aliorum consimilium patrum scripturæ, diuinis scripturis proximæ, & suo quodam modo etiam diuinæ esse videantur. Aut igitur ego quoque, in ipsius diuinæ scripturæ auctoritate æstimanda, quodammodo vacillabo, nisi me auctoritas ecclesiæ commouerit; aut eadem sanè ecclesiæ auctoritas, teipsum profectò debebit commouere, vt suam, hoc autem est, paulò minorem, patribus ipsis auctoritatem tribuas, si me voles Bibliorum tuorum

auctoritatem recipere pro diuina. Et certè si diligenter attendas, quàm vtiliter eorum auctoritas sarta tecta in ecclesia conseruetur, tum verò & tantam illis tribui, & tantopere eam conseruari, multò profectò mirêre minus. Noui equidem quàmplurimos, qui in hoc nostræ ætatis miserando, & inprimis calamitoso fidei atque religionis naufragio, cùm, quid amplius facerent, quóue se verterent, in tantis angustiis, nec haberent, nec viderent, cæteris quasi omnibus destituti auxiliis, & cunctis desperatis rebus, vnā hanc veluti tabulam quandam amplexi, patrū sanctorum lectionem, cùm eam ita tenuissent, vt eam de manibus dimittere, & aliò desilire noluerint, salui per Dei gratiam atque incolumes ex illa tempestate enatarūt, & ad optatum tranquillitatis ac securitatis portum appulerunt. Sic, sic ecclesia catholica, ipsis quoque patrum scripturis retinendis, proponendis, defendendis, suam mirificè aduersus hæreticos constituit auctoritatem.

Concilia apud catholicos.

CAP. V.

Conciliorum auctoritas in ecclesia catholica.

Tertius paries in ecclesia catholica, sunt Concilia.
Vtilitas huius parietis, comparatione superiorum.
Concilium quid.
Conciliorum auctoritas quanta.
Ideò ecclesia necessariò suo tempore, etiam cum periculo ad ea confugit.

Hic de concilii Tridentini frequentia & libertate.
Non alit igitur controuersias ecclesia, sed sopit.
Non dominatur fidei, sed omnium iudicio se summittit.
Non aduersam sententiam in conciliis, sed benignam reportat.
Et hæc quidem omnia inde maximè eueniunt, quòd concilia à solo Pont. Max. indicuntur.

Concilia apud catholicos.



Tque hæc quidem de patribus, qui nobis alterum quasi ecclesiæ parietem repræsentant. Sequuntur, vt dixi, CONCILIA, quæ à tertio veluti latere, fulcire videntur ecclesiam Dei; & quidem fulcire sic, vt inter humana præsidia, vbi à diuino discesseris, (quanquam ipsa quoque Concilia, diuina magis quàm humana præsidia censenda sunt) vix quicquam validius ad firmandum statum ecclesiæ posse excogitari videatur. Magnum est, sub vno iudice causam semel obtinere; maius, binorum, ternorúmue subselliorum decreto, rem iudicatam habere; quid orbis terrarum iudicio vincere? quid? eius ipsius tam latè patentis iudicii, non semel atque iterum, sed semper, quoties opus sit, secunda suffragia reportare? Nimirum ipsius quoque catholicæ ecclesiæ prærogatiua magna est, testimonium ipsum solius scripturæ sanctæ; quod est vnius veluti suffragium iudicis. Quo ipso adminiculo, ac veluti pariete, fulta ecclesia ab vna parte, egregiè se sustentat, nec hæreticorum sepes, quæ ad illum quoque interdum parietem adniti velle videntur, magnopere reformidat. Verùm altero illo pariete multò etiam se robustius tuetur ecclesia, patrum ipsorum, iudicũ videlicet complurium auctoritate; quæ etsi aliquanto infirmior per se, nec admodũ firmiori scripturarum ipsarum parieti innixa, hoc ipso tamen mutuo vtriusque parietis complexu angulari, & seipsam roborat, & scripturas sustentat, &, quod caput est, hæreticos, ceu fures quosdam & latrones, facilius amolitur. Maximum autem robur ecclesia colligit, ex tertii præterea parietis ad secũdum parietem accessione. hoc autem est, ex decretis conciliorum sanctorum. Qui quidem paries tanto est firmior, tantoque validior, quanto connixus ipse omnium mortalium, qui conciliis vniuersalibus quodammodo repræsentatur, connixu certorum hominum, in

quibus

Concilia apud catholicos.

quibus ſunt patres & doctores, fortior vehementiorq. habetur. De quibus quidem conciliis ſtatim dicemus, ſi modò hoc loco eodem, quo ſtructuram ipſam trium eccleſiæ parietum obiter perſtringere voluimus, quartum etiam illum parietem Traditionum ſanctarum, ſilentio interea nō prætererimus; qui mihi ita aptè ad huius totius ædificii deſcriptionem, poſitus eſſe videtur, vt & illum quidem ſcripturarum ipſarum parietem primum, ex altera parte fulciat, & omninò omnium parietum iſtorum, tum conformationem totam perficiat, tum firmitatem ipſam, vltima cū primis iungendo, corroboret. Vt iam in hoc amabili ædificio eccleſiæ ſanctæ, ex vna quidem parte, ſcripturæ cum traditionibus, ex altera autem parte, patres cum conciliis, manibus ipſis iunctis ac colligatis, ſpeciem nobis reddant atque imaginem quaſi gratiarum illarum, quas implexis inuicem manibus finxerat ingenioſa illa antiquitas ethnicorum. Sed de quarto ipſo pariete, vbi de tertio dixerimus, vberius loquemur. Nunc breuiter tertium explicemus eccleſiæ parietem, Conciliorum ſanctorum. Quæ quidem non aliud eſſe videntur, quàm Senatus quaſi quidam, ex omnibus & viuis, & vita functis patribus, vnum in locum, vnius etiam illius auctoritate coactus, qui ſolus vel maximè aſpectabilis, aſpectabili noſtræ catholicæ præeſt eccleſiæ: & quidem coactus, de rebus in religione dubiis, aut controuerſis, vel certè ad religionem quomodocumque pertinentibus. Quo ipſo tertio addito pariete, minus iam profectò eccleſia pertimeſcit flabra illa Aquilonum contrariorum. Cùm enim ſingulorum per ſe patrum, tantam, quantam ſuperiore loco breuiter expreſſimus, auctoritatem eſſe ſtatuat, tum de vniuerſis ſanè ad concilium coactis & congregatis, magnificè & ſentiri, & prædicari oportere iudicat. Intelligit enim, Chriſtum ipſum Dominum, qui duobus, tribúſue, in ipſius nomine conuenientibus hominibus, præſto ſe ſemper fore eſt profeſſus, multò ma- plu-

Concilia apud catholicos.

gis pluribus, vicem omnium fidelium suorum obeuntibus, & vniuersam rempub. christianam repræsentantibus, sumq́ue adeò diuinum numē inuocantibus, vnum quidem in locum coȧctis ac congregatis, coràm affuturum, & decretis eorum interfuturum, vel potius præfuturum esse. Atque ea profectò ratio tanti fuisse videtur apud Augustinū, vt magna illud cum ratione, imò magna planè cum libertate & auctoritate, scribere non dubitarit. DICITVR AB ALIIS, inquit, QVOD ACCEPIMVS AB APOSTOLIS, HOC SEQVIMVR. AT NOS MVLTO ROBVSTIVS, inquit, DICIMVS. QVOD ECCLESIAE CONSVETVDO SEMPER TENVIT, QVOD DISPVTATIO DISSVADERE NON POTVIT, QVOD PLENVM ATQ. FREQVENS CONCILIVM CONFIRMAVIT, HOC SEQVIMVR. Quid est, quæso, in hoc genere, quod maiore confidentia pronunciari potuisse videatur? Si dixisset Augustinus. Non inuiti sequimur, quod disputatio obtinuit: non inuiti, quod plenum concilium confirmauit: magnā profectò rem dixisse videretur, is præsertim qui in ecclesia catholica, maximi ac religiosissimi testis est instar. Nunc idem illud dicit: sed hoc vehementius, & maiore cū energia, quòd cum comparatione & contentione quadam dicit. Dicunt, inquit, alii: neque sanè nihil dicere videntur: se ea in ecclesia sequi & tenere, quæ ab Apostolis acceperunt. Honesta enim planè oratio est. Nos autem amplius etiam aliquid dicimus, inquit, speciosius dicimus, robustius dicimus: ea ipsa nos in ecclesia nostra sequi & tenere, quæ neq. disputationibus labefactari potuerunt, & auctoritate præterea œcumenicorum, maximè celebrium conciliorum, ad perpetuitatem sunt confirmata. Sed iterádum, quæso, eadem hæc mihi, Augustine. DICITVR AB ALIIS, inquit magnus ille ecclesiæ catholicæ antistes, & defensor. Quid dicitur? QVOD ACCEPIMVS, inquiunt, AB APOSTOLIS, HOC SEQVIMVR. Et quidem, bona cum tua venia dixe-

Concilia apud catholicos.

nia dixerim, ô pater Augustine. Verissimè planè ab illis dici, quod ad eum modum dicitur: magna etiam cum ratione dici, & denique ita dici, vt refelli ac redargui non possit, existimo, quod ita ab illis dicitur. Quod ab Apostolis « hausimus, quod ab Apostolis accepimus, hoc sequimur, « hoc sequimur. Nimirum enim catholicam ecclesiam, non « aliam, quàm quæ sit Apostolica, profitemur. Non nego, respondet Augustinus; nec, quod ad eam partem attinet, magnopere quicquam contradico. DICITE, DICITE SECVRI. QVOD ACCEPIMVS AB APOSTOLIS, HOC SEQVIMVR. ATQVI NOS, inquit, MVLTO ROBVSTIVS, & ad refellendos hæreticos multò efficacius DICIMVS. QVOD ECCLESIÆ CONSVETVDO SEMPER TENVIT, QVOD DISPVTATIO DISSVADERE NON POTVIT, QVOD PLENVM ATQVE FREQVENS CONCILIVM (nimirum his verbis, non obscurè perstringit, hæreticorum minuta & admodum infrequentia conciliabula.) quod igitur non infrequens & imminutum, sed PLENVM prorsus ATQ. FREQVENS CATHOLICVM CONCILIVM CONFIRMAVIT, HOC SEQVIMVR, HOC SEQVIMVR. Si igitur Apostolorum traditio, & doctrina certa est, firma est, constans & stabilis est, profectò ea traditio & doctrina, quæ Conciliorum decretis sancita est & perpetuitati consecrata, longè certior ac firmior debet deputari. Quod enim disputatione probatum est, id certius est multò, eo quod nudis verbis est traditum: quod etiam in ipsa quoq. occultissimarum latebrarum inuestigatione, repertum est sanctum, id sanctius vtiq. est, eo quod simpliciter pro sancto est receptum; quod denique igni illo Conciliorum sanctorum ita examinatũ est, vt nihil tamen in eo vitii depræhenderetur, id profectò purius, eo quod nullam vnquam ignis probationem subiit, esse putandũ est. Quo maiorem nos quoq. ecclesiæ esse firmitatem, ex tertii huius lateris, qui est Conciliorũ sanctorum, ad

Concilia apud catholicos.

rum, ad priora duo latera accessione, existimare debemus: Cui quidem firmitati innixa ecclesia, iam & sibi magnopere præfidere, & aduersarias omnes potestates securè admodum audet contemnere; vsque adeò vt si quando hæreticorum armis appetatur, magno sanè animo, castris cõciliorum sese committere, & inde, maiore etiam ardore atque fiducia, in ipsa quasi acie dimicare, semper videatur; neque se ab iis castris, vllis medio sæpe in itinere obiectis atque oppositis discriminibus arceri, non fluminum periculis, non latronum incursionibus, non insidiis in ciuitate, non horroribus in solitudine, non æmulationibus in falsis fratribus, morari patiatur. Ne longe abeam, pro teste eius rei locupletissimo, esse potest, vel Tridentinum hoc, nostris his temporibus & indictum, & celebratũ, & per dei gratiã perfectum conciliũ; quod quidem cũ in vicinia hæreticarũ nationum habitum fuerit, tãta tamen catholicorũ Episcoporum & theologorũ frequentia ac concursu, & quod maxime rem continet, tanta etiam sententiarũ libertate celebratum est, vt cũ antiquis illis conciliis certare iurè possit. Nam ipsorum quidem patrum numerus, qui concilio subscripserunt, vltra ducentos quinquaginta pertinebat, libertatem autem sententiarum eius concilii, illi demum abunde testari possunt, qui, cùm catholicorum nomine ad concilium ipsum venissent, contrarias tamen ibi plerasq. moribus ecclesiæ catholicæ positiones, & verbo, & scripto, liberè sunt tutati. In hoc igitur eiusmodi concilio, atque adeò in omnibus œcumenicis conciliis, quid est tandẽ constitutum, quæso? num pro hæreticis quicquam contra catholicos pronuntiatum est? Diui prohibento. imò & hic, & alibi semper in omnibus cõciliis, ꝓ catholicis aduersus hæreticos pronunciatũ est. Quæ cùm ita sint, iam equidẽ, tum ex huius concilii, tũ ex aliorũ omniũ œcumenicorum conciliorum modo atque ratione, tria sunt, vt opinor, quæ pro catholicis diligentius notari ac obseruari possunt.

Vnum.

Concilia apud catholicos.

Vnum. Studium illud singulare sedandarum in religione dissensionum earum, quæ essent aliquanto antè, inquietorum ingeniorum opera in ecclesia excitatæ: hoc magis etiam, quòd ab eo studio, nullo vnquam sumptu, nullo labore, molestia nulla, tempore etiam nullo, excludi se homines catholici ac dimoueri patiantur; quominus publicæ paci, ocio, concordiæ, quieti, in commune consulant. Quæ qui inter homines serunt, ii verissimè se possunt & Dei filios, & Christi Iesu discipulos appellare. Pacifici enim, ait " Christus Dominus ad discipulos suos, filii dei vocabuntur. " Et vos quidem sic demum, inquit, pro meis discipulis re- " putabimini, si dilectionem mutuam vobis cordi esse demonstraueritis, in vinculo pacis. Hoc primum. Alterum, quod in hoc quidem indicendorum conciliorum genere, notandum pariter & obseruandum esse put m, illud est, quòd iidem illi præpositi ecclesiæ nostræ, ad quos maiorũ more conciliorum indictio pertinet, tantum abest, vt fidei nostræ, quod fingunt hæretici, dominari cupiant, vt etiam vltrò se ipsi omnium iudicio submitt ant. Quid enim minus tyranno conuenit, quàm multos habere consilii sui aut præsides, aut consortes? quid magis, quàm publica cõsilia maxime infrequẽtia esse? Regũ enim profectò & iustorũ atq. legitimorum magistratuũ est, rogare sententias: tyrãnorũ, irrogare multas. Tyrannorũ est, Sic volo, sic iubeo: iustorum ac legitimorũ magistratuum, Senatores, quibusq. sententiam in senatu dicere liceat, ad portã Capenam conuenirent. Tertium est in hoc genere quod obseruandũ est, ille ipse, illorum sumptuum, laborum, molestiarum comitialium, de quibus diximus, euentus prosperus admodum ac fortunatus: qui velut æquus quidam iudex, vnde aliquando ius stabat, ei parti per Dei gratiam semper victoriam dedit, in conciliis legitimè congregatis. Atque hæc quidem quæ dixi, ex illo mihi vno præcipue capite, omnia dependere videntur, de quo superius, cùm rationem concili-

Concilia apud catholicos.

orum breuiter deſcriberem, breuius etiam quodam modo admonui, quòd concilia quidem noſtra, vnius illius maximè ductu, auctoritate, iuſſu, imperio regi ſolent, qui ipſe vnus atque primus, vnam nobis quodammodo eccleſiam catholicam repræſentat: ſine quo, vti concilia quidem legitimè aut indici, aut conuocari, aut etiam celebrari non poſſunt, ita ſi qua vnquam indicta, coacta, celebrata fuerunt, nullam legitimorum conciliorum rationem, formam, figuram habuerunt: neque tam ſedandarum controuerſiarum excitatarum, quàm inanis potius cuiuſdam & importunæ dominationis conſtituendæ gratia coacta fuerũt: nunquam etiam, quod caput eſt, exitus aut pios, aut optatos, aut ſaltem diuturnos habere potuerunt. Quæ quidem ſi conſiderentur omnia, ſanè mihi vel ex eo ſaltem capite, plurimum dignitatis, exiſtimationis, honoris, eccleſiæ ipſi noſtræ, cõciliatura eſſe videantur. Cùm enim eccleſia hæc noſtra, in conciliis ſuis legitimè in ſpiritu ſancto congregatis, & ſopire ſemper controuerſias quàm alere, & in iis ſopiendis ſeruire potius bono publico, quàm dominationẽ ipſam affectare, aut tyrannidẽ, quod abſit, parare ſibi vllam voluerit, profectò digniſſima eſſe videri poteſt, quæ ita Deo Opt. Max. curæ eſſet, vt omnia propemodum illa, quæ per eam in conciliis geſta eſſent, pro ſalute, & dignitate, & quiete totius reipub. Chriſtianæ, Deus ipſe benignus & immortalis bene atq. proſperè, tum ipſi illi, tum reipub. vniuerſæ, faceret ſemper euenire.

CAP. VI.

Conciliorum metus atque odium apud hæreticos.

Hæretici quietem eccleſiæ ferre non poſſunt, quin eam perturbent. Et tamen in eo iudicia hominum refugiunt, nec ad concilia venire volunt.

Concilia apud hæreticos.

Hæretici semper in iudicio orbis terrarum condemnantur.

Quanti faciendũ sit, orbis terræ iudicio absolui vel condemnari.

Quid sibi volunt hæretici, cùm indictionem conciliorum à Pont. Max. tollunt.

Hæretici multitudinem ipsam se aspernari simulant.

Quod perperam faciunt.

Hæretici, etiam ante conciliorum sententiam, dogmata sua prædamnant.

Iidem pro concilio vniuersali, priuata sua & ephemera conuenticula obeunt.

Iidem sua somnia totius orbis decretis anteponunt.

Ecclesiæ decreta conciliis confirmantur, hæreticorum somnia refelluntur.



Ontrà apud hæreticos, omnia in hoc genere eiusmodi esse reperias, quæ rationibus ipsius ecclesiæ quasi ex aduerso obiici atq. opponi videantur: quæq. ipsa benè considerata & expensa, nusquàm eos non modò consistere, sed ne vestigium quidem tutò ponere patiãtur. Vnum, quod ocium & quietem ecclesiæ, atque adeò reipub. non ferunt, quin in iis omnia, omni qua possunt ratione perturbent & confundant. Principiò enim secedũt à nobis, & deinde hac ipsa secessione sua turbas cient, magnamque rerum omnium confusionem, atq. ordinum inter ipsos discordiam, in ecclesiam, quasi in ciuitatem introducunt. Nam vt interea de nostri potissimùm temporis hæreticis loquamur. Pacatæ planè ante Luterum res erant totius reipub. christianæ; vsque adeò quidem, vt ipsam quoque temporum nostrorum historiam, qui tunc scripserunt, ab ea sibi reipub. pace & quiete insigni, opus suum exordiendum esse existimauerint. Quiescebat, inquiunt, terrarum orbis. Quiescebat igitur planè & ecclesia & Respub. vniuersa; cùm subitò, vti quondam in optima repub. Ti. Gracchus, & in philosophia bene constituta Arcesilas, ita

 in paca-

Concilia apud hæreticos.

in pacata & tranquilla religione catholica, exortus est Luterus, qui, nouis nouæ religionis præceptis atq. institutis suis promulgandis, perturbare primùm, deinde etiam euertere ecclesiã conaretur. Ocium is igitur ecclesiæ nõ tulit, sed cõfusionem in eam, & omnium rerum perturbationem induxit. Tantúmne autem? imò etiam amplius. Cùm enim in illis incœptis suis, non ratione quicquam ipse ageret, nec iudicio, facilè eò delapsus est, vt iudicium quoque hominum & cognitionem de factis suis, seriò admodum refugeret. Est enim hoc quoque alterum hæreticorum omnium proprium, vt iudicio neque suscipiant quicquam in rebus gerendis, neque adeò contendere cupiant; omnia libidini, omnia temeritati subiiciant; siue id superbia, siue astu, siue etiam metu faciant, non disputo: rem ipsam in medio relinquo. Quæro tantum. Venturúsne aliquando ad conciliũ fuerit, vt sui doctrinæq. suæ cognoscendæ facultatem præberet, ille, qui dixit, causam suam neque à deo cœptam esse, neque in deo finiendam? Ille verò dum vixit, non venit; cæteri etiam, qui de grege illo, post eius obitum superfuerũt, non venerunt; cùm tamen concilium & in vicinia fœderatorum suorum celebrari audirent, & ad illud benignissimè fide publica inuitarentur. Cur ita? nisi quia omnem cognitionem refugiunt, & audacia, non moderatione nituntur. Satin' est? Iam hæc quidem ingentia sunt, & omni odio dignissima hæreticorum facinora, velle semper tumultus excitare, & animũ ad eos comprimendos adducere nũquam. Sed est & tertium maius, vt existimo; quòd causa eorum, in iudicio orbis terrarum nunquam stetit, semper recessit condemnata. Parui refert, inquis, Hei mihi. Quanti, quæso, putatis, nunc etiam mercentur isti, si quis Pontifex Max. quod tamen fieri non potest: sed si quis saltem consiliariorum eius Cardinalium, vnus, minimus, aut quod etiam minus est, si quis saltem Episcoporum vulgarium, in ipsorum partes concederet, & se inter Protestantes numerari

 Concilia apud hæreticos.

merari pateretur? Ferebatur olim, si benè memini, de nescio quo Cardinali, quiddam eiusmodi, ab ipsis illis, vt arbitror, hæreticis confictum. Et item apud nos, de nostrate quodam Episcopo; fortassis etiam alibi de aliis. Quod quidem ipsum an verum fuerit, viderit qui videt omnia, Deus immortalis. Et tamen in illa seu inanitate summa, seu certè in proxima admodum inanitati, paucitate eorum, qui ipsis nomina dedisse videbantur, homines in aliqua dignitate constituti, omnibus lætitiis miseri homines incesserũt, omnibus etiam gaudiis exultauerunt, quòd Cardinalem vnum, quòd Episcopum vnum, & item fortassis alterum, habere in suis partibus dicerentur: quid censetis facturos, si pro illis staret concilium vllum? quid si ecclesia vlla? verbi gratia, ecclesia cathedralis Cracouiensis? quid si ecclesia metropolitana Gnesneñ? Insulam vnam, Vitebergam vnam, Geneuam vnam, popellum aliquem vnum, homuncionem etiam vnum, si quando fortè in nassam suam incautum pertraxerunt, terrarum orbis ipse lætitiam eorum capere non potest. Quid facerent, quid facerent, si orbis ipsius terrarum partem aliquam, Europam puta, aut Asiam, vel iam minorem saltem, sui dogmatis adstipulatricem haberent? Equidem dum hæc ferè typographis exprimenda committeremus, solennes indixisse gratiarũ actiones publicè per synagogas suas nonnusquàm dicebantur, quòd virum quendam genere nobilissimum, doctrina & litteris ornatissimum, morũ integritate cõmendatissimum, nobis etiã amicissimum (cuius nomen honestiore aliquo in loco proferrem libentius) ad se à nobis transiuisse, falsò siue audiebant, siue etiam ipsi fingebant. Quid, facerent, si, quod Deus omen obruat, reuera transiuisset? Quid, si vnus atq. alter secutus eum fuisset? Quid, si, vt Iudæi de Christo in Euangelio loquuntur, mundus totus abiret post eos? quam quæso & quantam lætitiam animis concipere viderentur? Non parui igitur refert, iudicio orbis terrarum stare aut cadere. Non

Concilia apud hæreticos.

dere. Nõ parui,inquam,vtrumq. refert:tum,quòd nos quidem, quod benè vertat, multas indies ſingulorum hominum illuſtrium,eruditorum,acceſſiones ad noſtram eccleſiam fieri videamus,prouinciarum externarũ videamus,regnorum & imperiorũ barbarorum maximorũ videamus: orbem denique ipſum terrarum, (concilia enim œcumenica, orbis terrarum ſpeciem,nomen,imaginem,vicem etiam repræſentant) pedibus, vt ſic dicam, in ſententiam noſtrã venire videamus: tũ, quod illi contrà,nõ ſolùm aut ab omnibus, aut ab optimis quotidie ſe deſeri, ſed etiã ab orbe ipſo Chriſtiano vniuerſo condemnari,ab eoq́.horribile ſibi anathema videant irrogari. Quid igitur dicemus? Si,cùm ex xxx. iudicibus,vnus cõdemnaret,xxix. abſoluerent,aliquid tamẽ acerbitatis vna illa ſententia haberet cõdemnatoria: quid cenſes,cùm vnus abſolueret,xxix.condemnarẽt? quid? cùm nullus abſolueret, xxx. condemnarent? quid? cùm nõ xxix, nec xxx. iudices, ſed orbis ipſe condemnat vniuerſus? Cùm igitur amici iſti noſtri,omnia hæc multò ante præuiſa magnopere vereantur, id vnicè dant operam, ne quâ ad concilium adducantur: imò ne concilia ferè celebrentur vlla. Et quoniam eiuſmodi orationem ſuam,omnium hominum auribus ingratam,atq. adeò inhoneſtam planè futuram eſſe ſentiunt, ſi ſe conciliis palàm eſſe inimicos profiteantur,ideo concilia quidem ipſa laudant per ſpeciem & ſimulationem, ſed cùm eadem tamen per Pont. Max. indici nolunt, cum libera & Chriſtiana neſcio quæ, deſiderare ſe oſtendunt, id agunt reuera,ne qua omninò vnquam habeantur. Quis enim, quæſo, alius indicat concilia, niſi is, qui etiam pœna propoſita, venire ad ea poſſit cogere? Quis autem eſt iſte veſter, ſiue Pomeranus, ſiue Luterus etiam ipſe, cuius in hoc genere, aliqua ſit, non dico apud terrarũ orbem vniuerſum, ſed vel apud reges ſaltem & principes Chriſtianos,atque adeò vel apud me ſaltem ipſum,auctoritas? Nam in illa liberi & Chriſtiani concilii circumſcriptione,quam

Concilia apud hæreticos.

one, quam vſurpant iſti, quantus cauillus lateat, quantúsque item pateat campus, ad ſubterfugiendos omnes conuentus, etiam liberrimos, & Chriſtianiſſimos, quis ignorat? Nempe liberum ſtatim concilium non erit, ſi modò in eo libertas ipſa arbitrii humani defendatur: Chriſtianum non erit, ſi in eo vis ipſa ſacrificii Chriſtiani aſſeratur: Liberum denique ſimul & Chriſtianum non erit, ſi, pro his, quæ hactenus, ab ipſa Chriſtianæ eccleſiæ origine, pro liberis & Chriſtianis moribus, aut legibus, aut cærimoniis, ab omnibus liberis & Chriſtianis nationibus habita ſunt, propugnatio ſuſcipiatur. Apagè, inquis, cum propugnatione & iudicio omnium: atque adeò cum propugnatione & iudiciis multorum: ſemper enim erudita ingenia multitudinis iudicia ſtudioſè vitauerunt. Cur vos igitur, vt modò dixi, tantos, ex vno proſelyto facto, triumphos agitis, ſi multitudinem negligitis? Cur vos etiam, vt plurimùm, populo venditatis, ſi frequentiam & celebritatem faſtiditis? Cur vulgi ſuffragia, in confirmandis miniſtris veſtris requiritis, ſi cœtuum iudicio nihil tribuitis? Cur denique cerdonum penè veſtrorum iudicia interdum nobis opponitis, ſi multitudinem tantopere contemnitis? Vnum malumus, inquiunt. Deus benè vertat. Vos igitur, vt confido, nobiſcum tandem vni Pontifici Max. manus dabitis, & cum eo dextras ſocietatis iungetis. Diui prohibēto, inquiunt. Vos verò iam diuos etiã fortaſſis agnoſcetis, quos olim & cœlo & eccleſia pellebatis. Nec diuos, inquiunt, nec multos volumus: hominem vnũ volumus; ſed quemuis potius quàm Pontificem Max. veſtrum. Bona verba quæſo. Quis erit igitur ille veſter, quem vos vnum præ multis, homuncionem præ Pont. Maximo, ſequendum eſſe cenſebitis? Num Plato erit, qui vnus olim neſcio cui multorum fuit inſtar? Nũ Pythagoras? vt quod de illo quondã dici ſolitũ accepimus, nũc nos ipſi de veſtro illo vſurpemus, αὐτὸς ἔφα. Nõ hunc, nec illum, inquiunt. Tantummodo non addunt; Sed Barrabam.

 Nimi-

Concilia apud hæreticos.

Nimirum enim Luterum dicebant ipſum, aut Zuinglium, aut Seruetum neſcio quem. Nam hi tres tum ſimul eccleſiã oderãt. Quos omnes ſcimus ita multitudini ſtuduiſſe, vt eam non tantũ amare, ſed nonnulli etiam eorum, armare, & ex ea exercitus aduerſus dominos ipſos conſcribere, minimè dubitauerint. Multitudinem igitur reuera vos amatis; ſi modò habere eiuſmodi poſſitis, quæ cœca ipſa, vos cœcos duces ſequatur. Sin cœcam habere non poſſitis, tum videntem contemnere vos ſimulatis; & in vnius vel paucorum iudicio, contorto & diis hominibusque inuiſo, cõquieſcere vos, præ vobis fertis: imò, omnium vel certè plurium, vel ſapientiorum, atque adeò ipſius orbis terrarum iudicio anteponitis. Quod ipſum quàm rectè faciatis, vos ipſi videritis. Dicite enim mihi. Si quis hodie, qui dies purgationi virginis matris antiquitus eſt in eccleſia conſecratus, exurgat, & ſiue mentis errore aliquo, ſiue adeò certa quadam animi obſtinatione, conetur vobis perſuadere, Calendas hodie Februarias agi; quæ quidem, noſtra omnium ſententia, heri præteriere; quid ageretis? ſtatímne homini, vel ſtulto, vel temerario temerè effutienti acquieſceretis? nonne ad alium quempiam, quicquid id eſt referretis? & ſi fortè quis vnus, homini importuno aſſentiretur, nonne plures adiretis? &, ſi plures etiam idem illud dicerent, nonne ad extremum illos demum conueniendos eſſe exiſtimaretis, ad quos vel maximè feriarum ipſarum indictio pertineat? Quod igitur in re momenti minimi, faceretis, vt plurium, vel certè peritiorum ſaltem, ſententiæ ſtandum vobis eſſe exiſtimaretis, id ſecus, in re maximi omnium momenti, facietis? & cùm de ſalute veſtra agitur, non id quod omnibus, aut pluribus & ſapientioribus (ego autem iam dico, non hominibus ſed conciliis) verum, iuſtum, ſanctum, legitimum denique viſum, ſed quod vni, ſoli, apoſtatæ, ſemel, veſperi, in conuiuio collibitum, imò, quod eſt grauius, quod ab omnibus, vel ſaltem à pluribus &

bus &

Concilia apud hæreticos

bus & ſapientioribus (ego autem dico, conciliis, non hominibus) ſeriò, nec ſemel, reprobatum ac damnatum eſt, id vos ſolum pro ſalutari dei verbo recipietis, & mordicus retinebitis? Ne ſinat hoc Deus Opt. & Max. vt catholicæ mentes noſtræ, priuatorum potius & ſingularium hominum ludibria, quàm vniuerſalium membra conciliorũ eſſe videantur. Dixi, iſtos nõ vnius hominis, ſed totius chriſtianitatis iudicio, atque adeò legitimorum omnium ſententiis iudicum, cauſa ſemper cadere ſolere. Magnum eſt: ſed eſt etiam, vt puto, aliquanto maius; quòd ei cauſæ vltrò ipſi ſemper diffidere, eamque, multò etiam antè, quàm aliorũ iudicio amittant, ipſi, ipſi tacitis ſuis ſuffragiis apertiſſimè condemnare videntur. Quid enim aliud in cauſa eſſe dicemus, cur ad concilia œcumenica, nũquam libenter venire, ſemper eorum nomen horrere, ſemper ad eorum mẽtionẽ expalleſcere, ſemper ea ipſa, haud ſecus quàm quoſdam veluti omnium reorum, inprimis autem perfidiæ ſuæ ſcopulos, fugere ac vitare videntur? Nimirum vt quiſque eſt improbiſſimus, ita maximè odit lucẽ; nihil tam verens, quàm ne quâ pateant conſilia, & facta ſua; nihil tam optans, quàm vt terra dehiſcat illi potius, quàm cogatur de cauſa ſua publicè, in medio doctorũ & honeſtorum virorum, legitimo iudicio diſceptare. Quiſquis autem ſic eſt, is certè vel ſeipſum tacitus iam condemnat, vel ſaltem animo iam tunc præcipit, ac quodammodo præſentit, ſe cõdemnatoriam ſententiam, iudicum ſuorũ ſeueritate omninò eſſe relaturum. Quorum equidem vtrumque ita magnum eſt, vt tamen alterum altero, ad cauſam cuiuſque prægrauandam, maius eſſe videatur. Modò non maximum enim eſt, ſuo quenquam iudicio eſſe condemnatum: quod à Paulo Apoſtolo, pro inſigni nota hæreticis ipſis palàm eſſe appoſitum, & quaſi inuſtum, non ignoramus; & quod non ignoramus, nunquam etiam non meminiſſe debemus. Sed audiamus, quæſo, id quod dicam. audiamus reuera

Concilia apud hæreticos.

maximum in hoc genere ſcelerati eorum animi indicium, hoc enim ipſo omnia illa, quæ in homines nefarios dici poſſunt, planè ſuperarunt; quòd, vbi rixarum iam & contentionum plus ſatis excitarunt, vbi iudicia de ſe hominum prorſus contempſerunt, vbi cauſa ſua, orbis terrarum iudicio ceciderunt, vbi ſeipſos tacitis ſuis cogitationibus condemnarunt, tum non ſolùm nullum finem iis malis imponere, ſed eò etiam magis contentiones accendere, & mala ex iis exorientia alere connituntur. In vicem enim œcumenici concilii noſtri, quod eſt domiciliũ publicæ concordiæ, ab ipſis quidem planiſſimè neglectum, ſua ipſorum conuenticula priuata & clandeſtina, apta accendendis indies pluribus contentionibus, obire, atque inter ſe agitare cõſueuerunt; in quibus conuenticulis, nec ſpacium vllum tantis deliberationibus accommodatum adhibent, nec legitimum rogandi ſententias ordinem retinent, nec moderatæ alicuius diſputationis ſpeciem præ ſe ferunt; ſed inflati ſuperbia, præcipites amentia, cùm omnia ita confuderunt, vt ad ſuperiores illas variarum doctrinarum confuſiones non ferendas, magna præterea facta videatur acceſſio, poſt aliquot ſtatim dies diſcedunt, magis etiamtum quàm antea, ocio, tranquillitati, antiquitati, vniuerſitati, conciliis, eccleſiæ denique ipſi, omnes ad vnum facti inimici; in cæteris autem rebus omnibus, magis etiam tunc quàm antea diuulſi ipſi inter ſe & diſtracti, atque adeò omnia facere parati, præut conciliis ipſis œcumenicis parêre, aut aliquid ſaltem concedere videantur; magno non ſolùm ſuperbiæ, verùmetiam inſignis ſtultitiæ ſuæ argumento. Sicuti enim arrogantis profectò cuiuſdam ſtupiditatis eſt, contemnere id, à quo ſis grauiſſimis iudiciis in perpetuum condemnatus, ita arbitrari ſe vnum duntaxat, ad ea peruidenda, & oculis propemodum cernenda perueniſſe, quæ antea nulli vnquam hominum patuerint, in eoque ipſo ita iactare ſe ac venditare, vt opiniones tuas, & priuatas, &,

tas, &,

 Concilia apud hæreticos.

tas, &, quod pace tua dixerim, interdum futiles, communibus omnium hominum sentẽtiis ac decretis, diu ac multum examinatis ac perpensis, anteponas, stultissimæ cuiusdam, mihi crede, arrogantiæ est. Quem quidem mentis non satis sanæ errorem insignem & apertum in aduersariis nostris, si quis est, qui aut non videat, aut, cùm videat, non ex animo detestetur, is haud scio, quidnám præterea in vita aut videre, aut verò vitare etiam ac detestari debeat. Esse enim vnum aliquem, qui suam vnius sententiam, inueteratæ ac receptæ totius orbis sententiæ, atq. adeò non solùm naturæ, sed Dei ipsius voci anteferat, & qui non iam cornicum oculos configere, sed orbem ipsum terrarum vniuersum impietatis pariter atq. insaniæ condemnare audeat, seque vnum, in ipsis reliquorum omnium hominum tenebris & caligine, τὸ ὕπαρ videre iactet, id verò est, quod mihi quidem omnem non solùm impietatem, sed etiam insaniam videtur superare. Atque hic quidem si quis antea parum miratus est, exiguam ab istis, patrum aliquot & Doctorum ecclesiæ haberi rationem, is ex hoc iam tempore seriò mirari incipiat, incredibilem hanc eorum temeritatémne an væsaniam, an vtrumque, an omnia, quæ in homines stupidos & inertes dici possunt; quòd vsque adeò sanè, ne totius quidem orbis terrarum consensus rationem sibi vllam habendam esse existimant, vt malint, omnium etiã mortalium iudicio condemnari, quàm semel de priuata, hæretica, impia, stulta etiã nõnunquã & putida sua opinione decedere; de qua tamen paulò pòst, vel tẽpus ipsum, vel certè ipsa animi eorum mobilitas atque inconstantia, ingratis eos deducet atque dimouebit. Sic est enim profectò, id quod, præter cæteras prouincias, vel nostra Polonia vniuersa teste locuplete, liquidò dici potest, quòd quæcumque conuenticula vnquam hæreticorum habita sunt, ea vt diuturna non fuerunt, ita edictorum suorum auctoritatem nullam habuerunt; sed qua leuitate ab initio coie-

Concilia apud hæreticos.

tio coierant, eadem ſunt citò pòſt, cum decretis ſuis omnibus diſſoluta. Quibus quidem rebus ex omnibus, illud denique excerpendum hoc loco, & ad vitandas hæreſes diligenter inter cætera conſiderandum eſt: ſolius, vt dixi, eccleſiæ catholicæ dogmata, conciliis, id autē eſt, totius terrarū orbis conſenſione confirmari; contrà hæreticorū placita omnia, iiſdem cōciliis, hoc eſt, ſuffragiis omnium gentium & nationum chriſtianarū ſemper condemnari. Legat, qui hæc volet preſſius cognoſcere, veterum ſanctiones & execrationes conciliorum; legat etiam patres ipſos, Epiphanium, Theodoretum, Auguſtinum, Damaſcenum, & reliquos, comperiet, eos ipſos, depingendis & publica auctoritate configendis illius temporis hæreſibus, ita noſtrorum iſtorum temporum hæreſes omnes depinxiſſe, ita etiam confixiſſe, vt libri illi tam patrum quàm conciliorum ſanctorum, illa quidem parte, qua aduerſus ſui temporis hæreticos pugnas cient, recentium iſtorum hæreticorum noſtrorum non modò ſpeculum, ſed etiam ſpiculum videantur tanto antè extitiſſe. Neque enim in his noſtris hæreſibus quicquam reperias, quod non ſit olim, & ſanctorū illorum patrum, & verò etiam conciliorum ipſorum, tum ingeniis animaduerſum, tum decretis condemnatum. Non eſt autem profectò prudentiæ, id anteferre, quod ſententiis omnium penè nationum condemnatum eſt, iis quæ ſunt omnium ſuffragiis in omnes æternitates approbata. Quod cùm ita ſit, quamdiu, quæſo, dubitabimus cum eccleſia potius ipſa errare (fas enim mihi ſit abuti interea hoc verbo, quo ipſo eadē in re abuſus eſt D. Auguſtinus) quàm cum hæreticis benè ſentire? ſi modò aut hi benè ſentire poſſunt, quos oſtendimus, ne ſentire quidem; aut ſi illa etiam errare poteſt, quæ, vt Apoſtolus cenſet, columna eſt, & firmamentum ipſius veritatis. At quæ columna? quæ tribus ipſa columnis, ſicut hactenus oſtendimus, ſuſtinetur, & quaſi triplici illo funiculo, ad rumpendum quidem & diſcindendum diffi-

Hæretici aduersus traditiones.

dum difficilimo nectitur, Bibliis, Patribus, Conciliis. Hæresis autem vbi arroganter contempsit hæc omnia, nihil planè habet, quo se ad aliquem saltem modum tolerabilem sustinere posse videatur.

CAP. VII.

Traditiones Apostolicas repudiant hæretici.

Quartus paries ædificii ecclesiastici sunt traditiones.
Inuisus est hic paries hæreticis.
Hæretici eleuandis traditionibus tentare nos videntur.
Quòd Hæretici nullas præter scriptas traditiones esse docent, refellitur.
Euangelium fuit antequam scriberetur.
In scripto Euangelio non omnia acta Christi contineri.
Locus scripturæ contra hæreticos adducitur. State & tenete traditiones.
Locus alius prò hæreticis adductus expeditur. Scrutamini scripturas.
Verarum traditionum nota quæ. ex Augustino.



IS porrò tribus siue columnis, siue parietibus, quartus etiam paries, iritandis natus hæreticis, quartáue columna fulciēdæ ecclesiæ addatur licet, TRADITIONES ipsæ sanctæ, & illa Apostolorum, ac maiorum nostrorum nō scripta, sed viua voce per manus tradita, instituta; quæ ipsa nō minus quàm tria illa, quæ modò diximus, oderunt sanè hæretici; imò, quòd ex his illa manasse intelligunt, idcirco odio etiā multo maiore prosequuntur; vt ita

natumque, patremque
Cum genere extinguant;

atque haud scio an vt ipsi etiam vnà intereant. Tanta est

illorum

Hæretici aduersus traditiões.

illorum rabies, & ecclesiæ nocendi amor. Itaque hoc nomine, & nostram vicem, baronum scilicet, qui hæc non scripta, sed tradita maiorum instituta stupemus, ac pro verbo Dei recipimus, alii inter ipsos rident, alii miserantur, & suam ipsi insignem admodum, vt ipsis quidem videtur, felicitatem, mirificè prædicant, & penè laudibus in cœlum ferunt, quasi iis solis noua quædam, & ante hunc diem oculis mortalium inuisa lux oblata sit, ad peruidendum, nihil esse nobilitatis, nihil excellentiæ, nihil etiam momenti, in his ipsis, quas tantopere admiramur, traditionibus sanctis; falsoque ab his assumi & vsurpari honores ac titulos verbi Dei, quod nulla hominum traditione, sed sola scriptura sacra contineatur. Quod nos quidem cùm audimus, tentari planè ab his existimemus mentes nostras, & per hāc simulationem contentionis, alterius aduersus alterum, sensim ac paulatim assuefieri, ad vtrumque æquè contemnendum; vt ita primo quasi gradu facto, in contemnendis non scriptis Dei sermonibus, quos solos hoc tempore, traditiones appellare cœpimus, viā sibi deinde muniant, ad ipsum quoque scripto compræhensum Dei verbum, quod ipsum quoque traditio est, tandem pro nihilo deputandum. Primùm igitur, nullas omninò esse eiusmodi traditiones diuinas criminantur; sed omnia, quotquot sunt, diuina instituta, scripto solo esse aiūt compræhensa. Iam hoc primùm esse non potest. Si enim solius duntaxat Christi gestorum historiæ conscribendæ, illorum dico gestorum, dum is homo factus, quatuor & triginta ferè annos inter mortales „ versaretur, vix ambitum hunc terrarum suffecturum esse Ioannes Euangelista arbitratur, quótnam quæso mundos Democriti requiri censebimus, si quis præterea historiam scribere instituat, non factorum solùm, sed etiam dictorū eius? neque enim profectò facere tantùm cœpit Iesus, sed, „ vt scribit alius Euangelista, cœpit etiam docere. Atq. hæc de solo Dei filio, & quidē homine facto, loquimur. Quid

dicemus

Hæretici aduersus traditiões.

dicemus de Deo ipſo, patre, filio, & ſpiritu ſancto, iam inde ab ipſa æternitate in perpetuas æternitates, aliquid ſemper agente atque moliente? quot, quæſo, non iam ſolùm mũdis, verùmetiam intermundiis, eam hiſtoriam contentam fore putabimus? Vrgent proteruè ſanè, nec magis contra nos, quàm contra ſe. Quicquid ſit, Chriſtum tamen omnia quæ audiuerit à patre, cum Apoſtolis communicauiſſe. Audio. Sed quid tum poſtea? addendum enim ac oſtendendũ fuerat, & ipſum ſcripto id feciſſe, & ipſos ſcriptum eiuſmodi ad nos transmiſiſſe, & ſcriptum id extare. Nunc & ipſe quidem, præter pauca illa, quæ humi quondã litteris ipſis euaneſcentibus deſcripſiſſe dicitur, in adulteræ neſcio cuius accuſatione, nihil ferè præterea in omni vita ſcripſiſſe legitur; & illi qui ſcripſerunt, primùm ex traditionibus non ſcriptis hauſerunt, deinde, vti Lucas ipſe initio euangelii ſui de ſeipſo nõ diffitetur, multò pòſt ſcripſerunt quàm hæc à domino dicerentur; & denique tam pauca ſcripſerunt, vt indignum prorſus fuerit credere, non plura ipſum à patre, quàm quæ his eorum ſcriptis compræhenſa ſint, audiuiſſe. Hic reprimunt ſe, & dicunt; omnia quidem, ſed non alia, quàm quæ noſtra modò ſcire intereſſe iudicaſſet, nobiſcum communicauiſſe. Quid ſi hoc negem, & non potuiſſe eos potius omnia portare, vrgeam? quid ſi etiam parabolas non explicatas, explicationis tamen indigas opponã? Sed adiuuo te, & id quod vis dico; omnia neceſſaria nobiſcum communicauiſſe. Verùm ſcriptóne, quæſo, nobiſcum ea communicauit, quæ communicauit, an voce viua? Nam ſi viua voce, teneo equidem, quod ego maximè, tu minimè omnium volumus, non omnia ſcripto eſſe compræhenſa; ſin ſcripto, ſuóne quæſo, & ecquónam, cùm aut nullum extet, aut, ſi quod extat, à vobis pro vero non recipiatur? an alieno? vt ſcripto Platonis & Xenophontis, ſententiæ ſunt Socratis conſignatæ? Quæram igitur, huic quidem ſcripto eiuſmodi alieno, ecquænám ſcriptura eſt, (nam vos ad ſcri-

Hæretici aduersus traditiões.

pturam ſolam omnia reuocatis) quæ auctoritatem tantã tribuat, vt eo omnia, quæ ad ſalutem noſtram pertineant, contineri, certò perſuaſum habeamus? Quod ſi quam fortè ſcripturam vnam proferatis, quæram deinceps etiam de illa, quæ huic ipſi fidem faciat, ſcriptura altera; & deinde de tertia, quæ fidem faciat alteræ; & de quarta, quæ tertiæ; & ſic neceſſariò progrediar in infinitum: ita enim facere, vos me cogitis, qui nihil, non aſſentiente ſcriptura, recipitis. Sin aut nullam eiuſmodi ſcripturã proferatis, aut verò proferendis iis, progredi in infinitum non poſſitis, ſed illam, quam vltimã attuleritis, ſua ſe maieſtate tueri, dicatis; tum ſanè aut vos victos eſſe agnoſcatis, neceſſe erit, (iam enim erit aliquid, cui, contra veſtram opinionem, credi ſine ſcriptura oporteat) aut mihi ſaltem, quid ſit, cur Thomæ au Mathiæ, aut Nicodemi euangelium, non item vt aliorum euangelia, quæ recipimus, ſua ſe maieſtate tueatur, reſpondeatis; aut certè, quod vnum præterea vobis ſupererit, ad traditiones ipſas eccleſiæ non ſcriptas confugiatis, iisque ipſis auctoritatem ſanctarum ſcripturarum nobiſcũ tribuatis. Quod ſi facitis, tum ſanè & illud ſequetur, quod modò negabatis, & quod ego ſtatim pòſt ex Paulo oſtendam, traditiones eccleſiæ non eſſe nullas; & illud viciſſim ſublatum erit, quod aiebatis, omnia quæ diuinitus ad ſalutem noſtram fuerunt vnquam inſtituta, ſcripto eſſe compræhenſa. Ego verò initio quidem, cùm primùm hæc doctrina noſtra chriſtiana, in ipſo terrarum orbi ſereretur, nihil planè ſcripto compræhenſum fuiſſe, & tamen doctrinam euangelii integram extitiſſe, ſucceſſu temporis pauca modò de multis in litteras relata, permulta ita omiſſa, vt nunc etiam deſiderentur, fuiſſe aio. Ac vtrumque ſanè nõ difficulter doceri poteſt. Quod enim ad ipſa naſcentis doctrinæ initia attinet, equidem nullum tunc temporis, Chriſti neque verbum, neque factum, litteris conſignatum fuiſſe, & euangelii tamen nomen cũ re pariter viguiſſe, cùm

Hæreti[illegible] aduersus traditiões.

multa alia ſint quæ euincant, tum locus ſanè ille minimè reconditus, cùm dominus & magiſter noſter, in ipſo diſceſſu ab Apoſtolis, & in cœlum ad patrem abitu ſuo, illis ad eos verbis vteretur. Euntes, inquit ille, prædicate euangelium omni creaturæ. Nam ſi præter ſcripturam nullum eſt euangelium, (vt vos vultis religioſiſſimi ſcripturarum vindices & aſſertores) ecquodnám, quæſo, fuit illud euangelium, quod dominus & magiſter noſter iuſſit tunc temporis prædicari? ecquod etiam illud fuit, quod deinde Apoſtoli ipſi profecti, prædicauerunt vbique, domino coöperante, per integros propemodum triginta annos illos, qui aſcenſionem ipſius ſunt conſecuti? Nam ſcriptum quidem euangelium, nondum vllum tunc fuiſſe, ex eo apparet, quòd, qui primus omnium ad mandandum litteris euangelium, animum appuliſſe dicitur, Euangeliſta Matthæus, is non niſi anno demum poſt aſcenſionem domini trigeſimo, vt volunt quidam, ediderit euangelium ſuum. Sin autem nullo ſcripto exiſtente euangelio, dominus tamē prædicari iubet euangelium, conſtat profectò, non modò vltra ſcripturam eſſe aliquod euangelium, ſed illud demum verè eſſe atque propriè euangelium, à domino ad prædicandum commendatum, quod ipſum ſcripto non ſit compræhenſum. Iamuerò antiquiora etiam euangelii ipſius noſtri incunabula perluſtremus; &, quid tum euangelio ipſi, cū ſcripturis cōmune eſſet, inquiramus. Equidem conceptionem Ieſu Chriſti in Mariæ vtero, primum ipſum cōceptum euangelii fuiſſe exiſtimo. Hæc eſt enim illa veteris plenitudo temporis, cùm miſit Deus filium ſuū in mundū. Quomodo igitur ea conceptio peracta eſt? Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo, ad virginē deſponſatā viro, cui nomē erat Ioſeph: & virgini ipſi Maria. Et ingreſſus ad eā, quid facit? Profértne in mediū libros Moſis? aut librū vllū veterū prophetarū? Minimè gentium. quanquā hæc quidem etiam prolata ſi eſſent, nunquā tamen ad euangelium ipſum ita

pertinere potuissent; vt dici posset; quia lex & prophetæ libris scriptis continerentur, ideo legem quoq. ipsam gratiæ, scripto etiã euãgelio cõtineri oportuisse. Hæc igitur mittamus. Sed, profértne saltẽ, quæso, litteras vllas recens diuinitus scriptas, & sibi ad Mariam deferendas traditas? vt hoc modo euangelium, cũ scripto ipso cœpisse, dici potuerit? Ne hoc quidem. Sed quid facit? Narrat Euangelista, ingressum ad virginem, non scriptum vllum exhibuisse, aut de scripto quicquã recitauisse, sed sermone tantum vsum esse. Ingressus, inquit, ad eam dixit. Quid autem dixit, quæso? aut quod exordiũ dedit adueniens? Numquídnam ex Mose illud at-
» tulit? Semen, inquit, tuũ, ô Maria, conteret caput veteris il-
» lius serpentis. Numquídnam ex propheta illud? Ecce virgo
» concipiet & pariet filium? Nequaquam. Nam illud, quod
» paulò pòst affert, huic simile. Ecce, inquit, concipies in v-
» tero & paries filium: aliò pertinere videbatur; & quidem
» ipsi etiam virgini: quæ continuò excepit, & ait. Quomodo
» fiet istud, quoniam virũ non cognosco? Quî enim istud rectè obiici poterat, si angelus ex scripturis propheticis pronunciauisset, virginem concepturam primùm, deinde etiã parituram fuisse? Verùm ille nihil planè ex scripturis depromptum affert, nihil etiam de scripto recitat; sed verbis
» modò nudis virginem salutat. Aue, inquit, gratia plena, do-
» minus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quid autem postea, cùm virgo ad legationem ipsius, suspenso nescio quomodo esse animo videretur: qua ratione, quæso, id quod vult persuadet? Scripturámne tunc in rem præsentem affert vllã, qua fidem verborũ suorũ sanciat? Non. Sed quid? Simplici sermonis genere exponere pergit. Et. Spiritus, in-
» quit, sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obum-
» brabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vo-
» cabitur filius Dei. Et si quid præterea, exẽplo certè tantùm
» ipso pugnat. Et ecce, inquit, Elisabet cognata tua, & ipsa
» concepit filium in senectute sua: & hic mensis, sextus est

illi quæ

Hæretici aduersus traditiões.

illi quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud deũ omne verbum. Igitur euangelio ipſi, ſiue quis euangelii " prædicationis initia ſpectet, ſiue ipſius illius origines excutiat, qui euangelii ipſius dux fuit & auctor, ſuum etiam ſine ſcriptura nomen, ſuam etiam ſine ſcriptura auctoritatem conſtitiſſe, liquet. Quod autem ad poſteriora tempora attinet, quibus iam tum extabant euangelia ſcripta; illo quoq. ipſo tempore, non omnia Chriſti acta ſcripto fuiſſe, quoad opus ſit, compræhenſa, vel vnus mehercule ſermo ille, quẽ dominus ipſe, apud duos illos, Emaunta proficiſcentes diſcipulos ſuos, habuit die ipſo ſuæ reſurrectionis, exorſus, vt Lucas ſcribit, à Moſe & prophetis, demonſtrabit. ſermo, dico, maximarum rerum, & maximorum myſteriorum pleniſſimus: quem ipſum tamen vnus ille modò Euangeliſtarum, quem dixi, ſignificat potius, & innuit, quàm ſcripto perſequitur: cæteri ne ſignificant quidem. Qui ſermo cùm inter cæteros domini ſermones in ſcriptum relatus non fuerit, indicio eſt, quod etiã ex multis aliis euangeliorũ locis apertè oſtendi poteſt, multos eiuſdemmodi ſermones domini, eandẽ conditionem paſſos eſſe; atq. adeò tã de ſcripto, quàm de hominũ memoria intercidiſſe. Quod quidẽ cùm ita ſit, quæro, ſi quis bonus fragmentũ ſaltẽ aliquod eorũ ſermonum alicunde proferat, repudiandúſne is nobis fuerit, cum tanto munere hoc? Non puto. Atque eas traditiones quidem, quas nos defendimus, fragmenta eſſe dictorum aut factorum, vel Chriſti, vel Apoſtolorum, vel omninò eorum, qui cum iis verſati ſunt; & præ ſe fert eccleſia ipſa catholica, & iiſdem ſibi ſtandum eſſe profitetur. At hæretici negant; at eccleſia ait. At hæretici oppugnant; at eccleſia conſtantiſſimè tuetur. Vtri igitur credemus? Vtrínam cenſes? Mea quidem ſententia, eccleſiæ potius, quæ neque ſcripturæ teſtimonio in hoc genere deſtituitur, & ſi fortè etiam deſtitueretur, ipſa tamen ſua auctoritate optimum quenque frangeret; quàm vobis, ô hæretici, qui ne-

Hæretici aduersus traditiões.

que ſcripturam ferè ad eam rem habetis vllam, &, quanquam maximè ambitioſi eſtis, tamen ne ipſi quidem tantũ vobis arrogare audetis, vt ſine ſcriptura loquentibus, quicquam vobis fidei velitis adhiberi. Interea igitur, dum vos aduerſus traditiones noſtras, aliquam ſiue traditionem, ſiue ſcripturam contorquetis, vel vnam ſaltem, vel minimã, vel vix vi expreſſam; audite, audite, id quod ſanè facere debetis maximi, veſtrum ſcriptum dei verbum, pro traditionibus noſtris non ſcriptis, à nobis bona fide recitari? Vt præter comparationem auctoritatis & ſcripturarum vltrò citroque allatarum, illud denique tertium ad contentionis noſtræ comparationem accedat, quòd nos quidem ſcripturam ipſam, vnicum veſtrum præſidiũ, contra vos afferimus, et veſtro vos iugulamus gladio; vos aduerſum nos nec ſcripturã fortaſſis, nec certè traditionẽ vllam. Sic igitur habet Paulus Apoſtolus, in ea quæ eſt ſcripta ad Theſſalonicenſes. „ FRATRES, STATE ET TENETE, inquit. Quid „ teneamus, Paule? TRADITIONES, inquit ille. Sunt igitur, tua quidem ſententia, aliquæ traditiones. Ecquáſnam „ autem ex illis teneamus, quæſo? Reſpondet. QVAS DIDI„CISTIS ET HAVSISTIS, SIVE EX SERMONE, SIVE „ EX EPISTOLA NOSTRA. Hẽ quid ais Paule? etiámne verò traditiones neſcio quas, præter epiſtolam quidem tuam promulgatas, ſeruari ac teneri à chriſtianis hominibus ſcribis oportere? Ego verò, inquit, & ſcribo, & aio. Quid illud Paule alterum? quod maiore nos etiam propemodũ admiratione afficit? Etiámne id, quod ſcriptum, & ad perpetuitatem conſecratũ, ex epiſtolis tuis ſacroſanctis hauſimus, leuiſſimo & odioſiſſimo traditionum nomine appellas? Sic enim dicere videris; cùm ſcriptas æquè & nõ ſcriptas traditiones teneri iubes. Ego verò, inquit, & iubeo, & dico, & appello. Si igitur Paulus Apoſtolus & traditiones eſſe ait; & non ſcriptas, æquè atque ſcriptas tenendas eſſe ſcribit; & ipſas præterea ſcriptas, non minus quàm non ſcriptas, vno

Hæretici aduersus traditiões.

ptas, vno traditionum communi nomine appellat; quid est, quæso, amici nostri, inimici traditionum, quod Paulo possitis exaduerso respondere, pro auctoritate traditionum nõ scriptarum depugnanti? Nisi fortè hoc etiam loco, quasi per ludum & iocum aliquem, ad vestra illa, omnibus nota, sed dudum vobis erepta iam arma, recurrere libeat, vanas quasdam & pharisaicas, & legi diuinæ ex diametro oppositas, hominũ ἐθελοθρησκείας impugnandi: quas nos scimus, nihilo magis, quàm istam vestram, in aspernandis sanctis & diuinis ecclesiæ non scriptis traditionibus, temeritatem, lege quidem diuina meritò exagitari, ad nostras autem & ecclesiæ traditiones, de quibus loquimur, minimè omniũ pertinere. Sed intueamur, obsecro, interea, qualem tandẽ & quantam machinam ex scriptura depromptam, admoueant, ad traditiones ecclesiæ subruendas. Scriptum est, inquiunt, SCRVTAMINI SCRIPTVRAS. At benè habet quidem. Ego enim non scriptum id solùm, sed etiam quasi pro testimonio, per quendam exprobrandi modum, dictũ esse agnosco, & quidem dictum Iudæis ipsis; qui, vtut scripturas, in quibus ipsi vitam se æternam habere putabant, rimarentur, Christum tamen Messiam illum esse diuinitus promissum non agnoscebant, nec ad eum, vt vitam haberent, adire volebant. Et scriptum igitur, & dictum esse fateor; præceptum hoc loco omnibus esse, idem vt facerent, id verò non planè inter omnes dico conuenire. Agè verò etiam, præceptum esse agnoscamus; ad scripturas tamen euangelicas, id autem est, ad scripturas propriè nostras extendi non posse, necessariò est confitendum. Quæ enim tunc scripturæ euangelii extabant? vt eas scrutari potuisse viderentur ii, quos sibi verbis illis dominus & magister noster admonendos esse existimabat? Nullæ, opinor, præter veteris scripturas testamenti; quæ etsi de eodem hoc Christo nostro testificarentur, at & obscurè tamen id facerent, nec multum omninò, sine spiritu non scripto, in mentibus

hominum

Hæretici aduerſus traditiões.

hominum proficerent. Non igitur nos cogit, etiamſi præceptum ſit, quod dictum de lege veteri eſt, id trahere ad nouam, quæ eſt propriè noſtra, id autem eſt, chriſtiana. Sed id quoque mittamus, & ſcripturas illas Moſis ac prophetarum veteres, ſcrutemur quantum libet Chriſtiani: quis enim eas contemnat, aut quis non potius magnifaciat? Verùm vbi illud eſt, quæſo, ſiue in Moſe ac prophetis, ſiue adeò iam quoque in Euangeliſtarum ipſorum ſcriptis, quod tamen à vobis, ſi cauſam planè vincere, & traditiones omnes ex eccleſia proſcribere voluiſtis, proferri vtiq. oportuit? vt ita ſcilicet vſpiam diceretur. Negligite mortales ſecuri, & pro arbitrio veſtro omne traditionum genus reiicite. Aut illud etiam non paulò valentius? Si amici traditionum vllarum eſtis, Chriſto inimici conſtituimini. Aut ſaltem illud mollius? Ne traditiones aut ſcrutemini vllas, Chriſtiani, aut verò in ſcrutandis & interpretandis ſcripturis, vllo modo ſequamini. Vbi ſunt iſta, inquam? Quando igitur hoc non adfertis, illud à vobis interim bona cum venia petimus, ſi placere potis eſt, nobis vt reſpondeatis. In vtro horum maiorem cogendi vim ineſſe exiſtimetis; in eóne, cùm ſcrutari ſcripturas iubemur, quod vos obiicitis; an verò, quod nos vrgemus, cùm ſtare in traditionibus, eaſque tenere iubemini? nobis enim veſtrum illud, vnico verbo, SCRVTAMINI, neque, vt oſtendimus, aut ſatis firmo, aut ad nos dicto, neque, vt conſtat, admodum vehementi, niti; noſtrum, duobus, & quidem multò preſſioribus, conceptum verbis eſſe videtur. STATE ET TENETE. Et veſtro illo, SCRVTAMINI, labor tantùm & induſtria hominum, ad rem difficilem & obſcuram inueſtigandam fortè excitari & accendi videtur; vt quemadmodum
„ ſcribit Lucas in actis Apoſtolicis, ſcrutemur ſcripturas, nũ
„ hæc ita ſe habeant; hoc autem noſtro, STATE ET TENETE, vos ipſi, obligatione quadam, & planè vinculo parendi, in re magis neceſſaria, & magis ſalutari, & magis etiã

certa ac

Hæretici aduersus traditiões.

certa ac nota, quàm ardua atque difficili, astringi videmini. Commouent se, & aliò desiliunt, ac dicunt. Quid enim? aut quî, inter tot, & tam varias traditiones, illas saltem germanas atque legitimas, ex Pauli & Apostolorum sermone haustas, à falsis & suppositititiis internoscam? Commodè loqueris. Hoc verò vos, ô amici, verbo vno docere poterant, iidem illi qui docent nos, patres nostri, & canones ecclesiæ, & concilia œcumenica ipsa; sed quum vos egregiè contemnatis hæc omnia, docere sanè vos iam nõ possunt; illo tantum decreto Pauli, quod vobis de scripto recitatũ, ob oculos assiduè ponere non desistent, mentem vestram perpetuò quatient, & conscientiam ipsam vestram etiam atque etiam stringent atque vincient, vt Pauli ipsius scriptam, de traditionibus non scriptis, sanctionem obseruare, inque iis adeò STARE EASQVE TENERE necesse habeatis. Quem ita præcipientem Apostolum si non audiueritis, Christum ipsum non audiueritis; si ita monentem spreueritis, Christum spreueritis; imò vos ipsos planè, vestramque omnem existimationem prodideritis, qui perscriptam Apostoli auctoritatem, quibus vos auctoritatibus parêre, dicis causa simulatis, re vera floccifaciatis. Quid agetis igitur? aut quò vos conuertetis, si tenere iubemini quod ignoratis? Equidem adiuuabo vos in his angustis rebus vestris, &, quæ ignoratis, ostendam, ne ignoretis; adferam enim, quid ea de re censuerit magnus vir, & fidei plenus Augustinus, qui ita scribit ad Ianuarium. ILLA QVÆ NON " SCRIPTA, inquit, SED TRADITA CVSTODIMVS, " QVÆ QVIDEM TOTO TERRARVM ORBE OBSER- " VANTVR, DATVR INTELLIGI, VEL AB IPSIS A- " POSTOLIS, VEL PLENARIIS CONCILIIS, QVO- " RVM EST, inquit, IN ECCLESIA SALVBERRIMA " AVCTORITAS, COMMENDATA ATQVE STATV- " TA RETINERI. Et alibi. QVOD VNIVERSÆ TE- " NENT ECCLESIÆ, NON CONCILIIS INSTITV- "

Catholici pro traditionibus.

TVM, SED SIMPLICITER RETENTVM, ID NON
" NISI APOSTOLICA AVCTORITATE TRADITVM
" RECTISSIME CREDITVR. Hoc magis etiam Leo magnus. DVBITANDVM, inquit, NON EST, QVICQVID IN ECCLESIA IN CONSVETVDINE DEVOTIONIS EST RETENTVM, ID DE APOSTOLICA, ATQVE ADEO DE IPSIVS SANCTI SPIRITVS DOCTRINA PROFLVXISSE. Hæc isti ante etiam mille annos. Nec desunt sanè his quoque ipsis antiquiores, qui idem sentiunt, quique de ratione ac vi sanctarum traditionum non scriptarum, præclarè admodũ existimant. Vos autem dum veras traditiones à falsis internoscere posse vos negatis, nullas obseruatis; nullis autem obseruandis, scripturam profectò ipsam, quam vos tenere verbo iactatis, reipsa ludibrio planè habetis. Nam si non habetis, cur traditiones, quas per sermonem Apostolicum didicit ecclesia, non tenetis, quum eæ tam apertè, vt audistis, vestra scriptura sanciantur?

CAP. VIII.

Traditionum sanctarum domicilium ecclesia catholica.

Ecclesia & scripturas magnificacit, & traditiones non scriptas non spernit.

Quia vniuersalis est: sine traditionibus autem non eßent vniuersa.

Locus Apostoli iterum. State & tenete traditiones, explicatur.

Obiectio hæreticorum. Paulinas traditiones non scriptas, easdem eße cum iis, quæ ex eius epistolis hauriuntur.

Solutio. Obiectionem eße alienam primùm à Pauli ipsius sententia, deinde autem à veritate, pietate, perfectione, simplicitate Christiana.

Obiectio alia. Leuem eße auctoritatem traditionum.

Soluitur multis exemplis.

Prærogа-

Catholici pro traditionibus.

Prærogatiua traditionũ sanctarũ. 1. quòd sunt propriæ catholicis.
Non ethnicis, non Iudæis, non Hæreticis.
Locus Apostoli. Depositum custodi.
2. quòd ecclesiã et firmẽt et ornẽt.
Maximè enim obsequentẽ Christi sponsã videri faciũt.
Contemptores traditionum vapulabunt.
Hos igitur vitare; traditionum autem amicam ecclesiam complecti debemus.



NOS equidem, qui catholici & esse, & dici volumus, vtrumque sanè traditionum genus, & si quid præterea imperatum, laudatum, propositum etiã nobis esse nouimus, id omne ad nos pertinere libenter profitemur. Nam deligere quidem quid obserues potissimũ, quidúe item non obserues, cùm omnia præcipiantur, delectus est, id autem est, hæresis est; quæ ex delectu, vt diximus, apud Græcos nomen est sortita. Atque in hoc quidem, vtut vobis incredibili sapientia præditis hominibus, bardi fortassis ac stupidi videamur, magnificè nos efferimus, & quod vobis stultitia est, id sapientiam esse maximam interpretamur; cùm enim scripturas ipsas magnifaciamus, tum traditiones præterea illas vocis viuæ, eodem prorsus loco ducimus. Quid ita? quoniam eadem illa scriptura, quam æquè vobiscum veneramur, nisi quòd nos re, vos verbo tantum; sic docemur. Hominem quidem viuere " verbo Dei, verùm non illo solùm quod perscriptum est, sed " omni prorsus, quod procedit, non dico è calamo, & atra- " mento, sed multò magis, vt scriptura dicit, ex ore ipso dei, " &, vt nos certa admodũ coniectura assequimur, illo planè Dei verbo, quod vel ex nutu saltem ipso & significatione eius, verbum esse ipsius possit quomodocumque apparere. Vtrumque igitur æquè retinemus, in eaque re officium nostrum catholicorũ hominum perlibenter agnoscimus. Cùm

Catholici pro traditionibus.

enim ad hominem catholicum, omnes, vt ostendimus, rerum, locorum, personarum, rationũ, temporum vniuersitates pertineant, profectò apparet, ex illa, quam primo loco dixi, rerum vniuersitate, rerum, inquam, quæ Christo deuotis, & ecclesiæ addictis catholicis hominibus proponũtur obseruandæ, non magis traditiones non scriptas, quàm scriptas ipsas, posse eximi, quo minus obseruentur; cùm alteræ sine alteris, vniuersitatem illam rerum à catholicis obseruandarum minimè perficiant. Quid enim scribit Paulus?
„ ELEGIT VOS DEVS, inquit, ô THESSALONICENSES (nunc autem ad nos conuerso sermone idem profectò
„ loquitur) PRIMITIAS IN SALVTEM, idque IN SAN-
„ CTIFICATIONE SPIRITVS ET FIDE VERITA-
„ TIS; ad quod quidem electos, VOCAVIT VOS PER E-
„ VANGELIVM NOSTRVM. Per euangelium? Itaque
„ fratres, inquit; & iterũ dico. Itaque, STATE ET TENETE
„ hoc euangelium, id autem est, TRADITIONES, QVAS
„ DIDICISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER
„ EPISTOLAM NOSTRAM. Patet igitur, vtrumque traditionum genus & euangelii nomine appellari, & à piis omnibus æquè retineri oportere. Sic enim propemodũ so-
„ nant Pauli verba. VOCAVIT VOS, inquit, DEVS, PER
„ EVANGELIVM NOSTRVM; STATE IGITVR in hoc
„ euangelio, per quod vocati estis, ET TENETE eius ipsius
„ euangelii TRADITIONES; non minus illas, QVAS DI-
„ DICISTIS PER SERMONEM, quàm illas QVAS DI-
„ DICISTIS PER EPISTOLAM NOSTRAM. Quid his apertius? Atqui nostri Paradosimastyges, cùm aliter nõ possunt, confusione sola introducta, illa etiam, quæ sunt apertissima, velle videntur obscurare. Aiunt enim, acutè, vt ipsis quidem videtur; vtrasque traditiones æquè commendari, & parem vtrisque commendationem tribui; sed quibus vtrisque? Nimirum Paulinis, inquiunt; idque non tantùm ob Apostoli auctoritatem ipsam, sed etiam ob tra-

ditionum

Catholici pro traditionibus.

ditionum ipsius scriptarum & non scriptarum conuenientiam inter se summam. Quæ enim sunt aliæ, inquiunt, Paulo Apostolo, traditiones ex sermonibus eius haustæ, quàm quæ hodieque hauriuntur ex eiusdem epistolis? Neque enim consentaneum esse putant, aliud Paulum scribere, & aliud loqui; qui ipse fateatur apud Corinthios, eundẽ se illum vnum scire ac nosse per epistolam, quem ipsum coràm etiam inter ipsos cùm versaretur, solum nouisse se ostendit, Iesum Christum, & hunc quidem crucifixum. Alioqui magna voce Galatas per epistolam contestari. Si quid diuersum, siue ipse ille, siue adeò quispiam non solùm hominum, verùmetiam angelorum, afferre conetur in doctrina euãgelica, ab eo quod semel ex eo Galatæ ipsi accepissent, hunc ipsum qui id adferat, non doctorem euangelicum, non internuncium aliquem salutarem, sed virum sacrum ac scelestum, sed omni execrationum genere deuinctum hominẽ, sed, vt ipsius denique Pauli verbo vtar, anathema ipsum censeri oportere. His igitur demum traditionibus solis non scriptis, cõmendationis aliquid relinquere se ostendunt isti, quæ vnas prorsus cum perscriptis traditionibus, & easdem res subiectas habeant, non quæ alteræ ab alteris, rebus ipsis subiectis differant inter se atque inuicem dissentiant. Tunc enim profectò verum esse negant, vt salutariter aliquid, toto illo non scripto traditionum genere præcipiatur, quod ipsum non præcipiatur scripto. Caput igitur est, quòd accipere se tandem & venerari inquiunt, traditiones non scriptas, quæ quidem cum scriptura conueniant; auersari, quæ repugnent. Honesta oratio est, inquis. At mihi quidem tota primùm à Pauli ipsius sententia, deinde partim à veritate, partim à pietate, partim à perfectione, partim deniq. à simplicitate christiana videtur esse aliena. A Pauli sententia quidẽ. Quis enim hæreticos ferat ita argumentantes? Paulus scripto ipso fatetur, se, cùm venisset olim Corinthum, nihil prorsus aliud scire iudicauisse, nisi Iesũ crucifixũ. Ergo,

Catholici pro traditionibus.

non aliæ traditiones Pauli in ecclesia locũ habere debent, quàm quæ ex eius scriptis hauriuntur? Quod esset enim hoc argumentationis genus? Dices. At nihil sciuit Paulus aliud quàm Iesum crucifixum. Respondebo. At hunc vnũ & eundem, quem solum sciuit, variè sanè pro loco & tempore, tradere non modò potuit, sed etiam voluit; cùm omninò is fuerit, qui omnibus omnia fieri studuerit; sapientibus videlicet scriptura ipsa proponenda, in qua se exerceant, insipientibus autem, vt ipse loquitur, & ignaris, qui litteras nesciunt, traditione ecclesiastica relinquenda, cui acquiescant. Dices. At Paulus execratur eos, qui aliud doceant quàm docuerit ipse. Meritò id, inquam. at hoc quidẽ, ô bone, pro me magis quàm pro te facit. Ego enim ex eo, conuenientius, & ad Pauli sententiam, vt arbitror, accõmodatius argumentabor sic. Paulus execratur eum, qui traditionibus eius, viua voce factis cõtraueniat, (de his enim, vocalibus nõ scriptis traditionibus, eum loqui in loco proposito, illud euincit, vt opinor, quod præter hanc, nullam ante hac aliã scripserit epistolã ad Galatas; & hanc tamẽ execrationẽ de tradito et accepto euangelio, primi iamtũ ipsius epistolæ capitis principio ipsi interserat) Ergo præter traditiones ipsas viuæ vocis, quod solum ibi Paulus appellat euangeliũ, nemo omnium quicquã aliud in ecclesia docere potest, ne scripto quidẽ ipso. Quod si est, sequitur sanè, doctrinam ipsam scriptam, traditionibus potius viuæ vocis esse moderandam, quàm econtrà. Et certè ita semper factitatum fuisse in ecclesia, infrà etiam per occasionem ostendemus. Nunc satis sit vidisse, argumentationes hæreticorum contra traditiones, à Pauli esse mente prorsus alienas. Videamus iam cætera, quæ diximus; hunc videlicet eorum sermonem totum, etiam à veritate, pietate, perfectione, simplicitate christiana penitus abhorrere. A veritate. Ostẽdam enim, traditiones non scriptas, etiamsi rebus subiectis differant à scriptura, commendari necessariò oportere. A

pietate.

Catholici pro traditionibus.

pietate. Docebo enim, illis ipsis, multa piè ac salutariter etiam præcipi posse. A perfectione. Neque enim plenum aut perfectum videri potest, quod illarum duntaxat traditionum meminit, quæ scripturæ ipsi aut conueniant, aut repugnent, cùm sint præterea quæ neque repugnent, neque tamen idem dicant; sed aut id, quod in scriptura desit, suppleant, aut, quod obscurum sit, illustrent. Atque hæc quidem tria interim ostendere sufficiat. Nam quartum, planũ per se ac manifestum est; summa calliditate ab hæreticis approbari traditiones scripturæ congruentes, respui repugnantes; nimirum, vt per hanc occasionem, iudicium ad se arbitriumque aduocent, vel potius vi atq. astu pertrahant, de his, quæ sint quæ cum scriptura conueniant, &, quæ sint quæ repugnent. Ostendamus igitur tria, quæ promisi. Non longè abiero. Quid enim, quæso, ait Paulus ille idem, de iisdem eiusmodi rebus Corinthiis scribens? Equidem cùm scripto ipso satis ipsis tradidisset, ea quæ tunc scripto tradenda esse existimauit, infert. CÆTERA, inquit, CVM VENERO DISPONAM. Hic ego sanè, dum tria illa demonstrare laboro, ostendò quatuor. Vnum. Traditiones ipsas non scriptas distingui rebus ipsis, à traditionibus scriptis. Alterum. Non scriptas traditiones vel supplere quod desit scriptis ipsis, vel illustrare, quod in illis fuit obscurius. Nimirum, CÆTERA, inquit Apostolus. Cætera. non ergo eadem hæc quæ scribo, sed cætera; sed alia; sed ab his diuersa; sed reliqua, quæ non scribo, inquit, & quæ desunt scilicet. Hoc est enim, τὰ λοίπα. Deinde ex iisdem illis verbis, ostendo tertium. Hæc enim cætera, quæ non scribit, non negligit profectò Apostolus, sed dispositurum se ea esse ostendit, cùm venerit. Ex quo patet, vtiliter multa præcipi posse traditionibus non scriptis. Quorsum enim disponerentur à Paulo, nisi id vtiliter fieri ab eodem iudicaretur? Et certè cùm mecum considero, multa ibidem statim Paulum scribendo fuisse persecutum, cætera tamen illa, scri-

pto tunc persequi noluisse, sed in aduentum vsque suum distulisse: cùm hæc, inquam, considero, ita planè iudico, aut illa, vtilius coràm quàm per litteras, tradi posse, Paulũ existimauisse; aut certè eius rei aliã ab hæreticis causam inuestigandam esse. Ex quo ipso liquet etiam illud quartũ, quod mihi in rebus propositis videtur esse præcipuum, Traditiones non scriptas, re etiam à scriptura differentes, cõmendationem mereri. Atq. hoc sanè illud est, quod idẽ iste Apostolus Thessalonicensibus quoq. scribẽs significat; dum ait, „ optare se magnopere, vt illos coràm possit cernere. At cuius „ rei gratia? vt tũ temporis, inquit, perficiam & absoluam ea „ quæ mihi ad instituendam fidem vestram deesse etiam videtur. Et ad hunc eundem modum alius Apostolus quoq. „ dum ad suum quendam ita scribit. Multa se habuisse quæ „ illi scriberet, verùm chartæ per atramentum & calamum „ committere noluisse: venturum se tamen ad eum esse pro- „ pediem, & coràm de his acturum. Quibus quidem ex duobus duorum Apostolorum locis, satis apparet, primùm, alia esse quæ transacta sint, alia quæ restent, & quæ ad mutuum congressum differantur. Deinde constat etiam illud, ea de quibus coràm agendum sit, necessaria Apostolis videri. Nam & ea, quæ deesse dicuntur, necessaria profectò ad perfectionem sunt; & de quibus Apostoli agendum sibi esse existimant, inutilia sanè videri non possunt. Quin & illud postremò perspicuum est, pleraque esse in diuinis ipsis præceptis atque institutis, quæ chartæ malè commissa, rectissimè tradantur voce viua. Cur enim & is ipse Apostolus, ea quæ in hoc genere necessaria esse iudicabat, voci viuæ committere vult, scripto non vult? & ille alius, cùm facultatem haberet, facere per epistolam Thessalonicenses certiores, de his, quæ illis deesse viderentur, coràm tamen potius ea se esse suppleturum pollicetur? Quibus ex rebus omnibus conficitur, illas etiam non scriptas traditiones, quæ à scriptura reipsa differunt, suam laudem & commen-

Catholici pro traditionibus.

dationem habere. Leuem fortaſſis, inquies: hoc enim tibi ſolum, vt diceres, reſtare videbatur. Verùm tu quidem de his, vt lubet, ita iudica, cui cœlum, cœnum, vel vt eſt in vulgari noſtro prouerbio, ahenum eſſe videtur; nobis autem profectò, ea in quibus conſtituendis Paulus Apoſtolus induſtriam ſuam verſari non erubuit, quæque etiam per ſe inſtituta, tanto ſtudio ſeruare ac tenere præcepit, & quæ alioqui ad perfectionem eorum fidei, ad quos ſcribit, deeſſe oſtendit, leuia videri non debent. Et ſi ſint leuia, tanto hercle magis amplectēda, quòd leuibus, potius quàm grauibus & difficilibus cōſectandis, officio noſtro ritè perfungi videamur. Vis autem quoque videre, quàm non ſint futilia, ea quæ ex traditionibus non ſcriptis emanarunt? Non recito, quæ Tertullianus, & alii commemorant, adorationes noſtras ad orientem; non, diei dominicæ interdictum ieiunium, non contrà, quartæ & ſextæ feriæ imperatum; non recenſeo quadrageſimæ obſeruationem, non, vſum & honorem imaginum, non, orationes pro fratribus vita functis, non, cerimonias, cùm aliorum ſacramentorum, tum baptiſmi præcipuè, quæ omnia ex vetuſtiſſimis traditionibus non ſcriptis ortum habuiſſe conſtat; ipſum illum baptiſmum paruulorum, quo nunc paſſim, inuitis quibuſdam hæreticorum cuneis, vtimur, vnde, quæſo, habemus, niſi ex traditionibus? Homouſii vſurpationem, vnde, niſi ex traditionibus? tres perſonas, vnum Deum, vnde, niſi ex traditionibus? Trinitatem ipſam, vnde, niſi ex traditionibus? Ex traditionibus autem, dico, non ſcriptis. Vbi enim ſcriptum eſt, infantes eſſe baptizandos? vbi ſcriptum eſt, Dei filium patri ipſi eſſe conſubſtantialem? vbi, Mariam matrem domini, & eſſe, & fuiſſe ſemper virginem? Deum trinum eſſe in perſonis, vnum in eſſentia, (audeamus enim his iam vti) vbi ſcriptum eſt? Trinitatis ipſum vocabulum, vbi ſcriptū eſt? Et tamen hæc omnia, ceu normæ quædā, non loquendi ſolùm, ſed etiam ita prorſus ſentiendi, ad magnas olim

Catholici pro traditionibus.

in ecclesia excitatas controuersias sopiendas mirificè valuerunt, finemque adeò ingentibus dissidiis imposuerunt, & nos ipsos in maximarum & maximè necessariarum rerum certa cognitione statuerunt. Vnde? nisi ex non scriptis traditionibus? Debilissimo, dices, fundamento res maximas inædificatas. Atqui secus pronunciant iidem illi auctores maximi. Iræneus inprimis, grauis & perantiquus auctor, „dum scribit. Si scripturæ deessent, vel ipsis traditionibus a- „bunde regi potuisse ecclesiam Christi. Et certè si penitus introspicere, ac rem suis examinare ponderibus voluerimus, ita planè cõperiemus. Cùm scripturæ quidem ipsæ, communes nobis sint cum ethnicis, & Iudæis, et hæreticis, à quibus omnibus non solùm leguntur, sed etiã sæpenumero ad vsus præposteros contorquentur, tũ traditiones sanè ipsas in ecclesia non scriptas, Christianorum ipsorũ esse maximè peculiares; ita vt ad earum communionem soli Christiani pertineant, gentes autem vel nullo veræ diuinitatis sensu præditæ, vel superstitione ipsa profanæ, vel à vera & catholica religione discessione, impiæ, vix, ac ne vix quidem possint vnquam peruenire; illæ quidem, quòd eas ignorent, hæ autem multò etiam magis, partim quòd eas grauissimis contumeliis afficiant, partim verò, quòd planè contemnant, & pro nihilo ducant; omnes autem in vniuersum, quòd eas ecclesiæ ipsi, vti maximè proprias, relinquãt. Atque ego quidem depositum illud, de quo diligenter custodiẽdo, non frustra toties & tam accuratè, vt dixi, admonet Paulus Timotheum suum, non magis ferè ad scripturas, quàm ad traditiones ipsas non scriptas pertinere iudicem. Sic enim scribit idem Paulus eidem isti Timotheo episto- „la posteriore. FORMAM, HABE, inquit, SANORVM „VERBORVM. Quorum, Paule? eorúmne quæ scripsisti „tu? non inquit, sed QVE EX ME AVDISTI TV. Quónã „quæso in genere doctrinæ? IN FIDE, inquit. Soláne verò, „vt isti volunt? Minimè, inquit; sed ET IN DILECTIONE

Catholici pro traditionibus.

QVOQVE IN CHRISTO IESV. Tum ſtatim infert. BONVM DEPOSITVM CVSTODI, inquit. Quod quæſo? « Ecquódnam cenſes, inquit, præter id quod dixi, ſanorum de fide & dilectione verborum? & quidem eorum verborum, quæ audiſti ex me potius, quàm quæ in meis ſcriptis legiſti. Habebóne autem tantùm penes me formam hanc, non etiam aliis communicabo? Tu verò, inquit ipſe capite ſequenti eiuſdē epiſtolæ, ETIAM ALIIS EADEM ILLA COMMVNICA ET COMMENDA. Quænám illa? « Iterum, inquit, dico tibi, EADEM QVÆ AVDISTI EX ME, PER MVLTOS TESTES. Non, quæ legiſti ſcilicet, aut priore ad teipſum ſcripta, aut aliis ad alios ſcriptis, & atramento conſignatis epiſtolis. ſed quæ audiſti. ſed quæ audiſti. Hoc depoſitum, inquit, & ipſe cuſtodi, & aliis cōmenda fidelibus hominibus. Atq. hæc quidem Apoſtolus. Non fruſtra autem neq. immeritò hæc ab eo toties inculcari, dubitationem non habet. Eiuſmodi enim depoſitum τῶν ἀκροαμάτων ſicubi aut abſit, aut minus vigeat, ibi, etiamſi fortè ſcriptura ipſa ad omnia occurrat, neque neruis prorſus careat, omnia tamen neſcio quomodo, vel languere in eccleſia videas, vel certè multa quotidie noua, ad conturbandam eius pacem & quietem exorientia ſentias: quæ deinceps, vt leuiſſimè dicam, tolli ſanè aliter, niſi traditionū ipſarum non ſcriptarū ſubſidio, non poſſe videantur. Contrà autem, vbi modò depoſitum hoc traditionum ſanctarum fuerit, iuxta præceptum Apoſtoli, cuſtoditum, ibi, ipſius quidem præcipuè beneficio, omnem ſtatum eccleſiæ veteris & totius chriſtianitatis, in ſua ſemper integritate & quiete permanſiſſe, & ad poſteros etiam ipſos in eadem eſſe transmiſſum, ex omnium temporum hiſtoria notius eſt quàm vt verbis debeat explicari. Neq. enim vnquam quicquam, quod eſſet apertè impium, irrepere in eccleſiam potuit, ſaluis traditionibus; & dubia, ſi qua fortè interea emerſiſſent, ſemper ſunt, ex ipſa certa traditionum interpre-

Catholici pro traditionibus.

tatione definita, & pro certis, in ecclesia stabilita. Quid ita verò? quia ecclesia sancta in eiusmodi euellendis zizaniis, non semper ad illud confugit, Scriptum est, Scriptum est. quod ipsi quoque diabolo nouit esse cõmune: sed illud etiã nõ minore asseueratione atq. fiducia audet sæpenumero vsurpare aduersus nouatores. Nos, inquit, consuetudinẽ eiusmodi nõ habemus. Hæccine igitur quispiam reiiciat? hæccine aspernetur? hæccine contemnat? quibus ecclesia & securitatem quidem ac tranquillitatem suam, quod modò diximus, maximè tuetur, ab hostium hæreticorum impressionibus, & seipsam præterea morigerã inprimis & Christi sponsi sponsam amantẽ maximè exhibet? Agè enim videamus, quæ res est, quæ sponsam facit videri sponsi amantem maximè? Nũ, si ea in gratiã ipsius, nihil nisi ex præscripto agat? Nũ, si nihil, nisi verbere coacta, faciat? nihil nisi cõuitio expressum in animum admittat? An potius si ipsos quoque sponsi nutus, quantũuis remissos, ipsas etiã illas quãtumuis tenues animi significationes, quàm diligẽtissimè obseruet? Mihi verò hoc nomine, & hac appellatione, ea demũ sponsa dignissima videbitur, quæ nullis sponsi nutibus expectatis, ipsa vltrò, quid sponsus amet, quidúe oderit, ex domesticis eius familiaribus perquirat, & omni qua potest ratione odoretur; perspectis autem & exploratis eius studiis ac voluntatibus, nihil tam in iis minutum esse existimet, quod sibi eius deuinciendi gratia, reiiciendum, aut recusandum esse arbitretur. Si enim semper syngraphas quasi quasdam à marito expectet, si semper descriptos ipsos officiorum suorum indices requirat, nec præter scriptum, aut credat, aut agat, aut incœptet quicquam, quo placeat ei, cui se probauit, mihi quidem non tam sponsa aut coniunx morigera, quàm morosa quædam ingenii patientiæque maritalis irritatrix esse videbitur. Sic igitur ecclesiá quoque, si omnia ad summum ius reuocet, & nisi quæ scripta sint, reliqua aut sponso ingratissima esse deputet, aut ad se nihil pertinere

existimet,

Catholici pro traditionibus.

existimet, næ mihi illa quidem, non tam sponsa legitimo iure deuincta, quàm plebeia mulier in concubinæ tantùm locum ducta esse videretur. Contrà verò si se obsequentē potius Christi sponsam domini, quàm difficilem & importunam de grege fœminam, videri vnquam cupiet, tum mihi ad omnia, illas potius aut his similes ad Christum suum voces vsurpabit.

Tuus, ô rex magne, quid optes,
Explorare labor, mihi iußa capeßere fas est.

Aut illas potius ex propheta. Audiam quid loquatur, non tantùm quid scribat; loquatur autē, non tantùm ad me foris, sed etiam in meipsa intus, Dominus deus meus. Audiam audiam: sed & obediam quoque. Nam si aliter sponsa ecclesia faciat, & Dei vocem, quanquam non scriptā, quocumque tamen modo exauditam, negligere audeat, in illas profectò horribiles verborū comminationes protinus incurrat, quas eiusmodi scilicet acutis atque subtilibus, sed iisdem importunis ac fastidiosis seruis, Dominus in euangelio denunciat. Seruus qui norit, inquit, voluntatē domini, nec secundum eam se gerat, vapulabit nimis. Quomodo nimis? Exponit Apostolus Petrus. Vsque adeò, nimis, inquit, vt præstiterit eos non cognouisse voluntatē domini, quàm cognita ea discedere à sancto mandato dei. A quo mandato, Petre? Num ab eo, quod scripto consignatum ad eorum notitiam peruenit? Non, inquit; sed ab eo, quod traditum illis fuit. & quidem traditum, seu scripto, seu voce viua, & traditione aliqua. Rectè igitur dominus ipse vapulaturum seruum ait, qui se ad voluntatem domini non accōmodet, quam norit. Quid autem interest, ex ipsóne domino, & quidem scribente, an loquente, voluntatem ipsius cognitam habeas, an verò aliunde, & alio quopiā modo? Solent enim quoque domini per alium, imò etiam per aliud, suam ostendere sententiam. Hodie, hodie, si vocem domini audieritis, etiamsi scriptum eius nullum, & tabulas obsigna-

tas nullas videritis, nolite, nolite obdurare corda vestra. Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias domini? Beatus ille, & quidem ter beatus, & quater, qui Deum audit, & quæ is velit, intelligit; eaque ipsa ad officiũ suum pertinere iudicat. Contrà, miserum & infœlicem, qui „ obturat aures suas, vt non exaudiat Dei vocem incantan- „ tis sapienter. sicut loquitur propheta. Neque igitur traditiones ab ecclesia tollere, neque nos ab ea, quæ traditiones non scriptas tuetur; rectè segregare possumus: imò conuẽtus omnes hominum quorumlibet, traditionibus sanctis periniquos, non suspectissimos habere non debemus; ecclesiam verò, quæ traditiones magnifaciat, maximi sanè fa- „ cere debemus. Denunciamus vobis, inquit Paulus Thessa- „ lonicẽsibus, & quidem in nomine domini nostri Iesu Chri- „ sti, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordina- „ tè, & non secundum traditionem acceptam à nobis. Ipsi e- „ nim nostis quomodo oporteat imitari nos. Vnde autem nostis? ex scriptísne nostris? Non, sed ex consuetudine & fa- „ miliaritate nostra. Quoniam, inquit, non fuimus inquieti „ inter vos, neque ociosi. Et quæ eo loco sequuntur.

CAP. IX.

Digressio. Cur biblia, patres, concilia, malè tractentur ab hæreticis.

Scriptura hæreticis tam odio est quàm lex & iudex improbis.

Patres & doctores tam terrori hæreticis sunt, quàm lictor & carnifex sceleratis.

Concilia hæreticis instar sunt mortis & supplicii extremi.



HIC iam à proposito nos cursu nostro aliquantisper reuocemus, gradumque sustineamus, & quasi iustis in cœpto itinere confectis spaciis, nonnihil insistamus; aut adeò, si lubet, in hanc potius

potius interim cogitationis nostræ amœnitatē veluti quādam, obiter, maiore iam operis nostri confecta parte diuertamus; vt, quoniam diximus superius, traditiones sanctas illa maximè inuidia flagrare apud hæreticos, quòd ex his, omnem & scripturarum, & patrum, & conciliorū ipsorum, trium maximè sibi inuisarum rerum auctoritatē profectam esse intelligunt; inquiramus nunc iam, in hoc ipso quasi quodā sermonis nostri diuerticulo, quídnam in caussa potissimùm esse existimemus, cur & Biblia ipsa ac scripturæ sanctæ, & patres item ac doctores sancti, & denique concilia ipsa sacrosancta, in tantum hæreticorum odium atque offensionem incurrisse videantur. Quo quidem in genere sermonis disputationisque nostræ, licitum sanè velim esse cuilibet, ea hoc loco adferre in medium, quæ modò quisque ad rem propositam existimet vtcunq. posse pertinere. Habet enim nescio quid hæc eiusmodi variarū de vna proposita re cogitationum congeries et cōcursus, quod singulari quadam suauitate perfusos nostros animos & oblectare, & pascere, & ad maiora etiā aggredienda plurimum excitare videatur. Ego quidē dicā quod sentio. Hæreticos homines sceleratis mihi & perditis hominibus in eo persimiles videri, vt pronunciare nō dubitem, quod facinorosis alioqui hominibus lex sit & tribunal iudicis, hoc hæreticis scripturas esse bibliorum; quod illis lictor & carnifex, hoc istis patres & doctores; quod illis carcer, crux, furca, hoc iis nomen & auctoritatem conciliorū esse. Quod cùm ita sit, sanè quo loco iudex, lex, lictor, carcer, crux, habetur passim apud homines nefarios, eodem apud hæreticos haberi biblia, patres, concilia, minimè esse mirandum. Dic clarius, inquis. Dicam, si potero, vt magis etiam id quod volo intelligi possit. Legibus, inquam, & iudiciis, nefarii homines mirificè admodum, quod scimus, sunt infensi. Quid ita? quia vitæ, & actionibus eorum vniuersis mirabiliter repugnat vniuersa ipsa legum & iudiciorum ratio. Oderunt igitur

igitur ex animo ea, quæ sibi tantopere vidēt aduersari; nec sanè prius quicquam facerent, si possent, quàm vt ea, quæ sibi ad eum modum obstare intelligunt, primo quoque tēpore è medio tollerēt. Verè enim dictum est à vetere pôëta. Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit. Sed quoniam ea tollere posse se desperant, sine quibus, viui inter homines non posse animaduertunt; tum autem, quoniam confidunt, quicquid in legibus ipsis acerbi est, id se innata quadam ingeniorum suorum calliditate, aut omninò, aut magna ex parte posse euitare, iccirco retinent eas quidem, vt videtur, verùm interim ita se comparant, ita technis & cauillis instruunt, vt non tam leges, & iudicia retenta, quàm latebra modò quædam & perfugium scelerum, in retentis illis legibus ac iudiciis, quæsitum ab ipsis esse videatur. Et certè ad hanc eiusmodi mentem suā improbam, si modò concessu alicuius, facultatem legum pro arbitrio interpretandarum adepti sint, nullo negotio legibus ipsis & iudiciis ad omnes fraudes & latrocinia abutantur. Sic isti. Atque eodem planè modo inter scripturas & hæreticos res habet, si quis modò velit propius intueri. Nam & lucem profectò ac splendorem illarum, vita illa & doctrina istorum tenebricosissima, nequit non odisse; & quod oderit, idipsum sanè extinctum etiam nō cupere non potest; aut, vt iam id possit, illud certè non potest, quominus saltem refugiat, & clarissimum illud ipsarum lumen ita auersetur, vt quemadmodum olim Iudæi aduersus faciem Mosis radiantem, ita isti aduersus diuinarum scripturarum splendorem clarissimum, non ausint oculorum suorum aciem attollere. Cur igitur eas quas tantopere oderunt, non extinguunt? cur non tollunt è medio? Ne hoc quidem, mihi credite, non cogitant; verùm, quoniam ecclesiam diuino illo sanctarum scripturarum splendore, quo quidem eam non solùm illustrari, sed etiam prorsus animari intelligunt, priuari posse non vident, iccirco, dum tollere se posse, id

quod oderunt, desperant, fuco saltem illinere, & totum illud quicquid est, paratis ad eam rem fallaciarum suarum operimentis, quasi cucullione quodam inuoluere, ac verissimam diuinarum scripturarum faciem obscurare ac deturpare nituntur. Tum autem, hac tanta ipsarum patientia abusi, antequam scilicet iudicium earum subeant, vltrò eas quasi pro reo substituunt, & ad suum ipsorum quasi tribunal quoddam aduocant; vt tum demum & vultum earũ pro arbitrio fingant, & ludos de ipsis, quantum libuerit faciant, & postremò, ludibrio plus satis habitas, veste etiam in speciem splendida indutas, remittant ad aliquem Pilatum; tot calumniis, tot contortarum interpretationum integumentis obuolutas, vt non facilè, præ eiusmodi inuolucris, vera ipsarum effigies possit apparere. Postremò, ita fœdè & contumeliosè acceptas, ac faciem velatas, in solio per ludibrium, quasi pro fæneo quodam iudice, collocant; collocatisque eis, pugnos, pugnos etiam ingerere non dubitant, amarulentum illud tantùm non vsurpantes. Prophetiza, prophetiza, quis est, qui te percussit. Itaque non tollunt eas ferè quidem, (quomodo enim eas tollerent? aut quomodo sublatas ex oculis, pugnis cederent?) imò ita eas sæpenumero in os catholicorum dilaudant, vt in ipsorum comparationem, nullam aliam quantumuis sacrosanctam auctoritatem admittant; verùmtamen cùm eas ita indignè tractent & illiberaliter, vt ab ipsis aut apertè depalmari, aut certè non ex animo laudari, sed veluti iudex à nocente reo palpari tantùm videatur, mihi equidem verbo solo ab eis retineri, re, hoc est sententia planè vniuersa euerti videntur. Atque hoc sanè illud est, quòd interdum nullas rursus scripturas, vt diximus, recipiunt; quòd nouas assiduè bibliorum conuersiones quærunt, quòd de numero sanctorum librorum illorum diminuunt, quòd inscriptiones biblicorum capitum, de suo ipsi capite apponunt; quòd denique ad librorum oras, callidis quibusdam inter-

pretatiunculis attexendis, extremū pietati & religioni exitium moliuntur. Progrediamur vlterius. Auerſantur flagitioſi homines leges & iudicia. ſic eſt. ſed multò etiam magis timent & auerſantur carnificem & lictorem. De legibus enim verè dixit, qui eas telis aranearum ſimiles eſſe dixit, vt ad quamlibet impreſſionem, vltrò potius ipſæ vel cedere, vel perrumpi ament, quàm vt potentes, & factioſos, & nobiles latrones in ſua retia immiſſos, imbecillitate telarum ſuarum tenere queant; præſertim vbi nulla inſtantis & vrgentis magiſtratus diligētia ac rigore fuerint obfirmatæ. At verò licia lictorum & laquei carnificum, quoniam firmitate ipſa ſua, manifeſtò telas aranearum videntur ſuperare, iccirco maiorem etiā metum animis ſceleratorum illorum hominum incutiunt, eoſque omninò ſic exterrent, vt cannabum quoque ipſum, quod laqueis ac liciis materiam ſuppeditare ſolet, deſpuere, iuxta vulgare prouerbium, atque execrari cogantur; lictorem autem & carnificem, prope vt mortem ipſam perhorreſcāt. Quorſum hæc? vt intelligamus eandem planè eſſe rationē inter hæreticos, & patres eccleſiæ ac doctores. Cùm enim hæretici ſcripturam ipſam omni, quod oſtendimus, ratione auerſentur; tū verò patres ipſos ac doctores ſanctos, multò oderūt acerbius, atq. adeò multò plus etiam pertimeſcunt. Et quidem nō ſine cauſa quoq. Scriptura enim cùm pro ſe ferè non loquatur, trahi ſe interdum inuitam ab iſtis, & vi violari patitur: patres pro ſcriptura apparent, patres aduerſario manus colligant, caput obnubunt, in ipſum etiam propemodū lege agunt. Prorſus vt lictoris quaſi cuiuſdam munus, in hoc ſanctiſſimo eccleſiæ miniſterio, ſuſtinere videantur. Quamobrem, quod vulgo quoq. in rebus politicis de carnifice & lictore vſurpatur, pluſquam ius & lex permittat, vim & potentiam illius non valere; id de ipſis quoque in ſuo genere catholicis eccleſiæ doctoribus, paſſim audias ab hæreticis vſurpari; non plus illis fidei eſſe tribuendum,

quàm

quàm auctoritas permittat sanctarum scripturarum.

Bibliorum igitur leges oderunt hæretici, à patrũ etiam animaduersione grauiter sibi metuunt; quid dicam de cõciliis? Ad horum verò mentionem, subitò hæreticis

refugit sanguen, atque exalbescit metu;

quòd ea non iam iudicii, aut etiam licii, sed furcæ planè instar habere existiment. Vt enim qui seueritatẽ legũ aut iudiciorum minimè reformidant, nec virtutis amore à peccãdo absistũt, tradũtur lictoribus; quod si ne horũ quidẽ vinculis aut verberibus cöercentur, vt discant saltẽ formidine pœnæ, minus malefacere, in crucẽ tandem aguntur; ita, qui scripturarũ sanctarum præceptionibus simplicibus & apertis, in officio non continentur, quominus noua, & ecclesiæ catholicæ inaudita dogmata in vulgus disseminent, ad doctores demum & columina illa religionis Christianæ relegantur: quod si ne sic quidem ad officium redeunt, tum postremò ad concilium, tanquam in carcerem detruduntur, & ibi, nisi resipuerint, condemnantur. Horrent igitur isti planissimè concilia, & ad omnem eorum mentionem contremiscunt: cumque adeò quodlibet trium illorũ magnopere auersentur, scripturas quidem, vt legem & iudicẽ, patres, vt iustitiæ administros; tum concilia sanè non modò auersantur, sed etiam vt mortem ipsam & supplicium extremum perhorrescunt. Atqui ipsa etiam scriptura, si illi tantopere, vt iactant, obedire voluissent, docere eos poterat, consentientes esse catholicis aduersariis suis, dum sunt in via cum eis; ne fortè ab ipsis tradantur iudici, scripturæ, & à iudice, ministris, patribus ipsis & doctoribus; qui tandem mittant eos in horrendum ipsis carcerem conciliorũ sanctorum. Quas quidem omnes machinas, in ipsos hæreticos, palàm à catholicis contortas, & strenuè aduersus illos vibratas, ac vbi & quando opus esset, commolitas per Dei gratiam fuisse, ætas hæc nostra vidit, cum insigni quidem hæreticorum probro atque dedecore, catholico-

rum autem ipſorum victoria & triumpho admodum glorioſo. Vt mirum non ſit, tria hæc, biblia, patres, concilia, ſuo ipſorum nomine, traditiones autem ipſas, & ſuo, & trium præterea illorum ſibi maximè exoſorum nomine, quorum illæ progenitrices & parentes exiſtimentur, odio ab hæreticis haberi. Sed nos ad ea quæ reſtant pergamus.

PATRICII NIDECICI
DE ECCLESIA VERA ET FALSA.
LIBER III.
Qui est de tectis ædificii ecclesiastici.
CAP. I.
Sacramenta ecclesiæ catholicæ.

Duæ partes tecti in ædificio ecclesiastico. Sacramenta & sacrificia.
Vtraque & veritatem ecclesiæ demonstrant & dignitatem magnam.
Quibus & qualibus & quot sacramentis vtatur ecclesia catholica.
Sacramenta ecclesiæ septem, & cur.
1. *Quia res ipsa & necessitas sic ferebat.*
2. *Quia ita conueniebat.*

Sacramenta sunt vasa gratiæ diuinæ.
1. *Quibus grati Deo efficimur.*
2. *Quibus ad implendam diuinam legem adiuuamur.*

Singulorum sacramentorum vtilitas.
Alia ratio colligendorum septem sacramentorum.



CVM igitur iam fundamenta primùm, deinde parietes etiã ipsos ecclesiæ veræ; quantum in præsentia fieri potuit, satis lustrauerimus, & vtrumque cum fundamentis ac parietibus hæreticarũ synagogarum ita contulerimus, vt manifestò apparuerit, & fundamenta, & parietes synagogarum istarum, ne in comparationem quidem, cum ecclesiæ nostræ siue parietibus, siue fundamentis, venire iure posse; quando illæ quidem synagogæ, & quatuor saxa illa, vnius, sanctæ, catholicæ, apostolicæ ec-

Sacramēta catholicor.

cleſiæ, quæ nos, ſubſtructionibus ſacroſanctæ Romanæ ecclеſiæ noſtræ pro fundamento aſſignamus, non agnoſcunt; & ex bibliis, patribus, conciliis, traditionibus ſanctis, quos nos totidem parietes eſſe eccleſiæ noſtræ definimus, vix biblia ipſa, idq́. per ſpeciē tantùm, recipiant; cæteros parietes eiuſmodi, non modò ad ſui ædificationē non adſciſcant, ſed etiam ad noſtram eccleſiam extruendam non admittant. Hæc, inquam, cùm oratione noſtra vtcumque perſtrīnxerimus, reſtat, vt ad opus intermiſſum noſtrum redeuntes, tectum denique ipſum operis inſtituti conſcendamus, atque aliquid de ſacramētis & ſacrificiis, quæ in hoc ſacroſancto eccleſiæ ædificio, tecti veluti cuiuſdam inſtar nobis videntur obtinere, breuiter diſſeramus; ex eoq́. ipſo aliquid præterea, tum ad continendos nos ipſos in gremio eccleſiæ, tum ad reliquos, per dei gratiam à ſynagogis iſtis reuocandos, præſidii deſumamus.

Intelligendum eſt igitur, ſacramentis & ſacrificiis ipſis magnopere etiam dignitatem ſimul & veritatem eccleſiæ demonſtrari. Veritatem. Quid enim tam proprium eccleſiæ eſſe poteſt, quàm ſacerdos? quid tam peculiare, quàm ſacramentum? quid tam eximium, quàm ſacrificium? ſine quibus omnibus, eccleſia non modò conſtitui nulla poteſt, ſed ne cogitatione quidem adumbrari. Quid enim, quæſo, tam verſatur nobis in animo, cùm nomen eccleſiæ vſurpari audimus, quàm cœtus & conciliū hominū religioſorū, ſacramentis in cōmune vtentiū, & ſacrificiis ipſis, ſacrificiorúmue fructu ac vtilitate deuinctorū? Non credis? Tolle ex eccleſia ſacramēta & ſacrificia. Non vis tollere? an verò ne debes quidē? an verò ne potes quidē? Finge igitur ſaltē ſublata eſſe, videbis eueſtigiò tantis & tā neceſſariis rebus eccleſiam nudatā ac ſpoliatam eſſe, vt ſine iis, ne nomen quidem eccleſiæ tueri, ſed pro eccleſia, conuenticulum tantū neſcio quod, &, ſicut loquitur propheta, vix vmbraculum in vinea, & tuguriolum in cucumerario, dici atque appellari poſſe

Sacramẽta catholicor.

lari posse videatur. Ergo veritas ecclesiæ, vt dixi, sacramentis inprimis & sacrificiis demonstratur. Quid dignitas? Eodem planè modo. Ponamus enim ab hac quidem parte, cœtum aliquem; primò religiosum; esto. deinde sacramentis & sacrificiis vtentem; esto hoc quoque. nam sine iis ecclesia esse omninò nulla potest, vti ostendimus. Verùm, vt dicere cœperã, ponamus cœtum & religione obstrictum, & sacramentis ac sacrificiis vtentem: quod concessimus. quid tum postea? Equidem si is eiusmodi cœtus, sacramenta religionis suæ aut diminuerit ipse, aut quæ non diminuit, ea in contemptum ac vilitatem adduxerit, aut deniq. diminutis & in contemptũ adductis vti voluerit, tum profectò cœtus ille, secundum quendam fortassis modum, ecclesia dici poterit, at dignitatem, mea quidẽ sententia, certè nõ habebit: sed res ipsa nescio quomodo, diminutis quidem illis, manca, & quasi membris capta; in vilitatem aũt adductis, tota inhonorata ac contempta apparebit. Quid ita? quia caret earum rerum plerisque, quæ ecclesiam constituunt, quæque eam maximè illustrem atq. conspicuam reddunt. Hæc igitur ab vna quidem parte statuamus. Cõtrà autem ab altera parte ponamus ob oculos, cœtum ac conuentum hominum, religione insignem, & præterea, sacramẽtis numero plenis, sacrificiis dignitate augustis, vtrisq. vtilitate præstantibus, inprimis nobilem; equidem iis ita positis, & ecclesiæ ipsi attributis, quid est, quæso, quod magnopere ad hanc eiusmodi speciem, & dignitatem in ecclesia, addi oportere videatur? Hæc enim vel sola, mea quidem sententia, quasi quædam insignia sunt, quæ ecclesiam, veluti lampada quandam accẽsam, videri faciunt, eãque non sub modium detrusam, atque reconditam, qui locus solis debetur hæreticorum conuenticulis, latitantibus & obscuris, sed super candelabrũ ita repositam, vt & ipsa quidem locum eminentiorem habeat, & cæteris quoq. omnibus lumen ipsum communicet, qui intus sunt, & qui

iiſdem eiuſdem domus parietibus continentur. Hæc ſunt, inquam, quæ faciunt, vt eccleſia non ſolùm lucerna ſit, in domo repoſita, quemadmodum ex Euangelio diximus, ſed etiam vt ſit domus ipſa, ſicuti Paulus Apoſtolus eam vocat: & domus quidem non in agro, ſed in ciuitate; imò ciuitas potius ipſa, ex ſententia Chriſti domini: ciuitas, inquam, illa conſpicua & magnifica; non vallibus ipſis depreſſis atque humilibus obruta prorſus & ſepulta; non, ne in æquis quidem ac planis campis poſita, ſed in monte omninò ipſo, vt ait idem Dominus, ita collocata, vt, cũ fundamenta ipſius, quemadmodum Dauid inquit, in montibus ſanctis iacta ſint, ipſa benè ſupra eiuſmodi fundamenta extare, totaque adeò eminere videatur. Imò, quòd verè tandem hoc loco dicendum & concludendum eſt: hæc ſunt quæ eccleſiam, & lucernam in domo, & domum in ciuitate, & ciuitatem in monte; nec id ſolùm, ſed etiam, vt ait Eſaias, montem planè ipſum, videri faciunt; neque adeò quemlibet montem, ſed montem domus domini, montem, in ipſo ſummo omnium collium, ac montium vertice, de induſtria collocatum: montem, dico, non ſolùm humeris vicinorum collium in altum ſubleuatum, ſed etiam vertice quaſi ipſo, omnium quotquot ſunt reliquorum montium in ſublime elatum: vt ita ad eum modum, hæc lucerna, hæc domus, hic mons, hæc ciuitas, ſupra montem, in alto poſita & collocata, omnium oculis maximè expoſita eſſe queat, & ipſo ſtatim primo aſpectu, omnibus ſe cognoſcẽdam præbeat, adeoque Hieroſolymam nobis illam repræſentet, ſanctam, nouam, de cœlo delapſam, diuinitus inſtructam, & omninò tanquam ſponſam ornatã viro ſuo. Qua de re & diximus iam quidem antea aliquid, & quoties neceſſe fuerit, etiam inferius dicturi ſumus. Sic enim ſtatuendum eſt. Cùm eccleſiam viſibilem eſſe oporteat, vt paulò antè oſtendimus, quando eam in Epiſcopis & Pontificibus, & omninò in magiſtratibus ac præfectis eius, viſibilem eſſe docuimus,

Sacramēta catholicor.

docuimus, tum, vbi à perſonis diſceſſeris, & ad res ipſas te conuerteris, nihil eſſe, omnium, quæ quidem in eccleſia fiant aut gerantur, quod æquè incurrat in oculos, cum aliqua ſpecie dignitatis & ſanctitatis, vt ſunt ſacramenta et ſacrificia ipſa: quorum alterum ſignum eſt rei ſacræ, alterū etiam res eſt ipſa ſacra. Niſi autem ſint ſacra in eccleſia, ne ipſa quidem ferè eccleſia, ſancta omninò dici poſſet; quæ niſi ſancta ſit, ne catholica quidem, ſed ne apoſtolica quidem poſſe videretur appellari. Rectiſſimè enim vetus illa formula antiquitus eſt in eccleſia vſurpata. SANCTA SANCTIS. Nimirū vt qua in eccleſia vtrumq. id appareat, eā & ſanctā profectò, & catholicam, & apoſtolicam eſſe eccleſiam agnoſcamus: in qua autem non appareat, ibi veriſſimam quoq. eccleſiæ ipſius ſanctæ, catholicæ, apoſtolicæ effigiem non poſſe apparere intelligamus. Quamobrem ſi ita eſt, vt eſt, primùm, vt neque eccleſia à ſacramentis & ſacrificiis, neque ſacramenta rurſus & ſacrificia ab eccleſia ipſa ſeparari poſſe videantur. deinde, vt, vbi ea plena, integra, auguſta, habeantur, ibi integerrima, pleniſſima, auguſtiſſima eccleſia eſſe cenſenda ſit, ſequitur certè, vt quoties ſiue veram eccleſiam quærimus, quam amplectamur, ſiue falſam & adulterinam cognoſcere cupimus, quam fugiamus, ad ſacramenta ferè ſemper & ſacrificia vtrobique propoſita, reſpectum habeamus: & vbi hæc quidē, aut nulla, aut diminuta, aut indigne adeò accepta & tractata viderimus, ibi eccleſiæ nomen ſuſpectū habeamus: vbi contrà adeſſe illa, & cùm numero pleno, tum ſumma dignitate vigere, conſpexerimus, ibi ipſiſſimam, vt ita dicam, eccleſiam eſſe, omnemque eius dignitatem atq. principatum vigere, ne dubitemus. Quid reſtat igitur? Illud, mea quidem ſententia, vt videamus hoc loco iam nunc, & conſideremus vtrinque: hinc quidem, eccleſia illa vna, ſancta, catholica, apoſtolica, quam & noſtram, & veram eſſe eccleſiam oſtendimus, bibliis, patribus, conciliis, traditionibus

Sacramēta catholicor.

denique ipsis, quasi suis quibusdam parietibus circumscriptam: illinc autem rursus exaduerso, altera illa, neq. vna, vt leuissimè dicam, neque sancta, neque catholica, neque apostolica ecclesia, quam ipsam scripturis traditionibusq́. omnibus aduersariam esse docuimus; restat, inquam, vt videamus, quibus singulæ earum & qualibus sacramentis ac sacrificiis vtantur. Vt ne videlicet in vtrumque pedem amplius claudicemus: sed, si dominus ipse est Deus, sequamur eum, sin Baal, sequamur illum: nec amplius, vt ventis ita opinionibus circumferamur, delati, & quasi rapti tempestatibus, modò in hanc, modò in illam partem. Constat igitur, in nostra hac ecclesia, sacramentorū quidem & numerum esse plenissimum, & pondus existimationis grauissimum: sacrificium autem ipsum tam sublime esse, & tam excelsum in ea constitutum, vt ad eius excellentiæ prædicationem, nullæ nec hominum nec angelorum ipsorū linguæ satis sufficere posse videantur. Constat item, in illa aduersariorum synagoga, nullis planè fundamentis nixa, & nullis etiam legitimis parietibus circumsepta, nihil esse, nō modò ad comparationē nostræ in eo genere, sed ne ad speciem quidem ecclesiæ alicuius: vbi, nec omnia sacramenta planè numerare, nec vllum eorum non fœdissimè tractatum videre queas: ad sacrificium autem quæ pertineant, ea omnia ita abiecta deprehendas & contempta, vt hoc ipso, ipsi illi synagogarum illarū auctores, quasi de industria omnes ignominiarum maculas, quas synagogis suis aspergerēt, quibusq́. eas passim inuisas redderēt, quæsiuisse videantur. Longus sim, si singula hoc loco explicare coner: generibus modò ipsis rerum proponendis, hoc tempore contentus ero. Principiò igitur, quod ad catholicæ nostræ ecclesiæ sacramenta attinet, ea in vniuersum septem esse constituit, & eorum singula singularibus etiā honoribus prosequitur. Sic autem ea nominat. Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Ordinem sacrum, Matrimoni-

Sacramēta catholicor.

trimonium, Vnctionem extremam. Cur ſeptem numerat? Primùm id facit neceſſariò, deinde etiam aptè & conuenienter. Neceſſariò facit: totidem enim caſus, vt ſic dicam, & opportunitates quaſi quaſdã eſſe intelligit, quibus ſacramenta ipſa adminiſtrari neceſſe ſit. Cùm enim eorũ adminiſtrandorũ rationem, hominum ipſorũ cauſa eſſe inſtitutã meminerit, tum in numero ipſorũ inueſtigando, homines ipſos maxime intuetur; et quidem tum eos, quibus ea cõferri debeant, tũ per quos cõferri debeãt. Ex quarum conſiderationũ altera, Matrimonii extitit ſacramentũ; vt inde ſcilicet homines legitimè procreentur, in quos ſacramenta cõferantur: ex altera autem cõſideratione, Ordinis ſacramentũ eſt conſtitutum: quod collatum in homines ſacerdotes, idoneos eos facit, qui ipſi ſacramenta hominibus diſtribuant atque adminiſtrent. Atque ita iam habemus duo ſacramẽta, neceſſitate ipſa expreſſa, & in eccleſiã introducta. Ordinem primùm; ex quo ſacerdotes, qui ſacramenta diſtribuant. deinde Matrimonium; ex quo coniuges, ex quibus deinde genus ipſum mortalium, aptum percipiendis ſacramentis. Quibus duobus abſque eſſet, ſacramenta quidem aut diſtribui non poſſent, aut ſi poſſent, perperam diſtribuerentur. Etſi enim & homines ipſi, ex non matrimonio gigni vtcunque poſſent, quibus ſacramenta in eccleſia adminiſtrarentur: & iidem poſtea, nullo ſacri Ordinis ſacramento initiati, poſſent ſic ſubitò ſacramentorũ in eccleſia diſpenſatores quomodocunq. conſtitui: tamen quoniam eccleſia catholica, præter cætera, in his duobus ſacramẽtis interuenientia myſteria, connubiũ quidem Chriſtianorum honorabile eſſe in omnibus cum Paulo dicit, ac thorum ipſum immaculatum appellat: honorem autem in eccleſia vllum, neminẽ niſi vocatũ temere ſibi ſumere aut vſurpare patitur, iccirco hæc quoq. neceſſaria hominũ ſiue viuendi genera, ſiue in eccleſia miniſtrandi, voluit ſacramentorum appellatione conſecrare: vt & ipſa quidem dignitatis plus

Sacramēta catholicor.

haberent, & cæteris actionibus in ecclesia secuturis, tantò etiam maiorem dignitatem conciliarent. Habet hoc enim ecclesia sancta, vt ad nullam ferè vnquam actionem suam, quæ modò maioris momenti alicuius esse videatur, illotis, quod dicitur, manibus soleat accedere, nisi prius omnia actioni illi necessaria, legitimè & præparauerit, & si opus sit, expiauerit, atque adeò consecrauerit. Ex quo est illud, vt baptismo ipsi futuro, & oleum catechumenorum, & chrisma ipsum, multò ante consecret, & aquam ac salem consecratum adhibeat, & dæmonia exorcizari iubeat, & tum demum baptizet. Quam quidem ipsam rationem sequitur etiam in aliis eiusdemmodi rebus infinitis. Nam & ad ipsius quoq. Missæ sacrificium ritè atq. legitimè peragendum, quid est quod non faciat? aut quid est quod omittat? Templum consecrat. Parum est. Altare consecrat. Parum est. Vasa cōsecrat. Parum est. Indumenta consecrat. Parum est. Sacerdotem consecrat. Etiam parum est: nisi se idem ille sacerdos iamiam ad sacrificium peragendum accessurus, & precibus multis muniat, & confessione præterea ipsa atq. exomologesi delictorum suorū, tum priuata ipsa, priuatim, quantum satis est, expiet, tum publica etiam altera, in ipso iam sacrificii initio, maximè ad id quod agit, aptum atque idoneum reddat. Alioqui non rectè nec ordine sacrificatum, nec sacra illa non polluta prorsus ac violata esse duceret. Planè vt quemadmodum, honoris ipsius Iesu Christi causa, cui nihil neque in conceptu, neque in ortu ipso, labis originalis adhæsisse verè profitetur, à matris etiam ipsius satu ac conceptu, eandem hanc eiusdem peccati noxam atq. labem studet quàm maximè remouere: ita omnibus aliis in rebus, quas vnquā aggreditur, illud obnixè dat operam, vt singulis sensim ac paulatim, in ipsis iam tū eorum incunabulis, auctoritatem atque opinionem conciliet sanctitatis. Vix enim profectò quicquam esse videtur, quod repente existat purissimum & sanctis-

 Sacramenta catholicor.

sanctissimum, nisi antea gradibus veluti quibusdã, ad summæ illius & eximiæ puritatis atque sanctitatis opinionem conscenderit. Cùm igitur omnibus in rebus, eiusmodi ferè consuetudinem ecclesia nostra teneat, tum in ipsis quoque sacramentis constituendis, ab ea consuetudine non discedit, sed quinque ipsis sacramentis præcipuis, quæ mihi videntur ex totidem vulneribus Iesu Christi crucifixi, ad procurãdam hominum salutem profluxisse; cuius generis sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctio: duo illa, quæ modò diximus, Matrimonii & Ordinis sacramẽta præponere necessarium esse iudicauit: quibus homines initiati, alteri quidẽ distribuant, alteri autẽ illa, quæ dixi, percipiant sacramẽta. Sic enim facilè prouidet, vt ne sanctum ipsum canibus potius, contrà Christi præceptum, traditum, quàm aut sanctis præordinatis, ad distribuendum commissum, aut verò ex sancto, vt plurimùm, matrimonio procreatis, ad participandum concreditum esse videatur. His igitur duobus ad eum modũ rectè atque ordine constitutis, cùm quinque deinde genera esse perspiceret eorum hominum, qui sacramentis participaturi esse viderentur, quinque etiam sacramenta illa necessariò prioribus esse adiungenda existimauit. Quòd enim esse quosdam videret quasi modo genitos, qui videlicet mysteriis totius futuræ religionis suæ tunc primùm soleant initiari, ideo his, primum quoque sacrosancti baptismi sacramentum assignauit; quem esse primum quasi aditum omnibus voluit, ad religionem ipsam Christianam. Quòd autem alios rursus videret, quasi adolescentes in fide, & qui maturitatem iam veluti quandam religionis & fidei, animo consectarentur: iccirco deberi iis alterum sacramentum existimauit, quod Confirmationis appellauit. Atque ita deinceps, quòd alios initiatos iam & confirmatos, inque religione Christiana quasi adultiores factos, & deo iam consecratos, sæpenumero deinde, siue casibus, siue

imbecillitatibus humanis, in vitium labi, & primæ illius consecrationis suæ notam quasi obliterare cerneret: fecit sanè ipsorum causa, vt Pœnitentiæ præterea sacramentum tertium proponeret, contritionis, confessionis, satisfactionis partibus exaggeratum & perfectum. Itemque, quòd alios fore etiam prospiceret, atque adeò votis omnibus optaret, qui post lapsus illos superiores, ad maiora quædam, in sancta Christiana vita moliēda excitati, ad meliorem se deinde frugem essent per dei gratiam recepturi, quartum Eucharistiæ sacramentum, proprium ipsis & peculiare esse voluit: quo ipso non minus sæpe quàm ipso illo proximo pœnitētiæ sacramento, ad omnes opportunitates suas vterentur. Postremò autem, cùm illorum quoque hominum conditionem cum animo suo reputaret, qui perfuncti iam huius vitæ, & in hac vita ipsius religionis, statione ac munere, beatam iam tum illam beatorum animorum stationē, quæ est merces laborum, & honestè ac religiosè actæ vitæ, meditarentur; & à domino ipso ac imperatore suo ex hoc mundo paulò post ad percipiendam mercedem illam euocandi, in proximo iam, ad sedes illas beatas commigrandi gradu, esse viderentur positi ac constituti: tum verò quoniam maxima illis impedimenta, ad speratam illam & desideratam coronam consequendam instare intelligit, à carne, mundo, diabolo; ideo his ipsis, in extremo & periculosissimo actu illo versantibus, quintum Extremæ vnctionis sacramentū destinauit: extremum quasi omniū sacramentorū colophonem. Quæquidem quinque sacramenta prioribus illis duobus coniuncta sacramentis, septenario planè numero cōpræhendit, nō minus sancto quàm perfecto. Necessitatis in eo, vt dixi, secuta rationem: quam, notandis generibus hominum, sacramentis indigentiū, egregiè obseruauit. Nam conuenientiæ, quod iam dicendum est, illa est ratio, quòd ecclesia, hunc ipsum sacramentorū suorum numerum, ad numerum, non iam personarum, vti modo

Sacramenta catholicor.

modò ostendimus,sed potius rerum earum quæ sacramentorum vi atque beneficio, seu depelluntur, vt mala, siue, vt bona,conferuntur, & conuenire intelligebat,& quadrare omnino volebat. Pelluntur enim iis septem illa, omnis nequitiæ spiritualis capita mortifera. Superbia,auaritia,luxuria, ira, gula, inuidia, segnitia. Conferuntur autem totidem dona ac munera spiritus sancti, quæ Esaias quondam his nominibus videtur expresisse. Sapientiæ,intellectus,cōsilii, scientiæ, fortitudinis, pietatis, timoris domini. Quæquidem omnia, sacramentis, ceu quibusdam vasis atq. instrumentis certisimis delata, inuisibiliter in hominum animos, legitimè ad eam rem præparatos, illabuntur, & illapsa conseruantur. Atq. hic est quidem honos ille, omnium sacramentorum catholicorum communis, quòd nostrorũ quidem hominum sententia, omnia sacramenta, pro rata parte, vasa gratiæ dei & sint & appellentur: hoc autem est, quòd ipsa sua vi, & ratione quadam intima, nisi tu fortè impedias, & obicem aliquem de industria opponas; dei immortalis gratiam non conferre non posint, omnibus iis ad quos peruenerint. Quæ quidem etiam gratia eousq. valere dicitur,vt iugum domini,quod cæteris nationibus,extra communionem sacramentorum catholicorum positis, durum atq. asperũ & planè intolerabile esse videtur, nobis diuinorũ istorum sacramentorum participatione refectis, & leue redditur, & inprimis suaue: vt ita ad omnia mandata dei nostri implenda & pro officio nostro exhaurienda, non solùm scientia apti,nō solùm voluntate procliues efficiamur,sed etiam re ipsa expediti prorsus & parati,&, quod caput est, insignibus quibusdam diuinis auxiliis, fulti ac roborati. Verùm hi fructus quidem, omnium, vt dixi, sacramentorum sunt: illi singulorũ, qui presius paulò antè expositi, vberiorem etiā aliquanto explicationē hoc tempore desiderant. Cōstitutis igitur duobus illis,vt dixi,quasi præuiis quibusdam sacramentis, matrimonio dico sancto,

vt illi

Sacramēta catholicor.

vt illi etiam in ecclesia sancti essent, qui prolem sanctam atq. legitimam, percipiendis ecclesiæ sacramentis suppeditent: & ordine ipso sacro: vt ita ex sacratis quoq. viris desumãtur illi, qui futuri sint ministri Christi, & dispensatores mysteriorum atq. sacramentorum diuinorum. His igitur duobus ad eum modũ constitutis, quid facit ecclesia? Equidem dispensationem hanc mysteriorum istorum, à baptismo ipso sacrosancto auspicatur: quem summa cum plurimarum cærimoniarum dignitate atq. sanctitate, solenniter admodum administrat; quemque adeò omnibus in vniuersum, primum, vt dixi, aditum, & veluti ostium proponit, ad ingressum ecclesiæ dei præpotentis. Quid deinde? Deinde à baptismo, ad Confirmationis sacramentum progreditur; vt quorum mens purgata in baptismo à scelere, vacillat adhuc in fide, ea, virtute istius sacramenti roboretur, & quasi adolescere incipiat, ad dignam personæ & instituto suo vitam inchoandam. Tum autem quoniam ferè fit, vt dum adolescimus, in multos & varios vitæ casus atq. offensiones plerumq. incidamus, quibus à recto virtutis & honestatis cursu depulsi, & quasi ad periculosum aliquem vitæ scopulum illisi, ad naufragium faciendum deducimur, iccirco deinceps, salutare nobis pœnitentiæ sacramentum ab ecclesia proponitur; vt quicumq. post susceptum baptismi sacramentum, & tanquam post ingressum maris cuiusdam, in hac Christiana vita, turbulenti, & omnibus tempestatibus expositi, rectum atq. tutũ nauis ipsius cursum tenere non potuerunt, quominus sanctæ & honestæ vitæ naufragium paterentur: sicut sanè, in hac & naturæ nostræ tanquam nauis, imbecillitate; & in his mundi istius illecebris, quasi in maris ipsius pellacia, & syrenarum cantu; & deniq. in hac malignorum spirituum, quasi ventorum quorundam, aut Pyratarum sæuitia & furore, nemo est, qui non aliquando in eiusmodi periculum adducatur. Qui igitur tales sunt, iis ecclesia, hanc quam dico, pœniten-

 Sacramenta catholicor.

pœnitentiam sacramentalem, quasi alteram secundum baptismum tabulam, ex naufragio suppeditat; qua se miseri mortales vtcumq. sustentent, dum optatum salutis portũ cõsequantur. Videtur autem omnis pœnitentiæ istius salutaris vis & ratio, in ipsa potissimùm, de contractis criminibus venia obtinenda, posita esse & constituta. In eius enim vsurpatione, quod scimus, erratis quidem atque culpis nostris profitendis, magnopere nostri nosmet pudere, & pigere, & pœnitere necesse est: hunc autem ipsum dolorem atq. pudorem nostrum, quem tunc de præteritis delictis nostris, volentes suscipimus; grauem inprimis nobis, præter alia, monitorem & magistrum deinceps esse necesse est, etiam atq; etiam cauendi in posterũ, ac diligenter prouidendi, ne nos iterum atq. iterũ, eadem aut simili de causa, & suffundi pudore, & dolore angi necesse sit. Expressè enim illud & significanter admodum dictum fuisse à quodam memorant; cum ex eo, ætate iam prouecto, familiarium quidam quærerent, vteretúrne etiamtum rebus venereis? Diui meliora, inquit, Ego verò non iam ob metum diuini numinis tantùm, neq. ob terrores conscelerataæ cõscientiæ, quæ vereri piarum mentiũ est; neq. adeò ob honorem solùm cani istius capitis, & turpitudinem scelerum admissorum, sed vel ob pudorem saltem hominis sacerdotis, cui abditissima illa atque fœdissima animi mei vulnera detegere necesse habeo, libenter meipsum ab alienissimis istis ætati meæ flagitiis abstineo & subduco. Quî enim grauitatem illius admonitionis sacerdotalis sustineam, inquit, si me, commissa illa mea apud se confitentem, ita excipiat? Non te pudet silicernium, senem capularem, ad ineptias iterum redire iuueniles? & eiusdem rursus tyranni dominationi sponte colla subdere, ad cuius seruitutem tolerandam, ætas te iam ipsa magnopere præcipitata, reddidit inhabilem & ineptum? Multa in hac parte dici possent, quæ non solùm ad terrendas, & castigandas, sed etiam ad in-

Sacramẽta catholicor.

ſtruendas, & fouendas, & recreandas hominũ conſcientias, ex hoc ſacramento, tanquã ex fonte, videntur in eccleſia catholica proficiſci: quale eſt illud, cum per hãc huiusmodi pœnitentiæ ſacramentalis occaſionem, de multis, quæ ad vitam laudabiliter, & ſine repræhenſione degendam pertineant, inſtruimur & docemur: quale item, cum de plurimorum ſcelerum noſtrorum venia diuinitus obtenta, non minus ore ſacerdotis certiores reddimur, quàm ſi deum ipſum coràm, de gratia ſceleri noſtro propoſita, verba ad nos facientem audiamus. Sed & hæc nota ſunt iis, qui ſacramentorum catholicorum vſum habent, & omnino ad alia feſtinat etiam oratio ipſa noſtra. Poſteaquam igitur eccleſia, hoc eiuſmodi pœnitentiæ ceu quodam obſonio, hominem illa quaſi quadam peccati fame atq. inedia dudum enectum, ad quandam veluti cibi appetentiam ſatis excitauit, tum verò illi dulcem illum inprimis & optatum ac ſalutarem τῆς εὐχαριστίας panem proponit: ipſumque dolore illo pœnitentiæ ſanctæ fractum & penè confectũ, hoc ipſo ſacratiſsimo, & Ieſu Chriſto pleniſsimo reficit ſacramento. Quod quidem etiam ipſum tanto verborum honore proſequitur, vt, cum in eo panem duntaxat & vinum, quotidiana illa & egena elemẽta, hominum oculis vſurpanda obiiciat, diuina tamen inſtitutione informata, audeat veriſsimè dicere, populoque ipſi veriſsimè perſuadere, ſub illo tam panis quàm vini velamento aſpectabili, Chriſtum ipſum dominum, non ratione quidem aſpectabili, ſed & verè tamen, & integrè, & re ipſa, contineri; verè etiam & integrè, & re ipſa, ſub alterutra, ſiue panis, ſiue vini ſpecie, quod antea monuimus, totum populo diuidi ac diſpartiri. Quid hoc obſecro admirabilius? quid magnificẽtius? quid ægris mentibus leniendis & ſanãdis accommodatius? Ego enim tunc planè, dũ me de hoc pane, aut de hoc calice, participare ſentio, in cœlũ me mortalẽ ſubuectũ eſſe, & inter cœlicolas ipſos tranſlatũ, terrigenam accumbere exiſtimo; & quoties

Sacramenta catholicor.

& quoties me epulis illis sacrosanctis, hominem indignissimum interesse video, toties me diuorum atque angelorum omnium epulis interesse censeo. Ita me tum glorificare, & planè portare deum in corpore meo arbitror : & omninò ita me primitias quasi quasdã, illius immortalis futuræ vitæ, in hac præsenti mortali, non vita sed morte mea, delibare sentio. O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, " recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia & " futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluia, alleluia. Aestu- " at, æstuat mens mea, vel vnius huius sacramenti diuini lætitia incitata. Quo quidem vno freta, & plus etiã satis animata, victoriam se certissimam, de cunctis hæreticorum confictis & vmbratilibus sacramentis, certò consecuturã esse, abundè sibi pollicetur. Vt enim baptismi sacramento, pœnitentiæ sacramentum, ita sacramento confirmationis, ipsum eucharistiæ sacramentum è regione quodammodo respondet; hominemque ipsum in ipsa catholicæ religionis suæ statione, bene firmum ac bene stabilem constituit; & omninò ad omnia quantumuis ardua pro se aduersus alienos suscipienda, audentem & fortunatum facit : id quod multis sanctorum martyrum nostrorum testimoniis & exemplis luculenter est cõprobatum. Hoc magis, quòd neq. Pœnitentia ipsa sit vt Baptismus, neq. Eucharistia ipsa sit vt Confirmatio, quominus possint iterari: cũ vtraq. ad omnes & singulos lapsus nostros corrigendos & sanandos, ita videantur esse instituta, vt ipsis identidem, & quidem quàmsæpissime, vti necesse habeamus, si ad primam illius institutionis rationem, qua vtrumq. eorum in ecclesiam introductum ac receptum est, quàm proximè accedere, &, si de hostibus deniq. ipsis nostris victoriam referre cupiamus. His igitur ad eum modum ecclesia nostra perfuncta sacrosanctis sex sacramentorum muneribus, manum supremam quodammodo sustinet, eamque Extremæ ipsi vnctioni, in corporibus suorũ morbo debilitatis, reseruat; quam

deinde ex hac vita propemodũ exituris hominibus cõferat; eosq. ad certamen illud omnium terribiliũ maximè terribile, vi ipsa occulta sua corroboret & cõfirmet. Quod cum ita sit, equidem in his vniuersis sacramentis constituendis suis, ad eiusmodi mihi quandam rationem Ecclesia, omnia sua cõponere videtur, vt Baptismo ipso ante omnia constituto, quem, vt diximus, nihil ferè aliud esse voluit, quàm primum ipsum aditum ad religionem ipsam Christianam; reliquorum sanè sex sacramentorum suorum vsum, mirifica quadam ratione partiatur. Nam distributis in tria paria singulis sacramentis, primum sacramentorum suorum par, infirmis ipsis reseruat; & quidem infirmis, vel animo, quod appellauit Confirmationis sacramentũ: vel corpore, quod appellauit Extremæ vnctionis. Alterum rursus par, firmis planè hominibus attribuit & robustis: his quidem qui corpore firmi sunt, Matrimonium sanctum; firmis autem animo, Ordinem ipsum sacrũ. Reliquorũ porrò sacramentorũ par tertium, Pœnitentiæ, inquam, & Eucharistiæ sanctæ, id verò promiscuè inter hos pariter atq. illos cõmunicat, & omninò inter omnes diuidit ac dispensat, ad eum quidem modum, qui paulò antè expositus est nobis. Quid obsecro his rationibus ecclesiæ robustius? quid hac distributione illustrius? quid ad omnes vsus nostros accomodatius?

Cap. II.

Sacramenta hæreticorum.

Hæretici sacramenta diminuunt, & tantum ad duo contrahunt.
Hæretici matrimoniũ laudant, sed inter sacramenta nõ numerant.
Hæretici sacramenta sua diminuta etiam paruifaciunt.
In eucharistia corpus Christi non agnoscunt.
Baptismum indignißimè tractant.
Obiter contra calumniatores Eucharistiæ & baptismi Christiani.

Sed quid

 Sacramẽta hæreticor.


ED quid contra hæc hæreticorum synagoga? Primùm sacramenta ipsa, vt cuique eorum collibitum est, numero sensim deminuunt; eaque postremò ad dualem ferè, Romanis nõ magis in sermone quàm in sacramentis ignotum numerum restringunt, nec plura quàm Baptismum ferè, & Cœnam, vt appellant, domini, in sacramentis numerant. In quo ipso multa sunt quæ mirer; in his autem illud vel maxime, quòd, cùm negent reliqua, hæc ipsa duo tamen, sacramentorum nomine dignari dignentur; cùm de eo ne verbum quidem in scriptura, à qua ipsi nunquam se recedere profitentur, reperiant. Tum autẽ quis non miretur illud quoque, hunc ipsum etiã lapidem ab istis loco suo motum esse, qui à multo tempore, satis firmis in ecclesia fundamentis niti videbatur. Quid enim? idné agitur, quæso, vt eorum nobis suffragiis, ad constituendum sacramentorum ecclesiæ numerum, magnopere sit opus? vt ea isti nobis quasi vendidisse videantur, quæ pro sacramentis admiserint? Aut verò, eáne sunt tẽpora, vt quasi de re integra, sic de sacramentorum numero constituendo, deliberandi etiamnum sit locus? de quo iampridẽ sanctorum conciliorum decreta intercesserũt. Hæc, inquam, cùm ita de omnibus sacramentis ab istis dicta, mirari planè necesse sit, tum verò de Matrimonio sanè ipso quod dicunt, tunc cùm illud in sacramentis esse negant, id verò eiusmodi est, vt sine admiratione, non modò ab iis dici, sed ne à nobis quidem audiri posse iudicem. Cùm enim ipsi aliàs Matrimonium hoc ipsum, magna passim vocis & clamoris cõtentione in vulgus dilaudẽt, & cùm in singulis propemodũ hominibus, in sacerdotibus etiam ipsis, non sine contentione quadam vrgeant, cunctosque ad illud, non iam dico inuitent, sed tantùm nõ adigant: hæc, inquam, omninò cùm in hoc matrimonii sacramẽto faciant, & tamen ipsum hoc

ſacramētum eſſe negent, non mihi iam certè quidem incōſtanter ſolùm, ſed etiam admodum inſipienter, & quod dixi, etiā mirabiliter quodammodo facere videntur. Ita, vt ſi fortè cæteris hominibus, idē de reliquis omnibus ſacramētis facere integrū ſit, iſtos id tamē, de eo ſacramento vel cogitare ſaltem, in quo ipſi, cùm multorū aliorū decreta fauoris pleniſſima interceſſiſſe, tum ſua quoque ipſorum ſtudia aliàs, mirificè enituiſſe, intelligant; id verò omni profectò admiratione digniſſimum eſſe videatur. Quod quidem etiam hoc mihi ab iſtis fieri videtur inſcitius, quòd à Paulo quoq. Apoſtolo, cuius ſe ipſi germanos æmulos atq. imitatores haberi volunt, hoc ipſum, de quo loquimur, Matrimoniū, non ſacramentum modò, ſed magnum omninò & inſigne ſacramentum, in Chriſto & in eccleſia, haberi non ignorant. Niſi ſi fortè ne Paulum iam quidem magnopere vereri videantur, quominus ſacramentorum ipſorū numerum, magna, vt diximus, ratione ab eccleſia traditum, hoc ipſo eximendo Matrimonii ſacramento imminuant, quod ab Apoſtolo illo agnitum, & ſacramenti appellatione tam apertè honeſtatum eſſe intelligunt. Sed ſit leue, imminuere. Quid? illa ipſa tam imminuta, & ex ſeptenario numero ad dualem redacta ſacramenta ſua, putáſne magnifaciunt? Minimè certè quidem. Imò verò de gradu planè, eius, quæ ipſis debebatur, dignitatis deiiciunt, & ad terram quaſi affligunt. Nam cùm duo duntaxat, vt diximus, ſacramenta ferè numerent, tum Baptiſmum quidem, primùm infantibus ipſis inutilem, deinde cæteris quoque parum neceſſarium, & neque tollendo funditus ſceleri, neque diuinæ conferendæ gratiæ, efficacem eſſe aiunt. Ipſam autem eucharistiam, quam nos veriſſimi corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti ſacramentum dicimus, ipſi non niſi ſignum ac figuram quandam Chriſti corporis & ſanguinis eſſe aiunt; quæ ſi etiam adoretur, ſtatim in ipſa illa adoratione, nefarium idololatriæ crimen committi, impiè vociferantur. Quibus ego

Sacramēta hæreticor.

vtriſq. ſanè de rebus dum cogito, quanquam, ſi in alteram partem peccandum fuit, augeri potius ipſum remediorum numerum, quàm vlla ex parte diminui maluiſſem; non modò quòd pluribus remediis propoſitis, minus mali ex damnis ipſis ſentiretur, ſed etiam quòd bonitatem omninò quandam naturæ atque ingenii redolere videretur, mala quidem quàmmaximè fieri poſſet, reſtringere, commoda autem ipſa humani generis, diuinitus præſertim inuenta, nobiſque liberaliſſime attributa, quàmmaximè exaugere; tamen cùm præterea conſidero, non numero ea tantùm ab iſtis diminui, verùm etiam, quod peius eſt, vi, fructu, dignitate, atque adeò efficacitate omni ſpoliari, & nuda penè ſigna relinqui, equidem fieri non poteſt, quin multò magis, ad hanc tantam, eorum qui id faciunt, maleuolentiam, eorum qui approbant & recipiunt, amentiam & ſtupiditatẽ cohorreſcam. Nec verò ego tantum, ſed etiam, vt puto, quiſquis tandem fuerit, qui modò hæc ſecum rectè conſideret & expẽdat. Nam, vt principiò pro Euchariſtia aliquid loquamur; quis non miretur, quæſo, aut verò etiam quis æquo animo patiatur, Chriſtum quidem ipſum dei filium, hoc quod porrigit, corpus eſſe ſuum, palàm atque apertè profiteri; homuncionem autem ex aduerſo neſcio quem aſſerere, ſignum modò eſſe & figuram eius ipſius corporis, atque adeò ne ſignum iam quidem aut figuram, ſed nonnihil duntaxat, id autem eſt, tantùm non nihil: & non ad aliud ferè quicquam conducibile, quàm ad homines in idololatriam impellendos. O audaciam, imouerò ô ſcelus & nequitiam. Deinde autẽ, quod ad baptiſmi ſacramẽtum attinet, quis ferat, quæſo, cùm circũciſio quidẽ Iudaica, magis etiã propemodum ad infantes, quàm ad adultos pertinuerit, omneſque, qui modò ea inſigniti fuiſſent, in numerum populi dei retulerit, baptiſmum noſtrum, ita infra ipſius conditionem abiici, vt neque ad infantes pertineat, & cæteris præterea nullam inſignem vtilitatem pariat? Quis hæc ſe-

Sacramẽta hæreticor.

hæc ferat, aut quis patiatur? Atqui de his vtrisque sacramentis Antecclesiani nostri vtrumque non solùm ferunt, sed primi ipsi in vulgus spargunt atque disseminant. Quid tum? inquies. Permultum sanè quidem. Esse enim homines, qui Christo deo exaduersò respondere, & quasi conuitium ingerere non vereantur, impudentiæ est non ferendæ: quæ in nostris istis mirificè appareat. Hoc est corpus meũ. Hoc non est corpus tuum. Et item. Esse, qui homines Deo æquiparare, atque adeò, qui hominum ipsa malefacta, Dei ipsius benefactis anteponere, & in suo quidem genere potentiora facere non dubitent, id verò extremæ, vt opinor, ac deploratæ stultitiæ est. Quam sanè obscurè non ferunt ii, qui in prima quidem hominis generatione scelus contrahi, in diuina ipsa regeneratione nullã penè gratiam tribui cauillãtur. Adam igitur, istorum sententia, modico suo fermento, totam generis nostri massam penitus corrumpet; & non multò magis Christus, copiosa admodum sua redemptione, corruptionem hanc restituet, & reipsa reparabit? Dant manus, & quod volumus fatentur; sed quærunt fortassis, quid baptismo cum redemptione Christiana? Dicam igitur, si fortè audire sustineant. Equidem, sicut mortes scriptura duas memorat, primam & secundam, ita etiam, qui mortes vtrasque antecedunt, ortus duos memorat, primum & secundum: & sicut à primo ipso ortu nostro, in quo inest quasi contagio & hæreditas quædam paterni criminis, quod per Adam, primum omnium nostrum progenitorem & parentem perpetratum, in omnes eius posteros est diffusum, eadem hæc scriptura, reos nos apud dei tribunal constituit; (clamat enim Paulus, nascendo nos fieri iræ filios;) ita rursus ortũ secundum, & quandam, vt ita dicam, renascentiã, quæ quidẽ diuinitus fiat, proponit nobis; per quam, veluti per canalem quendam, beneficium liberationis, à contagione illa paterni criminis, per Christum partæ, ad nos debeat permanare. Sic enim ait Christus. Nisi

quis rena-

Sacramēta hæretic.

quis renatus fuerit, non intrabit in regnum Dei. Quid autē addit Paulus? Quid? Illud scilicet, Vbi abundauit delictū, ibi magis atque magis exundauisse gratiam. Sequitur igitur, primùm, vt, cùm Adam infantes etiam ipsos scelere suo infecerit, multò magis Christus eosdem quoq. liberauerit, & ex reis exemerit; deinde, vt cùm Adam re ipsa maculam nobis omnibus insignem asperserit, Christus eandem multò magis re verissima, in omni perfectionis excellentia eluerit, totamque ita sustulerit, vt nos prorsus in Dei ipsius oculis puros ac putos reddiderit. At qua ratione? gratuita nimirum communicatione obedientiæ, iustitiæ, innocentiæque suæ. Quomodo autem ea ad nos peruenit? Docui. Per canalem renascentiæ. Quæ verò est hæc renascentia? Hanc quidem tanquam extento digito commonstrat Christus idem, ita planè apud Ioannem, eodem illo loco, quem suprà cœpi recitare, inquiens. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Potuítne baptismum melius, non dico adumbrare, sed exprimere? Cui ipsi baptismo quantum D. Paulus tribuat, vel vno interim illo ex loco æstimemus licet; cùm inquit. Omnes quicumq. baptizati essent, Christum induisse. Patet igitur, quod cogere volumus, baptismū non minus infantibus, quàm cæteris omnibus esse propositum: hoc primum. Deinde verò patet; in omnibus, quicumque abluti eo fuerint, maximam habere, non solùm ad tollendum peccatum, sed etiam ad iustitiam Christi largissimè communicandam, efficacitatem. Contrà verò (vt tandem vnde digressa est, eò reuertatur oratio) patet etiam, & meritum quidē Iesu Christi, quod latissimè patêre debuit, nimis in angustum ab iis redigi, qui sacramētorum tum numerum diminuunt, tum eleuant dignitatem; & propterea etiam ecclesiam istorum, qui dogma tam spurcum & immane defendūt ac tuentur, maximè deformatam videri, ac prorsus infra omnem synagogæ Iudæorum conditionem relinqui.

CAP. III.

Sacrificium hæreticorum nullum.

Altera tecti pars, in eodem ædificio ecclesiastico, sunt sacrificia.
Vt sacerdotem, ita sacrificium hæretici ipsi habent nullum.
Sacrificium autem catholicum omnibus viribus oppugnant.
Pœna pro sacrificio sublato.
Quàm longè absint hæretici nostri à religione auita.
Hæretici prodromi Antichristi.
Hæretici vitandi, vtpote apud quos nihil est sancti.



ED hoc ferè leuius. Quid enim aut tã humile est, quod abiectissimæ isti synagogæ non conueniat? aut tam probrosum, quod non iustissimè in illam possit contorqueri? quæ nihil in scelere mediocre cogitat, nihil molitur, quod non sit

breuibus Gyaris & carcere dignum?

Quid igitur addit præterea hæreticorum ista synagoga, ad illa, quæ dixi, tetra atq. impia? O cœcam furiosorum hominum vesaniam, ô vecordiam deplorandam. Propitii dei signa semper esse pii homines sunt arbitrati, sacerdotem & sacrificium ipsum; auersi contrà & irati plusquàm manifesta indicia, vastitatem altarium, & sacerdotii pariter ac sacrificii interitum & occasum. His enim rebus sanè maximis multatos esse olim, pro maximis eorum sceleribus meminerunt, ipsos dei contemptores. Quod igitur, si fortè, quod absit, per aliquam Dei inclementiam accideret, omnibus esset eiulatibus ac lamentis sempiternis prosequendũ, hoc ipsum est, in quo nequissimi homines isti magnificè se efferunt, & ex quo laudem scilicet ac commendationem synagogarum suarum primariam aucupantur. Quòd enim sacerdotis

Sacrificiũ hæreticor.

cerdotis & ſacrificii ipſa etiam vocabula procul à conciliabulis ſuis eiecerint, proſcripſerint, exterminarint, ex eo omnibus honoribus digniſſimos ſe eſſe arbitrantur: cùm ſe propterea ſempiternorum opprobriorum affines, & diuinis pariter atq. humanis ſuppliciis maximè obnoxios eſſe, exiſtimare debuiſſent. Sed ipſi tamẽ & ſacerdotem, vt dixi, contemnunt, & ſacrificium ipſum: & quanquam appellationibus illis ludunt interdum magis quàm reuera vtũtur, neutrum tamen ex animo agnoſcunt, vtrumque potius ſic oderunt, & vtrumque ita auerſantur, vt neque rem tandẽ, neque nomen propemodum ipſum, in ſuis illis conuenticulis extare patiantur: vſque adeò quidem, vt illos quoque vulgatiſſimos vitulos labiorum, & illud ipſum communiſſimum ſacrificium laudis, quod verbo adhuc vtcumque retinuerunt, non maximi, ſi modò in emptorem inciderint, videantur eſſe vendituri. Quare cum genus penè vniuerſum ipſum ſacrificii tantopere exoſum habeant, vt ne rationem quidem vllam recõciliandæ cum illo gratiæ admittere videantur, non eſt mirum, ſi noſtrum illud eccleſiæ catholicæ tremendum, & modis omnibus adorandum ſacrificium, atque hoſtiam immaculatam corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti Dei noſtri, non modò non recipiant, ſed etiam omnibus machinis oppugnent; omnibus & neruorum contentionibus, & animorum acerbitatibus inuadãt; & quantum in ipſis eſt, omnibus viribus labefactent ac euertant. Itaque quod nulla ferè hactenus impietas, nulla ferè quantumuis hæretica hæreſis auſa fuit, id noſtra iſta inſana ac temulenta, facere non dubitauit, vt diceret, oblationẽ illam mundam, atq. ſacrificiũ eccleſiæ ſanctum, rem eſſe rerum omnium profaniſſimarum profaniſſimam: imò rem eſſe deo ipſi Opt. & Max. (Audíſne hæc Chriſte fili dei viui, ad dexteram patris in cœleſtibus collocate?) maximè deteſtabilem & inuiſam. Quam ad eorum vocem ſanè execrandã, & omnibus ſuppliciis digniſſimam, terra mihi ipſa

Sacrificiũ hæreticor.

tremere, flumina etiam ad fontes relabi, sydera denique ipsa auerso vultu retro commeare, & apertissima significatione, tantum scelus palàm detestari videntur. Sed gratia sit Deo meo æterno & immortali, ante cuius conspectum flecto supplex genua mẽtis meæ, quòd diuino ipsius nutu atq. imperio iustissimo factum sit, vt perditi isti & nefarii homines, illam præsentem, & simul in ipso illo scelere suo delitescentem pœnam, necessariò sustineant, &, vt Apostolus loquitur, mercedem erroris sui in se recipiant, quòd, dum vanitatẽ hanc orationis impiæ de industria in vulgus spargere non dubitant, illam etiam manifestam admodum veritatem, eodem tempore, nolentes profiteri coguntur, suas illas non minus perditas, quàm perdentes synagogas ac coitiones, quæ & sacerdote carent, & sacrificio, ecclesiam neque esse posse vlla ratione, neque appellari. Ecquis igitur earum consortium appetat, quæ & vltrò quidem tam apertè eclesiæ nomen à se abdicant, & in rebus pessimis exultãt, & quod præterea vna illa, sancta, catholica, & apostolica ecclesia sanctissimum hactenus duxit, omniq. veneratione coluit, quod patres nostri, iam inde post susceptam semel religionem Christianam supplices semper & proni adorauerunt, cui cereos incenderunt, cui thus adoleuerunt, cui flores sparserunt, cui cymbala percusserunt, & quod omnibus denique diuinis honoribus sunt prosecuti, id idolum, id abominationem, id detestabile & execrandum vocent. Possumúsne, quæso, arcem perditorum istorum hominum fortius inuadere? Possumúsne, cum degeneres ipsorum animos, tum summam eorundem impietatem, singulari atq. perpetuæ maiorum nostrorum pietati, quasi exaduersò oppositam & obiectam, magis etiam in conspectu totius orbis terrarum statuere? possumúsne ipsos illos, à deo prorsus & à religione esse alienos, vel potius deo & religioni esse contrarios, luculentius conuincere, quàm cũ ostendimus, ita esse omnem eorum rationem, in rebus ad religionis & cerimo-

 Sacrificiũ hæreticor.

cerimoniarum ſanctitatem pertinentibus, commutatam, vel potius ita miſerabiliter perturbatam & peruerſam, & planè aliam factam, vt, quod olim à mille & quingentis amplius annis, maioribus illis noſtris, hominibus Chriſtianis, pientiſſimis, & ad ſanctitatem ac religionem natis, fuerit in eccleſia quammaximè ſacroſanctum, & maximis quibusque cerimoniis cultum, id iſti potiſſimùm, per ſummũ paternæ & auitæ religionis Chriſtianæ contemptum, acerbiſſimè inuadant, in id omnibus verborũ contumeliis irruant, id pedibus planè ſacrilegis conculcent, & quod maximè auerſos illorum ab omni penitus religione animos coarguit, id non iam vile & abiectum, non commune & vulgatum, non nullum aut inane eſſe dicant, quod tamen ne ab extrema quidem improbitate prolatum ferri potuiſſet, non hoc, inquam, ſed (prò nefas & ſummũ ſeculi noſtri dedecus atque opprobrium ſempiternũ) rem eſſe prorſus execrandam, ſtatuant nequiſſimi homines & decernant. Quo vno nihil hic ſol vidit tetrius, nihil hic orbis audiuit in Chriſtum contumelioſius. Hæccine ſunt autem obſecro, initia aduentantis Antichriſti, an nondum etiam ne hæc quidem? Et. Hínc ſunt iam, an verò alios expectamus, prodromos & præcurſores hominis illius ſcelerati, filii nequam? illius, inquam, perditionis filii Antichriſti, quem Daniel olim ſummis eſſe viribus hoc ſacrificium oppugnaturum prænunciauit nobis: & poſt eum, Paulus etiam Apoſtolus, illis quaſi certiſſimis notis circumſcripſit, quòd ſe ita aduerſum atque contrarium ferre, & planè opponere debeat, non ſolùm deo ipſi, ſed etiã dei ipſius appellationi, & quicquid denique eſſe viderit in aliquo hominum cultu & veneratione, vt non modò Deum eſſe nolit, ſed nomen etiã & memoriam Dei, ſi fieri poſſit, abolere atque extinguere cupiat; atque adeò vt ne coli quidem quicquam patiatur, ſe excepto. Sed quid ego iſtos Antichriſti præcones & anteſignanos appello, cùm ipſi illi, non ſolùm apertè fatean-

 tur, ſed

tur, ſed etiam planè glorientur, diaboli ſe eſſe emiſſarios, ad hoc ipſum Miſſæ ſacrificium euertendum. Longa eſt hiſtoria Luteri hominis ingenui, in eo libro, quem ſcribit de Miſſa priuata, in qua oſtendit palàm, ſe ex longiſſimo illo diaboli ipſius per noctem intempeſtam colloquio didiciſſe, ſacrificium Miſſæ in eccleſia catholica, meram abominationem & idololatriam eſſe. Et nec pudet nec piget hominem ingenuum eiuſmodi auctoritatis, quæ eſſet meritò bonis omnibus ſummopere defugienda. Eſt liber ipſe Luteri in medio, à Iuſto Iona ante annos propè quinquaginta ex Germanico conuerſus. Eum legat qui hæc volet penitius cognoſcere. Tu verò nate deo quisquis es, fuge obſecro hos eiuſmodi non tam homines, quàm peſtes atque pernicies hominum. Recedite ab iſtis, quæſo Chriſtiani mei, recedite; exite inde, exite inde; pollutum nolite tangere, pollutum nolite tangere. Exite de medio eorum, mundamini qui fertis vaſa domini, Vel potius vos ipſi diſcedite à nobis in vltimas terras, non homines, ſed monſtra atque portenta diaboli, faceſſite ab eccleſia ſacrorum omnium euerſores, abite hinc cœlo inuiſa nomina

procul ô procul eſte prophani.

Quid eſt enim apud vos quod commendatione ſaltem vlla dignum eſſe videatur? quid non potius pollutum? quid non profanum? quid vel nomine ipſo ſacrum? parum dico, quid non potius ſpurcum? quid nõ tetrum & immane? qui vetera quidem illa, quæ antiquitus ſacra in eccleſiis habebantur, ſemel omnia aut re violaſtis, euertiſtis, ſuſtuliſtis, aut certè inſaniſſimis decretis veſtris condemnaſtis, ac de priſtino atque legitimo dignitatis gradu deiecta, in ordinem cóègiſtis, atq. adeò contaminauiſtis: in eorum autem locum, nec aliunde quicquam, quod vſpiam ſacrum eſſet, aſciuiſtis, nec ipſi denique per vos ipſos eiuſmodi aliquid aut inueniſtis, aut ſaltem quæſiuiſtis, quod in honorem & venerationem vllam adduceretis; ſed cùm omnia in

vniuer-

Sacrificiũ catholicor.

vniuersum confudissetis, in totius profectò religionis vestræ ratione, non modò sacri & profani discrimen nullum reliquistis, sed etiam sacrum in profanum, imò sacrosanctum in maxime execrandum, per vestrum inauditum furorem atque insaniam, conuertistis; & denique in ipsis vestris cœtibus ac conciliis, nihil præter execrationem atque anathema retinuistis. Eheu prisca fides.

CAP. IIII.

Sacrificium catholicorum.

Et sacrificium, & sacrificii dignitatem tuentur catholici.
De oblatione catholica cuiusmodi sit.
Quantum & quale sit sacrificium in ecclesia catholica.



Væ est autem eratque semper, priscæ huius fidei, de catholico sacrificio sententia? Non abutar exordiis minimè necessariis, rem ipsam exponam. Principiò dicunt nostri, & idem dixerũt semper, qui ante nos fuerunt, nostri. Quid dixerunt? aut quid dicunt? Duo & dicunt & dixerunt. Vnum. Sacrificium in ecclesia omninò retinendum esse. Id adeò contra hæreticorum sententiam, qui ecclesiam sacrificio quasi multare videntur. Facit autem hoc ecclesia eo consilio, ne videlicet ipsa sacrificio non retento, peiore etiam conditione remaneat, quàm fuerint vnquam adumbratæ illæ atq. adeò execratæ religiones, vel potius superstitiones omnes; quæ sine sacrificio tamen non fuerunt. Nam & adumbratarum quidem ecclesiarum illarum, quæ legibus gubernabantur, siue naturæ ipsius, in animis hominum impresśis, siue adeò scriptis ipsis & in tabulis Mosaicis consignatis, sacrificia extitiśse memorantur: & inter impios, atq. à veri dei religione auersos

homines

Sacrificiũ catholicor.

homines,imolatum nihilominus fuisse dæmoniis,legimus in scripturis sanctis. Quod igitur per speciem in ecclesiis adumbratis,per æmulationem quandam in ecclesiis ethnicorum & profanorum, studiosè admodum est obseruatũ, vt sine sacrificio nõ essent,id certè multò magis,in ipsa verissima & sanctissima Iesu Christi ecclesia,meritò obseruari dicunt oportere , vt sacrificium retineatur. Hoc primũ. Alterum est quod dicunt , quodq́ue etiam ipsum dixerunt semper nostri. Retento nimirum sacrificio in genere , pro forma deinde & specie , ac certa quadam notione sacrificii ipsius , nõ vulgarem aliquam rem , sed quammaximè eximiam deligendam ac statuendam esse : imò potius,quæ res diuinitus semel iam delecta,& pro sacrificio in ecclesia catholica,cõstituta est,eam omninò esse retinendam. Præclarè. Quo enim dignius,quo sanctius, quo deo ipsi acceptius sacrificium in ecclesia extiterit , hoc & mater ipsa ecclesia dignior , & filiorum ipsius spes,de votis ac precibus exaudiendis suis,certior ac firmior est futura; cùm se obsidem quasi quendam præsentem habere senserint , præsentis cuiusdam beneuolentiæ & gratiæ diuinæ,quæ & iacentia ac languentia eorum desideria excitet, & ardentes iam atque erectas in deum spes , ratas etiam esse iubeat , & vitã deniq. iam nunc cœlestem illam,in hoc corpore faciat eos meditari. Quid autem in hoc genere dignius , quid sanctius , quid denique aut nobis ipsis ad firmandas spes nostras cautius, aut Deo ipsi acceptius, atq. in diuino eius conspectu preciosius,vel esse,vel etiam fingi atq. excogitari potuit , corpore ac sanguine filii eius ? ipso dico dei filio, carne nostra infirmissima vestito , & cruci infami pro sceleribus nostris affixo ? quem vti semel , in ignominiosa cruce illa , proposuit deus sacrificium,& sicut loquitur Apostolus,propitiationem pro peccatis nostris , nec pro nostris tantum , sed etiam pro totius mundi (hoc autem est,vt ego quidem sentio,pro peccatis omnium & natorum & nasciturorum,

& tam

Sacrificiū catholicor.

& tam viuorum ipsorū, quàm etiam vita hac mortali perfunctorum, fructum tamen adhuc propitiationis illius in certa aliqua vitæ illius immortalis sorte ac conditione expectantium hominum) ita & nunc quidem, eundem hunc ipsum, in hoc ipso catholico & quotidiano missæ sacrificio, sacrificium & propitiationem esse statuit, & in perpetuum eodem planè loco, pro iugi sacrificio & propitiatione esse volet, donec ipse veniat, iudicaturus viuos & mortuos, in ipso iam extremo fine sæculorum. Ipse igitur dei filius, ex catholicæ ecclesiæ sententia, & sacerdos est, ac placator quasi quidam iræ dei, qui offert; & sacrificium est propitiatorium, quod offertur pro peccatis ac sceleribus nostris, sanctificans ecclesiam ipsam, tum sui participatione, in sacra ipsa communione corporis & sanguinis sui, sub speciebus panis & vini; tū oblatione ipsa patri deo, in hoc diuino sacrosancti sacrificii mysterio, quo de agimus. Qua quidē oblatione eiusmodi, munda, vt loquitur propheta, & incruenta, ita imolatur, & ita incruento quodā modo, mactatur, vt sic dicam, pro sacrificio dei filius, vt hoc ipso etiam ecclesiam ipsam reddat planè mactā, id autem est, maximè auctam, & omni bonorum genere cumulatam; non dico, præ synagoga hæreticorum, hoc enim dubitationem profectò non habet, sed etiam planè præ seipsa; præ illa dico, quæ futura fuisset, si eiusmodi sacrificio caruisset. Quod quidem omninò ita esse, luculentissime apparebit, si modò omnia, quæ sunt & habentur in ipsa sacrosancta, cū hoc vno sacratissimo sacrificio conferantur. Nimirum sancta est & augusta ecclesia ipsa: atqui sanctius multò est in ea sacrificium; quo ipsa quoq. illa sanctificatur, atq. adeò omni genere sanctitatis etiam atq. etiam exaggerata indies cumulatur. Sancta sunt in ecclesia & augusta sacramenta: atqui sacrificium, hoc ipso superat sacramentorum sanctitatem, quòd hæc quidem hominum potissimùm causa esse videantur instituta, sacrificiū autem cultus sit propriè

diuino ipſi numini debitus ac deſtinatus; quem quidem dũ pro officio ac munere ſuo, eccleſia ipſa deo exhibet, infinitis certè ſanctitatibus & creſcit & augetur. Sancti denique nos ipſi ſumus, qui ſancto eccleſiæ ipſius gremio cõtinemur: atqui omnis omnium noſtrum ſanctitas ex merito promanat Chriſti dei noſtri, quod ipſum maximè eluxit in cruciatu & morte eius, obita pro nobis & pro peccatis noſtris; cuius mortis viuam quandã & maximè expreſſam effigiem, eccleſia, hoc ipſo diuino ſacrificio repræſentat & deo & nobis. Deo quidem, vt eum placatũ ſuis reddat; nobis autem, vt ita & annunciemus mortem domini, & memoriã eius aſſiduè conſeruemus, atq. hoc ipſo macti planè virtute efficiamur. Ex quibus ſanè rebus omnibus abunde intelligi licet, quantis ſanctitatibus eccleſia noſtra ex poſſeſſione, vt ſic dicam, huius vnius ſacrificii ſanctiſſimi ſit cumulata. De cuius quidem ſacrificii ſanctitate mirifica, diligentius dum cogito, in eam ſanè ſententiam deuenio: tantam eſſe dignitatem & ſanctitatem ipſius, vt, quod mihi hoc loco planè Latine dicendum eſſe ſentio, non niſi ab hominibus prorſus inſanis contemni vllo modo poſſe videatur. Quod ego quidem tanto dico audentius, quanto magis hoc ipſum video eſſe diligenter à Chriſoſtomo ipſo adnotatum. Planè enim cum omnia collegerimus, quæ ad firmandam veriſſimi ſacrificii excellentiam & dignitatem videntur quomodocumq. pertinere; tum aut id demum ſanctiſſimum prorſus & veriſſimum eſſe eccleſiæ ſanctæ ſacrificiũ ſtatuere neceſſe habebimus, aut verò nullum aliud dicemus ſacrificiũ, neq. rei ipſi aptius, neq. rationibus eccleſiæ accommodatius, neq. diuina etiã erga nos beneficentia dignius, non dico à noſtro, aut ab iſtorũ mediocri ingenio præditorum homuntionũ, ſed ne ab vllo quidem mortali, aut alioqui facto & creato ingenio, ſiue potuiſſe antea, ſiue nunc etiã, & deinceps in perpetuũ, proponi poſſe aut inueniri. Nihil enim ne fingi quidem, ac ne optari qui-

dem po-

 Sacrificiũ catholicor.

dē poteſt hoc eiuſmodi ſacrificio excellentius. Quod cùm ita ſit, patet opinor, & auguſtiſſimũ eſſe hoc ſacrificium, & tum eccleſia ipſa digniſſimũ, tum verò diuino ipſi numini placando, ac propitio reddendo, longè accommodatiſſimũ; tremendum etiam, & omni ſemper veneratione proſequendum. Patet denique, maxima cum ratione facere eccleſiam ſanctam, vt eo ſacrificio, quotidie perfungatur, tum ad repræſentandam noſtris oculis memoriam ipſam acerbiſſimorum illorum cruciatuũ ac dolorum Ieſu Chriſti, pro ſalute noſtra perpeſſorum, tum verò ad admouendum propius quodammodo, & noſtris mentibus infundendum, atque adeo obſignandum fructum illum obitæ pro nobis atq. oppetitæ mortis eius, ex qua ſola hauſtum ac depromptum eſt, quicquid eſt in ipſo eccleſiæ ſacrificio ſanctum atq. ſalutare. Supereſt igitur, vt cùm de fundamentis & parietibus, & ipſo quoque tecto eccleſiæ ipſius ſacroſanctæ hactenus vtcumque diſſeruerimus, deinceps etiã de paucis reliquis, quæ intra ædificium eiuſmodi, pro inteſtino quaſi quodam opere poſita ſunt & collocata, prout quodque eorum ſcilicet in mentem venerit, diſſeramus. Neq. enim ea eiuſmodi ſunt, quæ in hac ipſa deliberatione rectè omitti poſſe videantur.

PATRICII NIDECICI

DE ECCLESIA VERA ET FALSA.

LIBER IIII.

Qui est de opere intestino ædificii ecclesiastici.

CAP. I.

Ordo proprius ecclesiæ catholicæ. Confusio synagogarum hæreticarum.

Intestinum opus ædificii ecclesiastici in ordine ipso consistit.
Ordo facit ecclesiam inuiolatam & inuictam.
Locus Canticor. de terribili ecclesia ordinata.
Ordo ecclesiæ in tribus situs esse videtur, in personis, rebus, tẽporibus.
Ordo quo ad personas, triplex est.
Quorum primus est, habere primum.
Quo quidem in loco apud nos est Pont. Romanus.
Hæretici non habent primum.
Non, ne Christum ipsum quidem.
Locus Pauli. Ascendens in altum dedit dona hominibus.
Petro & primo & soli, commissus vniuersus grex dominicus.
Hæretici Petrum demonstrare apud se non possunt.
Non, ne Luterum ipsum quidem.
Secundus ordo ecclesiæ quoad personas, est ille, qui continet sacerdotes & initiatos & missos.
Hæretici carent eo ordine.
Tertius ordo ecclesiæ, ratione personarum, est, non perturbari officia singulorum.
Quo ipso ordine hæretici destituuntur.
Locus Iacobi. Ne velimus plures magistri fieri.

Ordo catholicor.
Confusio hæreticor.



IN intestino igitur hoc opere ecclesiastici ædificii nostri explicando, cui potissimùm quartum hūc librū nostrum dicatum esse voluimus, ordo sanè ipse & latius patêre, & præcipuas mihi videtur partes obtinere. De eo igitur, more nostro breuiter differentes, exponamus verbis paucis, hinc quidem ea, quæ ad demonstrandum ordinē ecclesiæ nostræ, illinc autem ea rursus, quæ ad hæreticarum synagogarum confusionem digito quasi indicandam pertinere videantur. Sic enim facile futurum esse confidimus, vt, cùm omnium animantium solus homo sit, qui, quid sit ordo, quid modus, quid decorum ipsum, intelligat; omnes ii, qui numero hominum haberi volent, ordine ipso catholicæ ecclesiæ delectati, libentius in ea permaneant, vel ad eam certè quidem concitatius reuertantur. Nam cæteri, qui ordine nullo capiuntur, digni profectò sunt, qui quouis aliò discedant, & pro locis ordine ipso descriptis ac definitis, deserta, quando ita volunt, & inhospita tesqua incolant, eaque ad extremum loca teneāt, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quod omen à Christianis omnibus Deus propitius auertat quæso. Sed nos ad eum, quem proposuimus, ecclesiæ catholicæ ordinem, paucis, vti huius natura loci fert, describendum accedamus.

Equidem sacer ille vates, qui diuinis suis versibus epithalamium quasi quoddam sponsæ huic cœlesti, ecclesiæ catholicæ cum Christo sponso, videtur cecinisse; in quo sanctissimos illos & castissimos alterius erga alterum amores luculentissimè persequitur; cùm sponsam hanc infinitis aliis extulisset laudibus, tum in eiusmodi deinceps verba prorumpit, quibus eam depingit progredientem quasi aurorā; " pulchram vt Lunam, vt Solem autem claram; terribilem " porrò ac metuendam, non secus quàm castrorum ipsam "

Ordo catholicor. Confusio hæreticor.

aciem ritè atque legitimè ordinatam. Vidit nimirum vidit acutiſſimè quisquis ille fuit, in vera ipſa eccleſia, quam ille ſponſæ Chriſti nomine dignatur & honore, hæc tria ineſſe oportere. Vnum, vt commendationem habeat eximiæ cuiuſdam pulchritudinis, inſtar Lunæ, quæ etiam Phœbe ex eo eſt nominata. Quam ego ſanè huius ſponſæ pulchritudinem, in apta illorum quaſi quatuor membrorum compoſitione ac venuſtate potiſſimùm cernere mihi videor, quòd ea vna, ſancta, catholica, apoſtolica, & ſit, & ita dicatur. quod nos primo ipſo libro noſtro copiosè perſecutos eſſe arbitramur. Alterum, quod ille veræ eccleſiæ vidit ineſſe oportere, eſt, vt luce præterea & claritate eiuſmodi ſit circumfuſa, quæ quidem illam, quaſi ſolem quendam alterum, aut certè quaſi tabernaculum in ſole poſitum ac locatum, reddat omnibus hominibus maximè inſignē atq. conſpicuam; quemadmodum ſanè obſcura eſſe non poteſt, tot luculētiſſimis primò ſcripturarum ipſarum, hoc autem eſt bibliorum, patrum, conciliorum; deinde, non ſcriptarum quoque traditionum, poſtremò verò ſacramentorum etiam & ſacrificiorum ſanctorum radiis mirificè, veſtita ac illuſtrata. Quæ omnia duobus proximis ſuperioribus libris ſunt à nobis pertractata. Tertium porrò, quòd ille ipſe diuinus diuinarum illarum Chriſti cū eccleſia nuptiarum quaſi incentor quidam, ad decus & ornamentum Eccleſiæ ſponſæ conferendum eſſe exiſtimauit, eſt, vt præter formam & claritatem, de qua diximus, auctoritate etiā & vi quadam præcipua ita ſit prædita, vt & inter ſuos honorata, & ab alienis maximè inuiolata eſſe queat; quod quidem tertiū, vates hic noſter, in ipſa ordinis ipſius ſoliditate atq. conſtantia, fixum ac fundatū eſſe apertè pronunciat; ſic, vt certū inprimis ac perſuaſum nobis eſſe debeat, quòd eccleſiam quidem amemus, aut verò quòd eam etiam noſcamus, aliunde planè proficiſci, ſicuti oſtendimus; quòd autem eam colamus, & meritis omnibus honoribus proſequa-

prosequamur, & vt vno verbo dicam, reuereamur, id omne illi, eius ordinis munere atque beneficio contingere, quo quidem ordine, & nobis suis cultoribus, augustam se & venerandam exhibet, & hostibus rursus ac inimicis vsque adeò formidabilem & inuictam, vt ne ab ipsis quidem inferorum portis valentissimis, magis ei noceri possit, quàm vulgo alioqui noceri solet castris ipsis benè vndique prouisis, ac diligenter omni ratione munitis & vallatis. His igitur tribus ecclesia instructa & ornata rebus, non solùm vt aurora in medium progreditur, quemadmodum vati nostro eam describere libuit, sed etiam incedit planè vt regina; quemadmodum eam depingit vates alter, atque haud scio, an vatis huius nostri pater; cùm ita in diuinis illis suis psalmis loquitur: Astitit regina, inquit, à dextris tuis. Hæc est enim mulier illa verè potens, & hæc est illa mascula quædam virago, cuius si quis secum decorem, splendorem, vim denique & potestatem diligentius consideret, precium quidem ipsius, vt ait Salomon, cum precio omnium gemmarum ab extremo vsq. oriente petitarũ, non benè omninò conferat: mulieres autem illas stultas & clamosas, quas dum idem iste Salomon huic nostræ sanctissimæ matronæ ex aduerso quasi opponit, speciem & imaginem omnium hæresum oculis nostris repræsentare voluisse videtur; eas, inquam, mulieres insanas, & nihil aliud quàm vociferatione infames, & in ipsa ruina ecclesiæ bacchantes, ne conferre quidem ipsi debeat. Sed quoniam, vt ostendimus, de primis duabus rebus illis, quantum proposito nostro conuenire videbatur, superioribus libris tribus diximus, agè dicamus nunc hoc libro quarto aliquid de re tertia. Quænám est igitur hæc ecclesiæ acies, aut quænám sunt hæc castra, quæ tantopere maiestatem eius tuentur? aut verò quísnam hic est ordo, tam illi peculiaris & proprius, vt ab hæreticis non modò euerti, sed ne confundi quidem, nec confundi solùm, sed ne vsurpari quidem posse

Ordo catholicor.

Confusio hæreticor.

Ordo catholicor.

Confusio hæreticor.

posse videatur? Ille verò mihi partim in personis & attributis earum, partim in rebus ipsis, partim etiam in temporibus situs esse videtur. Ac in personis quidē triplicem esse statuo, quorum primus ille se aspectui nostro obiicit, quē antea iam, modo quodam & quasi figura exposuimus: qui videlicet ab vno principe initium sumens, ita deinceps per omnes commeat, vt neminem quidem non compræhendat, primo tamen illi, à quo sumit, vt dixi, initium, locū primum atq. præcipuum relinquat. Et reuera, aut ego nihil omninò intelligo, aut certè ordo ipse, sine primo eoque vno (plures enim primi simul esse non possunt) ne intelligi quidē potest. Quid est enim ordo aliud, quàm ratio quædam à primo per media decurrens ad extremum? sic, vt primo ipso sublato, omnem sine dubio rationem ipsius ordinis euestigiò tolli necesse sit. Fundamentum igitur, & quasi solum totius ordinis descriptionisque ecclesiæ illud est, quòd ea non in incertū erret aut vagetur, sed semper primū atq. vnum habeat, ad quem referatur. Quem nos quidem eiusmodi primum atque vnum, abunde per dei gratiam in nostra ecclesia & potuimus semper, & nunc etiam possumus, & poterit in perpetuum omnis posteritas nostra vno omnium ore demonstrare Pontificem ipsum Romanum: cuius Pontificatus à Petro ipso Ionæ F. sumens initium, ita per longam & temporum & hominum successionem decucurrit, vt tandem nostris his temporibus in Gregorio hoc XIII. Pontifice & re & nomine Maximo conquieuerit: ex quo quidē deinde annis labentibus, ad alios porrò successores ipsius, Pontifices Romanos deuoluetur. Quorum equidem quilibet propterea & primus est & vnus, fuitque & erit semper primus atq. vnus, quòd ad eum & ad neminem alium, in iis quæ Dei sunt, ab omnibus totius orbis terrarum minoribus Pontificibus, qui modò catholicorum nomine cēsentur, respectus ac recursus habeatur. At hæretici quid? Non sic hæretici non sic. Etsi enim ipsi quoque in ea

in ea re, tantum momenti positum esse, iam tandem intelligunt, ad veram ecclesiam cognoscendam, vt ad duas illas veteres suas notas, quibus veram ipsam ecclesiam affixam esse, existimarūt olim, ad legitimum, inquam, & verbi diuini sonum, & sacramentorum ipsorum vsum, tertiam nō ita pridem notam addere præterea cœperint, obediētiam ministerio, vt aiunt, ipsi debitā; sine qua omnis assimulatæ illius & adumbratæ eorū ecclesiæ vis & ratio penitus elanguescat; tanta est tamen illarum synagogarum confusio, vt obtemperari quidem sibi, & postulare possint, &, si non impetrent, etiā extorquere gestiant, nunquam id tamen quod cupiant consequantur: aut verò si fortè ad tempus consequantur, frui tamen eo admodum diu non possint. Dum enim singuli eorum omnibus imperare cupiunt, ipsi nemini vni in commune parêre sustinent, fit, vt illa, qua sola omnis obedientia cōstat, totius ordinis ratio, quæ apud hæreticos non ab vno profecta, in omnes ita nescio quomodo temerè dimanat, vt nomen etiam suum tueri nō possit, primùm debilitetur quodammodo, siue in tot partes distracta, siue adeò non satis apta neq. suis nexibus colligata, deinde verò etiam planè funditus euertatur. Dicant enim mihi siue Luterani, siue Zuingliani, siue adeò alii quicunq. ex turba illa, ecquem habent hoc tempore vnum ex omnibus, ad quem, omnium suorum consensu, siue summā ipsam rerum omnium, siue adeò primas saltem deferant? Christum, inquient. Iam hoc primùm falsum est, vt vnicus ille pacis & auctor & amator, qui nos inter nos vnum esse voluit, idque summo cum studio patrem deum orauit; subitò tot sectarum, quot inter illos numerantur, atq. adeò præ multitudine ne numerantur iam quidem, patronus & antesignanus existat: vt modò dicatur esse Luteranorum caput, modò Zuinglianorum caput, modò Anabaptistarū caput: interdum autem vno eodemque tempore, omnium istorum caput, capitum tam inter se dissentientium. Hoc,

Ordo catholicor.

Confusio hæreticor.

Ordo catholicor. Confusio hæreticor.

inquam,omninò & falsum est quidem,& eo ipso cui id tribueretur,planè indignum.Deinde,si maximè verũ sit,quod quidem verum esse nunquam poterit; sed demus interim verum esse; hoc ipsum tamen quod ita responderetur,non satis omninò presè, neq. satis hoc loco propriè,mea quidem sententia responderetur. Dicant enim mihi paulisper iidem illi boni viri Luterani, siue adeò amicissimi eorum Zuingliani,quid agant,aut quò se vertant,si eadem ratione, & Anabaptistæ ipsi quoq. & Trinitarii, & reliqua hæreticorum fex, magis etiam ferè infensa illis,quàm sunt ipsi nobis,eodẽ hoc ipso,minime ad eam rem accommodato Christi palliolo abutatur,ad suas quaslibet cõfusiones obtegendas? Mihi quidem eodem prorsus iure facturi,nec, quo minus sibi quoq.idem illud liceat,quod cæteris in eodem genere licitum esse vident,quicquam omninò formidaturi esse videbũtur. Verùm enimuero Paulus Apostolus, vt hãc eiusmodi defensionem, & hanc eiusmodi latebram, omnibus æque hæreticis in vniuersũ eriperet,iccirco sumpta quasi occasione ex his, quæ tunc de vnitate spiritus in vinculo pacis, de vno corpore, vno spiritu, vna vocationis spe,vno domino, vna fide, vno baptismate,vno Deo & patre omniũ, Ephesiis memorauerat, sanè quàm peraccommodatè, & maximè necessariò narrat, vnum illum dominum Christum,in quo omnes vnum corpus sumus,seruãtes quidem vnitatem illam spiritus in vinculo pacis, postquàm in superas cœli partes, vi ac potestate sua diuina penetrasset, dedisse dona hominibus. Quæ dona? quosdam
» Apostolos,inquit; quosdam prophetas; alios euangelistas;
» alios pastores & doctores. Quem obsecro ad vsum? In o-
» pus ministerii, inquit, in ædificationem vnius illius corpo-
» ris Christi, donec concurramus omnes in vnitatem fidei.
Non sine causa, inquam, superioribus illis hæc adiungit. significat enim, nunc iam quidem, post abitionem Christi Dei nostri in cœlum,frustra quenquam aliter,inanem vni-

Ordo catholicor. *Confusio hæreticor.*

tatem fidei, atq. adeò inanem vnitatem corporis iactare; dicam amplius; frustra omninò vnitatem vllam spiritus, quæ est in vinculo pacis, aut sperare, aut quærere, aut mente etiam & cogitatione fingere, nisi nos quidem totos regendos ac gubernandos tradamus, huic ipsi muneri ac ministerio apostolico, prophetico, & pastorali, quod Christus ipse à nobis abiens, & in cœlum proficiscens, vicem suam in terris gerere voluit. Christi igitur ipsius principatum, ad hanc suam, quæ nulla est, astruendam vnitatem, & ad eum, quem quærimus, ordinem apud se demonstrandum, omittant frustra obtendere hæretici. Etsi enim verum est, Christum à Deo datum esse caput super omnem ecclesiam, tamen quoniam is ipse à nobis abiens, & ad patrē reuertens, mēbra sui corporis omnia, Petro ipsi curanda commisit, & tāquam oues scilicet atq. agnos suos dedit eidem pascēdos ac fouendos; sequitur planè, qui à Petro non pascantur, eos de grege & corpore Christi non esse: qui autem ad corpus non pertineant, ii profectò quemadmodum capiti coniungi possint, ne ratio quidem vlla potest reperiri. Vnum igitur Petrum aliquem inter se nobis demonstrent atq. exhibeant, qui inter eos, omnium reliquorum iudicio, princeps sit, & dux atq. auctor eius ordinis, sine quo ecclesia esse nō potest; si volunt aliquid saltem, apud se, esse ecclesiæ simile demonstrare. Luterum quidem ipsum si nobis pro eiusmodi Petro conentur obtrudere, hunc scimus, viuū etiamtum ac omni contentione renitentem, à non paucis gregalium, de eo, quem sibi opinionis errore finxerat, principatu, præcipitem fuisse deturbatum; à non paucis, inquam; qui & ipsi postea, à nihilo paucioribus, de hoc eodem principatu, spe iam propemodū deuorato, depulsi ac detracti sunt; sic, vt cùm illi ipsi, qui eos detraxissent, eodem quoq. non obscurè aspirare cernerentur, ab aliis vicissim ex eodem fastigio derepti, atq. ad terram grauissimè sint allisi. Vt aliis iam quidem testibus aduersus eorum principatum, opinione tan-

 ne tan-

Ordo catholicor. *Confusio hæreticor.*

ne tantum & voto quorundam affectatum, re nunquam possessum aut vsurpatum, minimè egeamus. Ipsi enim satis testãtur, nec principem se vllum in sua synagoga agnoscere, nec eum, qui sine principe teneri non potest, ordinem amare, sed in ipsa summa confusione, ac rerum omnium perturbatione perpetuò versari velle. Atque hæc quidem hæretici. Ecclesia autem quid? de qua ipsa loqui paulò antè cœperamus? Ea verò, præter eum ordinem, quem dixi in ipso quasi vnius hominis principatu consistere, habet etiam alium ordinem, non minus descriptum ac definitũ. Quem? Illum, inquam, quem ipsum in Melchisedecho olim adumbratum, & in Christo ipso sacerdote sempiterno, plenè expressum, & perfectum atq. absolutum, inter sacramentorum, vt dixi, suorum numerum lubens ac volens asciuit ac recepit; & receptum, ad selectorum quorundam hominum initiationem transtulit; eorum, inquam, hominum, è quorum manu, sacramenta, è quorum ore, doctrinam salutarem populo communicare, quorum item manu & ore simul, sacrificium panis & vini, atque adeò corporis & sanguinis Iesu Christi, pro se suisque omnibus Deo ipsi offerre consueuit. Cuius ego ordinis speciem animo intuens, ita ecclesiam ex eo aptam vndique ac nexam esse comperio, vt eius dignitate, hierarchiam planè nobis cœlestem illam referri in terris ac repræsentari existimem. De quo alius nobis erit narrandi locus. Quo quidẽ ipso ordine cùm nõ minus quàm superiore illo, orbatos esse hæreticos videamus, vt qui nullum legitimum sacris ordinibus initiandi ordinem amplectãtur, sed omnes in vniuersum sola baptismi aqua respersos homines, ad commune quoddã regale sacerdotium pertinere arbitrentur; mirum sanè videri nõ debet, si eos, tertio quoque illo, de quo statim dicturi sumus, ordine, priuatos ac mulctatos esse meritò arguimus, atque adeò oculis ipsis iudicamus; tertiò, inquam, illo ordine, omnibus iam cognito ac perspecto, & vsque adeò in

ecclesia

Ordo catholicor. *Confusio hæreticor.*

ecclesia necessario, vt secundum eum omnia geri voluerit Apostolus: illo dico, ordine tertio, qui quidem eorum maximè hominum opera in ecclesia conseruatur, qui secundo hoc hominum initiatorum ordine, sub primo illo ecclesiæ principum ordine continentur. Quis est autem ille ordo tertius? Vt nimirum in ecclesia non omnes de populo sint Apostoli, non omnes prophetæ, non omnes doctores, non omnes interpretes, non omnes denique curatores; sed alii sint qui doceant, alii qui ab his discant: & alii qui curent, alii qui ab his curentur, doctoresque ipsos & curatores suos aliis vicissim ipsi officiis iuuent atq. prosequãtur. In quo etiã ipso magnopere peccari videmus ab hæreticis; apud quos ita passim omnibus in vniuersum, commune ac promiscuum factum est docendi munus in ecclesia, vt non modò à tonstrina, & sutrina, & reliquis eiusmodi sellæ atque operis ac quæstus quotidiani locis, sed iam etiam, proh scelus, à carnificina, quod nostris infelicibus temporibus visum est, ad cathedram annunciandi noui istius euangelii, fuerit alicubi prosilitum. O tempora. ô mores. ô nostram omnium cœcitatem, qui hæc nõ videamus. ô amentiam, qui non attendamus. ô stupiditatem, qui nõ caueamus. ô temeritatem inauditam, qui nos passim ad hæc sacrosancta munera, quo iure qua iniuria ingeramus. Prudenter igitur & planè necessariò monet nos frater domini in sua epistola, ne velimus, non dicit, omnes, sed, plu- « res saltem magistri fieri; causamque etiam addit, quam nostra hæc tempora esse verissimam plus satis comprobarũt. Ad hunc enim modum, inquit, à multis in multis offendi- « tur, & præterea maius ac terribilius iudicium accipitur. Siue enim offensiones ipsas spectes; dic mihi, quæso, per deum immortalem, quæ & quanta, his nostris temporibus offensionum ac scandalorum sylua enata est? dum pro pietate & religione, quæ olim sub paucis legitimè ordinatis magistris illis maximè viguit; nunc, cùm omnes ferè per

Ordo catholicor. Confusio hæreticor.

fas per nefas magiſtri videri volumus, omniū prorſus hominum animos omni vitio & ſcelere inficimus; & dum decretis maiorum noſtrorum non paremus, feneſtram ad omnē licentiam aperimus? Siue ſpectes pœnam & iudicium, ecquænám, quæſo, atrocior pœna noſtræ erga maiores noſtros contumaciæ, non dicam, infligi, ſed fingi etiam ac excogitari poterat, quàm quòd ab æqualibus quidem noſtris, in quolibet recens inuento & excogitato à nobis dogmate, acerbiſſimè oppugnamur, à minoribus autem ne impetramus iam quidem, vt vel noſtris, vel aduerſariorum ſaltem noſtrorum inuentis & placitis contenti conquieſcant; ſibi autem ita temperent, vt nouas ipſi indies & mōſtroſas in religione opiniones in vulgus ne procudāt? Cuius ipſius tanti mali non modò reddenda ratio, ſed etiam, tanquā reis capitis cauſa planè in iudicio dei dicenda eſt; iis quidem, inquam, qui nulla certa vocatione, nulla, vt ſic dicam, eccleſiæ ordinatione, ſeipſos ad hoc munus ingeſſerunt, eumq́ue honorem non vocatione legitima, vt Aaron, ſed vt Core, Datan, & Abiron, per ſummam audaciam & temeritatem vſurparunt ſibi. Iurè igitur plectuntur, traditi in ſenſum reprobum, & in inordinatiſſimam viuendi pariter ac docendi rationem. Quare nos quidem ordinem eccleſiæ, inter cæteras eius prærogatiuas multas, vnicè amplectamur, ab eoq́ue nos deduci ne patiamur; hæreticorū autem ſynagogas, totius ordinis, totius denique vitæ, & rerum ac officiorum omnium perturbatrices, ſumma cum animi attentione deuitemus: ab ipſis denique hæreticis, vti à fratribus inordinatè, contra ordinationem ab apoſtolis acceptam ambulantibus, diligenter caueamus; idq́ue adeò hominibus honeſtis & moderatis frequēter proponamus, ad abſterrendos eos à cœca iſta, & præcipiti furioſorū hominum veſania, & ad adducendos ad eccleſiæ catholicæ ordinem atque ſanitatem. Et hactenus quidem, de triplici ordine eccleſiæ, quantum ad perſonas attinet.

CAP. II.

Contiones Cantiones catholicor.

CAP. II.

Contiones, missæ, cantus, horæ catholicorum.

Ordo ecclesiæ non solùm in personis, vt suprà, & attributis earum, sed etiam in rebus consistit.

Rerum, aliæ quasi vocales sunt, aliæ quasi mutæ.

Tum de vocalibus hoc capite toto.

Ecclesia catholica tum contionum suarum voce, tum missarum & horarum ipsarū cantu, ostendit se magnā erudiendi nostri curam gerere.

Ecclesiasticarum contionum & cantuum præstantia, moderatio, scopus.

Locus Gen. de arbore scientiæ in paradiso, & de vitæ planta.



Tque ecclesia ipsa longius porrò ordinem suum hunc protendit, & à personis ipsis etiam ad res transfert, vel potius & personas ipsas ad res accommodat, & rerum ipsarum vtilitatem atq. vsum cum omnibus passim hominibus communicat: & omnia denique sua studia conatusque adeò suos omnes eò dirigit, vt quicquid suscipit, quicquid agit & molitur, id totum, ad omnes homines, ipsa salutari cœlestis euangelii ac pietatis doctrina imbuendos, planè conferre videatur. O solertem Christiani parentem nostram ecclesiam, & in omnes partes bene consulentem ac prouidam, & quod caput est, etiam beneficam & benignam: quæ, vt modò bene faxit nobis, nunquam quicquam remittit de suscepta semel pro nobis cura atque solicitudine: quin vertit se in omnia, & quasi optima quædam Euangelica Martha illa, rerum omnium satagere non desistit, quominus nobis & exhibeat semper & commendet vtile inprimis ac salutare ministerium suū. Nam vt interiora illa præcepta eius atque instituta hoc loco omit-

Contiones
Cantiones
catholicor.

co omittamus, quæ perfectissima quadam & absolutissima ratione traduntur in scholis & gymnasiis ac collegiis doctorum virorũ ab ecclesia institutis; & ea attingamus tantùm, quæ passim sunt omnibus, & politis, & barbaris; & sapientibus, & insipientibus cõmunia: in iisque ipsis, vt ab his potissimũ incipiamus, quæ se ipsa sua vi produnt, & sensus nostros vltrò solicitant, nõ muta videlicet ipsa, neq. tacita, neq. omninò inertia, sed voce ac sermone, quasi quadã vita, constantia. Vt ab his igitur incipiamus; profectò & cõtionibus ad populum sacris, & missarum sacrificiis ipsis, & reliquis symphoniacorum, ac laudes diuini numinis, in hymnis & psalmis celebrantiũ, hominum cãtibus, & omninò omnibus horariis precationibus publicis, & multis aliis eiusdemmodi rebus, quarum est semper in ecclesiá nostra, non modò assidua, sed etiam rectè atque ordine instituta continuatio quædam: continuatio, dico, magnis piorũ primùm ac religiosorum hominũ ad eam rem impensis studiis, deinde maximis eorũdem, & ex sancta veluti quadam ambitione profectis sumptibus, in hæc tẽpla nostra, à maioribus nostris introducta, & ad perpetuitatẽ confirmata: profectò, inquã, ecclesia omnibus iis vsurpãdis rebus, ipsos etiam infimæ classis homines, quatenus opus est, non sinit esse earum rerum rudes aut negligentes, sine quarum cognitione & compræhensione, aut potius fide & persuasione, vel etiam hoc magis, disciplina & exercitatione, salus hominum Christo addictorum, constare ferè non potest. Nam contionum quidem ipsarum voce ac sermone, ea nobis abunde suppeditat, quæ præcipuorum fidei & religionis nostræ Christianæ capitum, aut officiorum nominibus, ipsa iampridem consecrauit: quibus etiam ipsis certa feriarum tempora designauit, quæ nos, ipsius ductu, hauriendis inibi per ocium, eiusmodi salutarib. documentis Christianis, commodè traducamus. Missarum autem illa quotidiana solennia, piis rursus meditationibus nostris publicè excitandis

Contiones Cantiones catholicor.

tandis pariter atque inflammandis voluit esse dedicata, eo potissimùm consilio, vt quicquid, audiendis sacris illis contionibus, seu de diuina erga nos benignitate, seu de nostro vicissim, erga numen illud diuinum nobisque propitium, officio ac potius pietate, & quæ sunt eiusdem generis, percepissemus dudum, id totum, ad conspectum illum Missæ & sacrificii sacrosancti (cuius cerimoniæ quotquot sunt, omnes sunt, in ipsam totius vitæ Iesu Christi dei nostri ob oculos nostros repræsentationem, maximo patrum ac maiorum nostrorum studio, ingenio, consensu ab ecclesia collatæ.) id totum, inquam, sub idem illud Missæ tempus, taciti nobiscum meditari, in eoque etiam in dies deinceps singulos recolẽdo, & in ipsum quasi vitæ exercitiorumq. quotidianorum nostrorum succum ac sanguinem conuertendo, versari videamur. Iamuerò cantus reliqui ecclesiastici omnes, qui sunt laudibus ipsis diuinis personandis dedicati, quantam nobis, quæso, orationum & precum ac votorum materiam subministrant? dum orantibus quidem illis, qui nobis totius quasi ecclesiæ personam referunt atq. repræsentant, pudere nos atque tædere necesse est, nõ ipsos etiã nos, pro quibus tũc præcipuè oratur in ecclesia, studio illo canentiũ pro nobis & orantium ita commoueri, vt socias quoq. operas nostras qualescunq. cũ illis cõiungamus; & deo ipsi, cui gratiæ illæ publico nomine pro cũcta ecclesia persoluantur, nos quoq. ipsi priuatim à nobis ipsis debitas persoluamus. Quæ quidẽ contionũ cãtionumq. instituta omnia etsi sunt ecclesiæ ipsi, nonnulla saltẽ ex parte, cum hæreticis communia, ipsa tamẽ ecclesia quantum maximè conniti potest, ita se, in iis quoq. communibus, comparat & componit, ita omnia agit atque moderatur, vt nec contiones suas contionibus hæreticorum, nec catechismos catechismis, nec cantus cantibus, nec orationes orationibus, vlla in parte vel sanctitatis, vel eruditionis, concedere patiatur; imò verò illud vnicè elaborat, vt hæc omnia, eorũ

Contiones catholicor.

quidem iudicio, quibus hæc vtrinque cognita sint ac perspecta, & sanctiora apud se quàm vsquàm alibi, & eruditiora, & omni perfectionis genere absolutiora esse appareant. Vnam illam in hoc genere pernecessariam profectò moderationem interim adhibens, quam vtinam adhibuissent, atque adeò vtinam etiam nunc adhiberent antagonistæ nostri consiliis institutisque suis; vt scientiam quidem & intelligentiam rerum ipsarum abstrusiorum, perfectam illam & absolutam, doctis & intelligentibus solis reseruet, sanctitatem verò ipsam, quæ est vsus eorum omnium maximè præcipuus, & certè omnium ex æquo communis, populo vniuerso, id autē est, doctis pariter & indoctis, libenter concedat atq. communicet. Quam etiam ipsam sanctitatem illa re potius æstimandam esse censet, quanto studio à quolibet nostrum, ea quæ ab illa proponuntur, excipiātur, & quæ excepta sunt, quanta alachritate, moribus ipsis ac vita nostra exprimantur, quàm quanto scilicet ingenii acumine comprehendantur, aut quàm acuta & subtili disputatione limentur, atq. defendantur. Non tam enim in subtilitate vlla siue intelligendi siue adeò disserendi, quàm in obseruandis summa cum diligentia iis, quæ diuinitus præcipiuntur, nouit esse à Christo domino fœlicitatem & beatitudinem hominum, id autem est, summum animorum nostrorum bonum, constitutum. Sic enim ille quondam ad auditores suos. „ Si nouistis hæc, inquit, quæ toties in„culco vobis, beati eritis; sed ita denique, si feceritis ea. Itaq. ecclesia ipsa cùm paradisum veluti quendam habeat, omni prorsus stirpium ac plantarum genere diligenter admodū & copiosè consitum ac conseptum, sic, vt inde nulla planè arbor absit, quæ modò aut visum fouere, aut gustum etiā ipsum delectare posse videatur, scientiæ tamen illam arborem, qua non frustra meminit primis illis, & recens etiamtum formatis parentibus nostris, fuisse diuinitus interdictum, remouet quodammodo ab aliis arboribus ac seponit, suo

Cerimoniæ catholicor.

nit, ſuo & loco & tempore fruendã ab adultis iam & corroboratis viris; ipſam autem vitæ plantam, in qua vna propemodum ſunt omnia, in ipſo horti atque paradiſi ſui medio, & quaſi vmbilico, conſtituit; vt hoc ipſo, omnes ſine vllo ætatis, aut ingenii, aut maturitatis diſcrimine homines, ad veſcendum fructu obuiæ atque expoſitæ eius ipſius arboris, pelliciat & inuitet.

CAP. III.

Templa, cerimoniæ, feſta catholicorum.

Eccleſia, ipſis etiam quaſi mutis rebus, nobiſcum loquitur; cum eas ad ſenſus admouet.

Ad oculos, templa & ornatum templorum.

Ad aures, campanas, & muſica inſtrumenta.

Ad nares, ſuffimenta.

Ad tactum, aquam, cineres, genuflexiones &c.

Ad guſtatum, cum cætera, tum corpus ipſum ac ſanguinem domini.

Ad omnes ſenſus, pompas ipſas ſupplicationum.

Cerimoniarum eccleſiaſticarum, feriis ipſis purificationis Mariæ, ſpecies & dignitas ſingularis.

Atque hæc quidem, quód ad ordinem, qui in rebus eſt ſitus, attinet.

Eccleſia, ne ea quidem quæ ſunt temporum, prætermittit: vt feſtos dies.



PRæterea autem eadem hæc eccleſia noſtra, poſtquàm à contionibus, miſſis, horis denique ipſis orationum ſuarum interquieuit, & vocẽ quaſi ipſam ac ſermonem remiſit ſuum, non remanet tamen prorſus muta, & omni ex parte iners ac ignaua, ſed pro vocalibus illis ſuis contionibus, miſſis, cantibus, aut tacitas rurſus, aut certe minimè articulati ſermonis, machinas veluti

quaſdam ad ſenſus ipſos adhibet, quibus in animos ſuorũ fidelium, id quod vult, hoc autem eſt, pietatem & religionem, poſſit commodiſſimè inſtillare. Admouet enim ad oculos, primùm templa ipſa, ornatumque omnem illorum. Vt ita templis quidem ipſis Deo ponendis & extruendis, ipſum illum eſſe oſtendat, à quo, primùm hæc omnia quæ videmus, & conſtiterint ab initio, & regantur hoc tempore, & conſeruentur ad perpetuitatẽ: à quo deinde, nos quoque ipſi & facti, & de ſeruitute liberati, & in ſpem vitæ æternæ vocati ſimus: cultu autem illo & ornatu templorum procurando, gratias eidẽ vtcunque referat, tum de illis ab eo iam receptis, tum de his, quæ in dies ſingulos recipimus, beneficiis tantis. Sicut enim mundus hic, magnum abunde fert teſtimonium bonitatis, ſapientiæ, ac potentiæ dei, qui eũ ſcilicet condere, & voluerit, & nouerit etiam ac potuerit; ita propemodũ templa noſtra, veluti microcoſmi quidam, monumenta eſſe videntur, ad æmulationem maioris iſtius mundi inſtituta, quæ numinis illius diuini ac præpotentis, bonitateque præterea & ſapientia præcellentis, præſentiam in oculis noſtris, propius quaſi defigant (ex quo ipſo, mundus quoque ipſe templi appellationem antiquitus, apud ipſos etiam ethnicos, eſt conſecutus.) Et rurſus, ſicut mundi ornatus iſte, cœlique inprimis ipſi, qui ſunt ſummum & maximum mundi totius ornamentum, enarrant, ſicut Dauid loquitur, & more quodam ſuo quotidie celebrant gloriam ipſam laudemque dei ipſius immortalis; ita hic cultus ornatusque templorum noſtrorum, quaſi tacitus quidam præco eſſe videtur & buccinator earundem illarum immortalium laudum diuinarum, ad quas perſoluendas, animus rectè vel à natura informatus, vel diuinis præceptionibus inſtitutus, & factum & natum ſe eſſe ſentit atq. profitetur. Extruit igitur eccleſia templa Deo Opt. & Max. in eoque, illam Centurionis euangelici laudem diligenter æmulatur, hominis ethnici & profani, neceſſario ipſius tépore,

Cerimoniæ catholicor.

pore, apud Christum dominum, cum singulari illius fructu ab aliis commemoratam, eo quidē tempore, cùm dominū ipsum ad opem illi promptius ferendā adducere conarentur. Dignus est domine, inquiebant, beneficio tuo. Diligit enim gentem nostram; cuius rei insigne admodum monumentum, in omnium oculis cōstituit, cùm synagogam ipse ædificaret nobis. Hanc laudem, inquam, ecclesia nostra, præter cæteras heroicas ac penè diuinas laudes suas æmulatur. Tot enim passim extant, singulari catholicorum hominum studio constructæ basilicæ, tot fana exædificata, tot templa, maximis eorum & sumptibus excitata, & donariis aucta, & fructibus ac reditibus omnis generis cumulata, vt ea res inuidiæ illis citius esse apud hæreticos posse videatur, quàm vt apud pios & recto iudicio præditos, non possit, aut non debeat certe quidem, erectam ipsorum in deum fidem ac religionem, & ardentes Christianæ pietatis faces atq. flamas, plenissimè in illis demonstrare. Extruit igitur templa ecclesia nostra, extruit, extructaq. cùm aliis plerisque rebus, tum cereis potissimùm & tabulis atque picturis exornat; vt cerei quidem accensi, maiestatem quandam numinis præsentis significent, tabulæ autem illæ, egregio opere perpolitæ, & publico illo in loco fixæ ac locatæ, ponant sub aspectum, quantū maximè possunt, earum ferè rerum memoriam, de quibus alioqui vel in scholis subtiliter controuerti, vel pro contione fusè admodum disseri solet ac disputari. A quo quidem vtroque ornatu interdum etiam abstinet, dum contractam veluti frontem suā, apertum cuiusdam quasi mœstitiæ suæ indicium, nobis solet exhibere: idque aut cereis extinguendis, aduersus immorigeros, atq. ea de causa anathemate percussos filios; aut imaginibus ipsis & picturis nobilioribus velādis ac tegendis; dū nos diebus ipsis ieiunii quadrageni, ad pœnitentiam solicitat sanctiorē: vt ita ab omni exteriore specie oculis quasi vsurpāda, exclusi, intus in ipsos nos de-

ſcēdamus, & in ipſo cōſcientiæ noſtræ ſinu interiore, nobiſcū ipſi ſtrictiorem quandam vitæ morumque noſtrorum rationē ſubducamus. Admouet item ad aures noſtras, & cāpanas; & cymbala, & reliqua eius generis tintinnabula ærea; dū hoc ipſo indicio, & quaſi claſſico, abſentes quidem vel ad templū vocat, vel orationis admonet, vel certè, quid intus intra ipſos tēpli parietes & cācellos geratur, facit certiores: præſentibus autem ipſis & ad templum iam conuocatis, ſignū dat, præſentis ipſius numinis ſuppliciter adorandi. Interdum tamen ea quoque pro æreis, ligneis vtitur tintinnabulis; quod quidem illa facit diebus ipſis paraſceues: ſiue ad deſignandum miſerabiles illos & deflendos eius temporis lapſus Apoſtolorum ipſorum, qui ſubita quadam animorum conſternatione, ob indigniſſimum & acerbiſſimum magiſtri & domini Ieſu cruciatum, tunc tēporis ingruentem, ex æreis lignei facti videri poterant; ſiue adeò ad conteſtandum etiam dolorem ipſum ſuū, hinc quidem, cruciatu ipſo, & morte atque obitu vnigenæ filii dei ſponſi ſui, expreſſum; quarū tunc rerum omninò acerbarū, anniuerſaria ipſa memoria per omnia templa recolitur: inde verò commiſeratione quadam prouocatum earū prolapſionum noſtrarū, quæ diræ necis illius, illorumque grauiſſimorum tormentorum cauſa extiterunt. Interdum verò vſum omnium tintinnabulorum iſtorum & campanarum, tam ærearum quàm lignearum, planè intermittit; vt cùm in ipſo fortè publico aliquo facinore commiſſo ac perpetrato, maiore vtēs interdicto, ſonitus omnes, niſi horridos & violentos neſcio quos, vetat prorſus atque aſpernatur. Nec verò aut cymbalis modò & campanis, vti nunc diximus, aut aſſis etiam tantùm hominū vocibus, vti paulò antè oſtendimus, vtitur eccleſia noſtra, auribus noſtris inſeruiens; verùm etiam celebrioribus ipſis diebus depromit muſica quædam inſtrumenta, ad erigendos iacentes noſtros animos, & excitandos ad laudes diuinas, maiore aliquanto

 Cerimoniæ catholicor.

liquanto cũ lætitia decantandas: quod vel maximè appa-ret diebus ipsis parasceuen sequentibus, qui sunt anniuersa-riæ rediuiui ipsius domini nostri memoriæ consecrati; qui-bus quidẽ diebus ipsis nihil prætermittitur, quod ad exhi-larandos cantu ipso hominum animos pertinere videretur. Atq. hæc quidem ad aures. Adhibet verò etiam odores ac suffimenta ipsa nostris naribus; vt & maiestatẽ diuini numi-nis repræsentet, & feruorem præterea maiorem quendã in nobis exuscitet, maiestatis illius sempiternæ precibus no-stris tanto ardentius venerandæ, opisque ipsius ad vsus no-stros contentiosius quodammodo exposcendæ: vt videli-cet, quemadmodum ea quæ odorum causa hic adolentur, ad nares ferè deferũtur, ita preces & supplicationes ac vo-ta nostra omnia, igne diuini ipsius amoris succensa in præ-cordiis nostris & inflammata, rapi in conspectũ ipsum do-mini, & ad aures benignas eius protinus perferri videãtur. His enim tunc quoque, aut certè non absimilibus verbis ecclesia ipsa, in ea cerimonia administrãda vtitur. Admouet denique eadem hæc ecclesia ad tactum nostrum, plura eti-am ferè quàm ad vllum sensum aliũ. Adhibet enim modò aquæ, modò cineris aspersionem, adhibet crucis impressio-nem, genuum flexionem, pectoris percussionem, osculum denique reliquiarum sanctarum; quæ omnia, vel monu-menta, vel certè inuitamenta esse vult pœnitentiæ interio-ris. Postremò gustatus etiam ipsius nostri non prætermit-tit habere rationem; primùm quidem, dum eum cupediis aliis plus satis vel obrutum, vel irritatum, indictis ieiuniis, tum recreat, tum cohibet, &, quantum potest, ad mode-rationem reuocat; deinde autem cùm diebus certis solen-nibus, & panem populo, & vinum, & salem, & fructus ter-ræ, & cætera quæ ad esum, aliúmue præterea familiarem vsum nostrum pertinent, benedicta, & verbis solennibus sacrata proponit, & denique, dum ipsum Iesu Christi cor-pus & sanguinem, sub panis & vini forma ac specie conse-

cratum,

cratum, veſcendum depromit, & fidelibus ipſis communicat. Atque hæc quidem quæ dixi, ſenſuum ſunt ſingulorũ; illa quæ dicam, omnium; dũ ſupplicationibus ipſis ac proceſſionibus illis, quæ ſunt veluti ſacrorũ ſolennes pompæ quædam, ſenſus omnes reficit: in quibus quidem & ſpeciẽ oculis ipſis gratam ac illuſtrem repræſentat, & aures cõcẽtibus exquiſitis permulcet, & naribus odores afflat iucũdiſſimos, & aquam ferè ſpargit, & multa oſculo noſtro excipienda defert, & ipſum denique Ieſu Chriſti corpus, cibũ atque adeò vitam ipſam & corporum & animorum noſtrorum, circumgeſtat. Vt ita nimirum & audiamus, & olfaciamus, & manibus quaſi contrectemus vndique, vim ipſam infinitam benignitatis diuinæ; guſtemus etiam & videamus, quàm ſuauis ſit dominus & quàm beatus ſit vir qui ſperat in eo. Quid his, quæſo, in eo genere plenius? quid ſpecioſius? quid in omnes partes illuſtrius, aut glorioſius, non dico, in eccleſia catholica fieri, ſed fingi ſaltem ab hæreticis ac cogitari poteſt? Equidem fremant omnes licet portæ iſtæ inferorum, dicã tamen liberè quod ſentio. Vnus hic certè quidẽ dies cereorum, quem hodie in eccleſia noſtra catholica ſolennem piè religioſeque obimus, memoriam recolentes illius diei, quo die olim, maiorum more, & Chriſtus puer, qui ſemper erat domini, vel potius qui ſemper erat dominus, domino ipſi ſiſtebatur; & Maria mater eius, quæ virgo ipſa, agnum illum nitidiſſimum, & filium præ filiis hominum ſpecioſiſſimum pepererat, ex recenti illo, omnibus ex partibus mundo planè atque caſto partu ſuo, ex lege purgabatur in templo Salomonis. Vnus hic dies, inquam, vti diurnum hoc ipſum lumen ſuum vincit propemodum flamis lucernarum iſtarum, piè ac religiosè in templo accẽſarum, ita reuera ſpecie & pulchritudine iſtarum cerimoniarum ſuarum, & ea quaſi maieſtate, quæ exurgit ex tot repentè incenſis cereis benedictis, longè ſuperat omnes omnium hæreticorum, quotquot ſunt

Cerimoniæ catholicor.

inter eos,falſas illas atq;ementitas pietates. Quod ſi iam in his tantopere appareat, quæ tamen nec primum, nec præcipuum locũ obtinent in eccleſia noſtra,concludi ſanè poteſt, ea quæ apud nos excelſiora ſunt, ne habere quidem hæreticos, cui comparentur. Ego enim profectò ita mecum ſtatuo. Totum hoc genus cerimoniarum in eccleſia noſtra, de quo loquimur, eiuſmodi eſſe, ceteris in eadem eccleſia rebus comparatum,quod propter humilitatem & abiectionem ſuam,pedum mihi prorſus vicem,in hoc corpore, quod eſt eccleſia, gerere videatur. Si igitur pedes eccleſiæ noſtræ,euangelizantis pacem, euangelizantis bona, admodum ſpecioſi ſunt, ipſius etiam Apoſtoli teſtimonio, imò ſi ipſa ſynagogæ veſtræ facie formoſiores ſunt, ſicuti ferè oſtendimus; quid dicemus de manibus,& pectore,& ceruice,& capite eiuſdem eccleſiæ noſtræ,cũ cæteris rebus veſtris cõparato? Atqui cerimonias ipſas,pedum,quod dixi,inſtar obtinere in eccleſia noſtra, inde profectò oſtendi poteſt, quòd, quemadmodum pars illa corporis, in ſpeciẽ abiecta eſt,re ipſa,quod videmus,apprime eſt neceſſaria,ita cerimoniis ipſis nihil in eccleſia in ſpeciem humilius, nihil ferè ad vſum magis neceſſarium poteſt reperiri.Concedũt, quod dicitur de abiectione,negant quod de vſu.Ego verò contendam hoc loco, &,vt puto,euincã etiam, nihilo planè momenti minus ineſſe in cerimoniis ipſis,ad animos noſtros in pietate Chriſtiana,aut erudiendos, aut retinendos, aut fulciendos, aut attollendos, aut promouendos, quàm in pedibus ipſis eſſe cõſpicitur, ad ſuſtinendũ ac deportandum corpus ipſum. Omninò enim, quemadmodũ ſine pedibus,infirmus eſt ad progreſſum omnis conatus voluntatis,debile ac eneruatum rationis imperiũ; ita planè ſine cerimoniis, mancum eſt quodammodo omne exercitium pietatis. Etenim ſermo ipſe Dei immortalis, qui in eiuſmodi pietatis negotiis ſumma quædam lex eſt ac veluti ratio, dominans & præſcribens agenda voluntati, etſi fidem

profectò, ex auditu ipso, in animis nostris generare, atq; adeò voluntati etiam ipsi insculpere potest; pietatem tamen, qua maximè viuit ac viget fides ipsa, oculis repræsentare hominum, sine vsu cerimoniarũ nõ potest: progressum autem in pietate, sine cerimoniis externis ipsis, quas dico, ne moliri quidem: dicam audacius, ne polliceri quidem.

Quid ita? quia cerimoniæ ferè sunt, quibus pietas ipsa, in animorũ iam quasi ipsorum concepta visceribus, foras emergit, emersa alitur, alta sustinetur, sustentata crescit & accessionibus augetur. Neque enim profectò homines sunt, vt spiritus ac mẽtes cœlestes illæ, quæ interioribus solùm motionibus agitatæ, omnia efficiunt, quæ destinarũt: sunt enim spiritus expertes corporis. hominũ autem ipsorũ, nõ magis animo quàm corpore constantiũ, actiones, illæ etiã quæ religionis sunt & pietatis, intus conceptæ, foras penè spectãt, & extrinsecus perficiũtur; vsque adeò sanè, vt cùm corde ipso satis crediderimus ad iustitiam, tum oris tamen cõfessio ipsa, quod ait Apostolus, necessaria nobis sit ad salutem. Cõcludamus igitur, quod ostensum est, cerimonias ipsas in ecclesia, & propter speciem ipsam abiectam suam, pedum planè in corpore humano similitudinem habere. (In omnibus enim, quæ vnquam ab hominibus religiosis cum fide & pietate suscipiuntur, actionibus, nihil penè est cerimoniis in speciem vilius, nihil humilius,) & propter vsum, quòd iis pietas ipsa nostra & ferri propemodum, & propagari, & in oculos hominum incurrere, eosq́. ad æmulationem quasi quandam incitare soleat; maximè necessarias in ecclesia videri. Quod cùm ita sit, iurè profectò ecclesia, hos ipsos pedes in hoc corpore, cerimonias dico ipsas, tam mutas quàm etiam vocales illas, vti ad integritatem suam necessarias, admodũ libenter retinet. De quibus nos quoque ipsi, idcirco hoc loco agendũ nobis esse existimauimus, quòd eas ad rerũ ipsarũ in ecclesia necessariarũ ordinẽ describendũ, maximè iudicaremus pertinere.

De quo

 Cerimoniæ catholicor.

De quo quidem rerum ipsarum ordine satis hactenus dictum esto. Iam verò neque illa adeò, quæ nos temporũ esse, & ad tertium ecclesiæ catholicæ ordinem pertinere diximus, ecclesia nostra prætermittit. Illa enim certa dierũ solennium tanquam in fastos quosdam distributio, quos dies ecclesia annuis cõmutationibus iubet obseruari, quid aliud est, quàm simplex & aperta hominum simpliciũ, ab ecclesia summo consilio & summo ordine tradita, ab hominibus autem ipsis magna cum pietate vsurpata, institutio, in rebus ad salutem pertinentibus? Nam dum & conceptionem, & natiuitatem, & circumcisionẽ, & adorationem à magis, & quadraginta dierum post baptismum ieiunium, & tormenta, & mortem, & sepulturam, & resurrectionem, & in cœlos ascensionem Christi domini, Spiritus denique eius sancti missionem, statutis ab ecclesia magistra temporibus, in festis illis conuentibus nostris, celebramus, quid aliud quàm capita fidei nostræ Christianæ singillatim quasi profitemur, & beneficia denique diuinitus in salutem nostram impensa nobiscum recolimus? atque vtinam, ita vt par est, recolamus. Quid Martyrum, quid Apostolorum, quid Euangelistarum, quid Confessorum, quid Virginum, quid aliorum sanctorum, in certos dies anni, conceptæ ab ecclesia feriæ, aliud sunt, quàm & eiusdem illius fidei nostræ adiumenta, & ad gratiarum actiones incitamenta, & exempla ad vitam Christianis legibus ac moribus instituendam & formandam proposita?

Cap. IIII.

Hæretici, cerimonias omnes aut tollunt, aut ſolo auditus ſenſu definiunt.

Hæreticorum nonnulli, omnes cerimonias reiiciunt; Quod non eſt ferendum.
Nonnulli eas ſolas retinent, quæ auditui tantùm ſeruiant; Quod reprehendendum.
Cantiones & cœnæ hæreticorũ, cantibus & miſsis catholicorum inferiores.
Contiones hæreticorum, contionib. catholicorum inferiores.



VM igitur omnia ſatis expoſuerimus, in quibus tantus, vt oſtendimus, & tã illuſtris eluceſcit catholicæ eccleſiæ ordo; ordo, inquã, ille, decus & ornamentũ ſingulare, totius eius, quod eſt in noſtra eccleſia, operis inteſtini: reſtat, vt hæreticarum quoq. eccleſiarũ ipſarum, in hoc eodem genere, rationem illam ſine ratione, & ſine modo modũ, & omninò quæcunq. eſt, omnem conditionem earũ, hoc loco iam excutiamus, & de ordine ipſo earum minime ordinato aliquid diſſeramus. Et ſanè quoniã de eo ordine, quem in perſonis ipſis ſpectari, quemque adeò trium ferè generũ eſſe, docuimus, verba facientes, vna iam eademq. opera, vno etiam & eodem, primo huius libri capite, breuiter, tam ea, quæ fierent apud catholicos, quàm quæ apud hæreticos gererentur, ſumus ꝓſequuti; de reliquorũ autem duorum illorum ordinum genere, quorũ omnis, partim in rebus, ſiue vocalibus, ſiue mutis, partim in temporibus, verſaretur ratio, nõ alia duobus proximis capitibus ſuperioribus diximus, quàm quæ ad catholicas tantùm cerimonias pertinere viderentur; agè dicamus nũc item duobus ſequentibus capitibus, de iiſdem illis cerimoniis

 Cerimoniæ hæreticor:

niis rursus, ea quidem, quæ ad hæreticos tantùm spectare videantur. Sic enim cõparationis illius, iam inde ab initio à nobis institutæ ratio requirere videtur. Incipiamus igitur, tum in genere de omnibus, tum in specie de vocalibus cerimoniis eorum. Nam de mutis ipsis sequenti demum capite agere constituimus. Hoc autem ipso loco ostendamus, primùm hæreticos illos ferendos profectò non esse, qui cerimonias in genere omnes, ab ipso ecclesiæ sanctæ ordine in vniuersum sine discrimine abdicare connitũtur. Deinde illos quoq. ipsos perperam facere, qui solas mutas reiicere, vocales retinere videntur: in quibus tamẽ ipsis, nihil sit apud eos, quod nostrarũ vocalium catholicarum cerimoniarum ordini, descriptioni, dignitati admirabili, vel cõferri saltem posse videatur. Principiò igitur, qui cerimoniarũ ipsarum genus omne, quas nos vniuersas, vtiliter in sensus ipsos, & magna cum pietatis accessione atq. incremento, posse influere diximus, omninò fastidíant, & à conuentibus ipsis Christianorũ facessere debere censeant, eos non satis omninò religiosos, imo verò nõ satis cautos neq. intelligentes homines, esse reputandos ostendamus. Sic enim planè hoc agere videntur, quasi in his terris, vel hac potius in infinitate vulgariũ ac popularium hominũ, quibúscum viuitur, cum solis viuatur perfectis illis viris planeque sapiẽtibus, qui sensibus corporeis, ad quos propemodum omnis cerimoniarũ vis & ratio referri solet, non egeant nec vtantur, spiritu tantùm solo ducantur ac regantur; & nõ plures potius sint inter nos, qui hauriendis cœlestibus in hac visibili ecclesia mysteriis, lacte magis quàm cibo solido opus habeant; vel, si qui sunt, q opus ipsi nõ habeant, quasi iccirco cæteros illiusmodi, quorũ semper longè maior est numerus, imbecilliores, & minus in earũ rerum exercitatione ꝓgressos, statim cõtemnere ac pro nihilo ducere debeãt: & quasi meminisse eos Apostolici in hoc genere exempli nõ cõueniat, qui omnibus omnia factum

 se esse,

se esse,noto illo epiphonemate gloriatur,vt omnes Christo suo lucrifaceret,& ad agnitionē veritatis ipsius tāto facilius adduceret. RECITA epiphonema. QVIS INFIRMATVR, inquit, ET EGO NON INFIRMOR? QVIS OFFENDITVR, ET EGO NON VROR? Ita isti, dum nimiū scilicet magni,in oculis leuissimorū hominum; nimiū perfecti in oculis imperfectissimorū volunt apparere, primùm ecclesiā ipsam vanitate orationis suæ dedecorāt,deinde infirmioribus ipsis offensioni sunt;ad extremū autem, pro perfecta illa,cuius opinionem venantur, sapientia, ridiculam nobis nescio quam sapientiā suam demonstrant, plenā ociosarum quarundā,nec cum natura hominis satis cōgruentium cogitationum;quibus cogitationibus illi, dū se modò miseræ ipsi plebeculæ,vtcunq. vēditent,quanta se apud deū, & bonos omnes, ignominia afficiant,quarū deniq. & quàm à Christiano pectore alienarum rerū cupiditate flagrare se interea ostendant,non attendunt. Christianorum enim profectò virtus propria humilitas est, non se efferens supra modum, neq. communia illa cæteris mortalibus diuinitus tributa beneficia fastidiens, priuata autē sola & præcipua ac singularia quædam, semper anhelans, aut verò eadem sibi arrogans, & interdum quasi præsentia adesse iam fingens; sed cōmunibus illis cōmuniter cū aliis contenta,ita priuatim vitam instituens,vt iis quasi cōmunibus insistens gradibus,sensim connitatur ad sublimiora illa,quæ sunt proposita homini Christiano ad perfectionem contendenti. Quæ ipsa,ipsos illos quos dico,præteruecta gradus, non conuellat statim eos, neq. demoliatur, sed aliorum quoq. studiis, atque æmulationi, eodem illo modo terendos relinquat: vt iis quasi fulcimentis connixi & ipsi,altius in dies in exercitio pietatis ascendere conētur. Hæc est illa Christianorū propria virtus humilitas. A cuius ipsius laudabili instituto, cùm longè aberrent isti, qui cerimonias ecclesiæ omnes, sua ipsorum dignitate quasi

inferiores

Cerimoniæ hæreticor:

inferiores esse existimant, fit sanè, vt eorum exquisita illa ac nimiũ elata sapiẽtia, & aliena sit ab animo ac professione Christiana, & excludatur planè à possessione bonorũ illorum, quæ sunt nõ alta sapientibus proposita, sed demissis atq. humilibus ipsis appromissa. Iustum ex fide viuere, scriptura ait; & fidem donum dei esse, eadẽ hæc ait: & verum est vtrunq. sanè quod ait. Quid tũ igitur? Túne iam, quæso, inani illo fidei nomine confestim superbies? & quia iustum ex fide viuere audias, tu te quoq. continuò & iustum esse, & ex fide sola viuere, existimabis? & quia fides, dei donum sit, idcirco tu te nulla audiẽdi verbi dei cerimonia egere iudicabis? Atqui & fidem ipsam interiorem, externa charitate niti, & eandem lege ipsa cõmuni, ex auditu verbi oriri necesse est; & verbum quoq. illud, quod audiri necesse est, prædicari quoq. necesse est; & quod prædicetur, id ab iis demum prædicari necesse est, qui sint missi. Hæc autem penè omnia, audiendi, prædicandi, mittendi nomina, ad cerimonias profectò pertinent, & sensibus ipsis externis diiudicãtur. Nunc si quis cõmunia hæc iura omnia migrare, & solos illos ἐνθουσιασμοὺς, ad fidem animo suo cõcipiendã, expectare constituat, nec interim charitatis operibus incũbere, audiendísue iis, qui diuinæ voluntatis nuncii atq. interpretes legitime ad nos mitti solent, vacare velit, nemo ꝓfectò nõ videt, quãto se is & scelere obstringat, quòd vsitatam illam & cõmunem dei gratiã ingratè aspernetur; & exponat periculo, ne deinceps, contempta cõmuni gratia, nullius priuatæ gratiæ capax esse queat. Sed de contẽptoribus cerimoniarum satis. Sunt igitur alii rursus, qui cerimonias, non iam quidem omnes in vniuersum ex ecclesia eiiciant, omnes tamen omninò, vnico auditus ipsius sensu definiant, ac circumscribãt: nec quicquam ferè in religione, admittant, quod in eorum animos extra auditũ influere posse videatur. Hinc est, quòd neq. templa ferè ædificent vlla, neq. tabulis ea & picturis instruant, neq. suffimentis cõpleant,

Cerimoniæ hæreticor.

cõpleant, neq. aliis ferè rebus, quæ ad reliquos sensus aliqua ex parte afficiendos pertineant, exornent: contiones modò & cantiones quasdam retineant; quibus aures tantùm ipsas vtcumq. oblectare posse videantur. Qui profectò etiam ipsi reprehẽsione vacare non possunt. Primùm enim si oblectationis gratia id faciunt, dupliciter mihi omninò falli vidẽtur; tum quòd ne assequuntur quidem id quod volunt, tum quòd etiamsi plenissimè assequerentur, non magnopere haberent tamẽ, vnde sibi magnam aliquã, aut rem, aut gloriam comparasse videantur. Ac non assequi illos sanè quod desiderent, palàm est. Etsi enim ipse, nec contionibus eorum penè interfuerim, nec cantiones in ecclesiis eorum exaudierim vnquam, quantum ex iis tamen, qui hæc nobis non solùm cum fide, sed etiã cum quadam synagogarum illarum laude referre adnitebãtur, intelligi potuit, equidẽ cõtiones eorũ frigidas planè & ieiunas esse cõperiebã, consutas ex ineptiis puerilibus, cõuitiis petulantib. calumniis minime Christianis: breuiter Philippicas potius quàm homilias. pleraq. enim omnia ex postillis modò Philippi hausta videbãtur, gustũ doctrinæ alicuius solidioris aut elegãtioris, gustũ pietatis, gustũ etiã comitatis saltẽ & humanitatis cõmunis nõ habebãt. Cantiones autẽ ipsas multò etiã frigidiores videbã esse, semisomnes videlicet totas, à somnolẽtis nescio qbus poëtis, furore de vino correptis, sine vlla arte aut venustate cõpositas, ab oscitãtibus etiã aniculis, nõ secus quàm ad fusum & linum decãtatas, & omninò vtrumq. horum nulla nec sermonis suauitate condítum, nec sonorum iucunditate aspersum, nec vtilitatis deniq. fructu temperatum; sed sic in vulgus populo obtrusum, vt ipsi quidem illi auditui eorum, cui id parari videbatur, si rudes ipsi essent, nullum operæprecium reddere, sin eruditi, nauseam planè & fastidium, non oblectationem párere videretur. Non igitur planissimè quod quærũt assequuntur; vt se rudi illo & incondíto cantionumúe

contionum-

contionumúe genere oblectare vlla ratione posse videantur. Quod tamen ipsum etiam si vt vellent assequerentur, quid tum quæso referrent inde? aut quod magnum ex eo operæprecium consequerentur, quòd in diuinis ipsis laudibus, nihil propemodum aliud quàm oblectationem suam quærere dicerentur? Iam si non oblectandi sui causa, sed pietatis & religionis suæ exercendæ gratia faciunt, vt omnia eiusmodi, solo auditu, vt dixi, definiāt ac metiantur, velim vt ad id mihi, quod breuissime dicā, breuiter q̃ maxime possunt respondeāt. Cùm enim deus Opt. & Max. auctor sensuum nostrorū, & omniū earum facultatū, quibus à prima ipsa nostra origine, abunde ab eo instructi & ornati sumus, omnes planè eas vires & facultates animi à se diuinitus tributas nobis, ipsumq. adeò totum nostrum animum, conferri à nobis voluerit ad se amandum & adorandū: quid sibi volunt, quæso, magistri isti imperfecti nostri? cùm cæteris quasi sensibus omnibus abdicatis, ab obsequio certè diuino amotis, audita tantùm ipsa obtrudunt nobis? imò verius, auditum ipsum obtundunt nobis, insuauitate illa cantuum verborumq. suorum, quibus nos, ad seruiendum deo viuenti factos, cæteroquin à seruitute eius auocant, & in quinta duntaxat eius colendi parte constitutos, contentos esse volunt? vel potius, deum ipsum quinta aut decima colendi sui parte contentum esse iubent? Quæ cùm ita se habeant, audebunt tamē isti, parum dulces musici & symphoniaci, parum etiam vehementes oratores ac concionatores, vastas illas, nec satis in eo genere excultas suas synagogas, cum illo templorum nostrorum ornatu & splendore eximio, vlla ex parte elegantiæ, vrbanitatis, pietatis denique ipsius comparare? Non illi, me iudice certè quidē, superiores vnquàm futuri. Contendant enim quantū volēt, & se in omnes victoriæ obtinendæ partes quàmmaximè possunt concitent, rumpentur tamen citius, quàm vlla ratione posse videantur ecclesiam sanctam adæquare. quid

re. quid dicam, ſuperare? Id quod vel ex fine ſaltem ipſo harum , quas dico, ſiue contionum, ſiue adeò cantionum etiam ipſarum, vtrinque conſiderando, liquidò cognoſci poterit. Quæ finis enim horariarum in eccleſia cantionũ eſt, aut etiam eſſe poteſt, niſi laudes ipſæ dei? Quæ ſacrificii,niſi placatio ipſa dei? Vtræ igitur laudes auguſtiores ſunt? illæné, quæſo, quas tu , vno aliquo certo tempore, ſemel, in diéne, an in hebdomada , an in menſe , an in anno,an in vita,an ne hoc quidem,deo ipſi perſoluas; an verò,quas eccleſia ipſa perſoluat eidem , ſingulis non magis diebus quàm noctibus,in certa horarũ ſpatia diſtributis? ex quo preces etiam ipſas appellauit horarias;horarias autem tam diurnas, ex quo vocabulum Diurnaliũ;quàm nocturnas,ex quo Nocturnorũ appellatio promanauit. Et illæné Dei laudes auguſtiores ſunt,quas tu,idiotarũ tuorũ lingua decantes ; an quas eccleſia perſonet , lingua ipſa omnibus occidentalis huius noſtræ eccleſiæ hominibus cõmuni? In quo ſanè illud ineſt manifeſti diſcriminis ; quòd , quiſquis fortè ex quacunq. mundi regione in templũ noſtrum tunc venerit , cùm hæc à noſtris decantentur ; is, ſi modò ſit in Chriſtianorũ aut ſcholis eruditus , aut eccleſiis enutritus, continuò,ex illo ipſo quod decantari audierit,& Chriſtianos nos eſſe agnoſcat, & deũ ipſum, lingua Chriſtiana ſibi nõ ignota à nobis adorari , ſine vlla cunctatione pronunciet: cùm interim idem ille,in veſtra illa veſtrarũ abominationũ templa ingreſſus, eueſtigiò ex diſſonis ſonis illis,& inconditis veſtris cãtibus ac numeris, aut barbaros vos eſſe, & tantùm nõ muſto madere, deputet, aut certè, quid vobis tandẽ velitis,planè neſciat: quorũ idiotiſmum illũ,à paucis omninò,idq. vicinis tantùm ipſis veſtris,aliqua ex parte intelligi intelligat. Et illæné dei laudes illuſtriores ſunt, quas tu tibi,tuúſue ille neſcio quis,nuper natus,nuper excogitauit,& nuper in ſynagogas iſtas veſtras inuexit; an quas eccleſia ipſa à LXX. viris de Hebræo ſermone dudũ cõuerſas,

iam

Cærimoniæ sacrificij hæreticor.

iam inde ab Apostolorũ ferè tẽporibus sibi adsciuit, & in suis sacris vsurpauit? Et illæné, quas vos, in illo vestro, deserto & profano, omnibus certè rebus sacris vacuo prorsus & inani tuguriolo, vtcunq. decantatis; an verò, quas ecclesia ipsa nostra, in illis suis augustis, &, vt sic dicã, ritè effatis ac legitimè consecratis templis ipsis, in ipsa illa, dico, sacrosancti corporis & sanguinis Iesu Christi præsentia visibili, & maximè exoptata, qua omnia tẽpla catholica mirificè honestantur, suscipit decantandas? Et illæné, quas vos homines, à charitate, à religione, à fide, à deo auersi, profani planè & vt plurimùm, ab omni diuinæ prouidentiæ sensu soluti, reddere vos deo existimatis, si modò id quoq. existimatis; an verò, quas ecclesia ipsa, benigna & fidelis mater nostra, & Christi dilecta sponsa, magno animo & spe certissima cõcinit? &, vt leuissime dicam, quas viri sacrati ipsi, quotidie tanquã pensum solent, pro munere officioque suo, domino deo persoluere? Atq. hæc ferè de prece & cantu, nostro ac vestro simul. Quid dicã de vtriusque sacrificij gratia & dignitate? cùm vos sanè sacrificiũ nullũ neq. habeatis, neque habere cupiatis? Sed fingamus tamen habere. Liberæ enim sunt cogitationes nostræ, Vtrũ tu igitur sacrificiũ deo esse acceptius existimas? tuúmne illud, quod nullum est; an verò hoc ecclesiæ nostræ sacrificium augustissimum, de quo olim æterni patris vox clara intonuit, & in eo complacitum sibi esse, memorabili illo edito oraculo, respondit? Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vtrum tu, inquam, deo ipsi placando sacrificium gratius esse censes; tuámne illam cœnam, nullis planè arcanis mysteriis commendatam, sed totam in vulgus sic proiectam; an verò nostrum hoc potius sacrificium, ex cœlestibus ac diuinis mysteriis conflatum, atque, vt videmus, arcanum planè totum? Et vt pressius etiam aliquanto loquamur. Tuúmne tu illud nescio quid, deo ipsi esse dices charius, quod diabolus ipse, cùm ad te aliquando, nocte, vt scribis,

Sacrificij hæreticor. concubia diuertiſſet, & in catholicum hoc ſacrificium noſtrum, quod tu ibi priuatam Miſſam appellas, acerbius quoad vellet inuectus eſſet, inſuſurrauit tibi; an verò nos, maiore cum ratione Miſſam hanc ipſam noſtram deo eſſe placando aptiorem aſſeuerabimus, quam Chriſtus dei filius verbis illis, Hoc facite in mei commemorationem, inſtituit; quam Apoſtoli, domino cooperante & ſermonẽ eorum confirmante, promulgauerunt; quam deus deniq. ipſe ſignis multis conſequentibus cõprobauit; & quam ipſam adeò, nemo bonus improbauit, niſi eclogarius ille quotidianus tuus, & facundus congerro diabolus? Qui cum iam inde ab initio ita factus eſſet, vt Chriſtum dominũ adorare neceſſe haberet, iubente ſcriptura. Et adorent eũ omnes angeli eius; & olim tamen, in illis Iudææ deſertis vltrò ſe ipſe ab eo carne conueſtito voluerit adorari; cùm diceret, Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me: & deinde apud te, in veſtris illis horribilibus noctium intempeſtarum conuiuiis atq. ſermonibus, auſus eſt aduerſus hoc ſacrificium ſanctum, impurum os ſuum, te vno auditore fretus, aperire, eiuſque adeò impietatis, & in ſacrificium ipſum diuinum blaſphemiæ execrandæ, auctorem ſe profiteri; quod non vlla alia creatura, non, ne tu quidem ipſe, qui toti mundo os oblinere non dubitauiſti, auſurus vnquam eſſe, niſi hoc vno auctore fretus, videbare. Sed de cantibus & ſacrificiis ſatis. Quid? contionum ipſarum tractatione, poterítne à vobis eccleſia noſtra adæquari? Finem obſecro ipſum contionum obiter inſpiciamus. Quem igitur alium finem eſſe dicemus contionum ſacrarum, niſi doceri primùm, deinde verò etiam ſuaderi ad iuſtitiam & incendi? Paulus hoc Apoſtolus duobus in locis egregiè videtur expreſſiſſe. Altero, cùm inquit. Omnia quæ ſcripturis
» ſacris continentur, tum ad doctrinam pertinere, tum verò
» ad patientiam & conſolationem: Altero autem, cùm ſcri-
» bit diſcipulo ſuo, Scripturam omnem ab altera parte tum

Cærimoniæ contionum hæreticar.

ad fideles docendos, tum ad infideles arguendos valere; ab altera autem, tum ad ea quæ praua ſunt corrigenda ac " emendanda, tum ad ea quæ difficilia & ardua ſunt, homi- " nibus perſuadenda. Primùm igitur; vtri docent rectius, " quæſo? noſtríne, qui à recta ipſa docẽdi & inſtituẽdi ratione, orthodoxorũ nomen meruerunt? an veſtri potius, quos Apoſtolus à peruerſa & præpoſtera eorum doctrina, & ſubuerſos ipſos eſſe ait, & ſubuertentes appellat? Vtri deinde mouent ac incendunt efficacius? Veſtríne illi, quorum contiones ſupinis ac oſcitantibus auditoribus plenæ ſunt; vbi nulla commotio nec animorum, nec corporum; vbi nemo hominum neq. ad peccati dolorem ſatis concitatus, neq. ad ſpem veniæ ſatis erectus, neq. timore gehennæ, vt par eſt, concuſſus, neq. adeò gaudio vitæ ſempiternæ cum aliquo ſenſu lætitiæ perfuſus vnquã eſt? vbi tantùm abeſt vt cuiuſquam animus inflametur, vt ne corpora quidem, ſomno ac tædio illius contionis affecta, poſſint excitari; breuiter vbi omnia ita frigeant, & in re, & in actore, & in ſpectatore ipſo, vt demptis epiphonematis & conuitiis illis in Papam & Papiſtas, quibus contiones illæ nimio plus abundant; dempta etiam illa, ſi diuis placet, doctrina veſtra, patribus ipſis noſtris inaudita, & tota ad ſeditionem comparata; ne verbum quidem de his audiuiſſemus vnquam. Hás ne tu igitur veſtras contiones, illis noſtrorũ hominum contionibus antepones? in quibus nos ipſi multorum ora, modò timore pallere, modò rubere pudore, & modò lachrymis ipſis affatim profluentibus rigari, ſœpe vidimus: in quibus crebra multorum ſuſpiria notauimus, frequentes gemitus notauimus, multas oris, multas pectoris percuſſiones notauimus: interdũ verò etiam; tanquam in publico funere complorationes animaduertimus. Quid prætere a? Veſtríne obſecro iſti pro contione, mouebunt aut inflamabunt quenquam ardentius, ex quorũ maximè inerti & frigida diſciplina, illiuſmodi fæces hominum profluxe-

Cerimoniæ contionum hæreticar. runt, quales & primo ipso eorum librorum nostrorum, vbi de sanctitate ecclesiæ catholicæ, & prauitate non catholicæ disputauimus, descriptos & adumbratos vidimus; & nunc hoc ipso infelicissimo sæculorum tempore, inter vos, atq. adeò iam etiam quodammodo inter nos, contagione morum istorum ac institutorum vestrorum contaminatos, reipsa experimur? an verò nostri potius, ex quorũ contionibus atq. institutis, tanquam ex equo scilicet Troiano, innumeri principes, singulari morum atque vitæ præstantia commendati, prodierunt? multi, quorum vita antea penitus erat à deo auersa, ad deum sunt conuersi. ex quibus postea pleriq. nouam planè vitam inchoarunt: qui propterea Incipientes sunt appellati; alij etiam id quod bene inceperunt, melius indies sunt prosecuti; qui sunt dicti, Proficientes: nonnulli autem quoque in eo stadio vsque eò sunt progressi, vt quantum maximè vita hæc nostra perfectionis capax esse potest, à perfectione ipsa non longissimè abesse viderentur; qui etiam ex eo Perfectorum sunt nomen & existimationem in ecclesia sanctorum consecuti. Quæ vobis quidem, hoc tempore vix nominibus saltem ipsis cognita esse videntur: nobis, ieiuniorum ipsorum, humicubationum ipsarum, ciliciorũ, flagrorum etiam sponte susceptorum austeritate, & deinde eleemosynarum ad profusionem vsque largiendarum abundantia, precum denique & obsecrationum ad deum allegandarum frequentia & feruore, in ecclesia nostra, magnopere sunt, an fuerunt potius, antequàm vos venissetis, & nouis vestris contionibus, nouum religionis & pietatis genus inuehere in orbem cœpissetis, commendata. Habes de vocalibus hæreticorun cerimoniis, ad mutas ipsas veniamus.

CAP. V.

Templa hæreticor.

CAP. V.

Hæreticorum templa, festa, cerimoniæ mutæ.

Hæretici nulla ipsi templa ædificant.
Locus Actor. Deus in manufactis non habitat.
Euang. Neque Hierosolymis neque in monte hoc, sed in (spiritu & veritate
Hæretici templa ab aliis ædificata non ornant.
Id faciunt tum contra officium suum.
Locus Psal. Domine dilexi decorem domus tuæ.
tum contra timorem diuini numinis.
Locus Euang. Domus mea domus orationis vocabitur.
Exempla duo recentia, de vi templorũ & ceremoniarũ catholicarũ.
Obiter de cerimoniis baptismi catholici.
De festis & calendariis hæreticorum.



QVoniam igitur de cerimoniis hæreticorum, tum in genere de omnibus, tum in specie de vocalibus, satis, capite superiore dictum esse videtur, iccirco hoc loco nec de his agemus quicquam amplius, nec de illis; agemus verò de mutis tantùm, idque etiam sic, vt à templis ipsis eorum, sermonem hũc nostrum auspicemur: si qua modò ratione, templa eorum aut esse possint, aut appellari, quæ, nec vlla sanè ædificantur ab ipsis; & quæ ab aliis ædificata sint, ea ita deformantur, vt nullum prorsus in eis, aut perquàm exiguum, templorum vestigium cerni ac spectari posse videatur. Docebo vtrunque suo ordine. Nostri enim, ad Centurionis illius, quem dixi, imitationem, templa sœpe multa, & quidem augusta admodum atq. magnifica, multis in locis erexerunt, multos etiam qui ea erexissent, dotauissent, ornauissent, sœpe ac multũ laudauerunt, in cœlum denique ipsum studiis & voluntatibus

bus ſuis ſuſtulerunt. Plenæ ſunt paſſim catholicorũ regiones & ciuitates, pleni pagi agriq́ue ipſi, plena oppida, plena compita, plena deſerta etiam atq. ab hominum frequentia remota, loca multa; plena, inquã, tum tẽplis ipſis, tum eorũ quoq. hominum laudibus atq. encomiis, qui ea primi aut fundauiſsẽt, aut decorauiſsẽt, aut locupletauiſsẽt. Excutite annales regnorũ, repetite memoriam rerumpub. Vix quicquã certius nominibus eorum cognoſcetis, qui ædem, qui templũ, qui fanum, qui ſacellum, qui oratoriũ deo Opt. & Max. vſpiam poſuiſſent. Hæc noſtri: Iſti autẽ, quos nulla, ex virtute vera petita laus accẽdit, nullum exemplũ mouet ad pietatis proditum imitationem, nullus vſus ad æmulationẽ prouocat earum rerum quæ auctori ac conditori noſtro deo deberi videatur: nullum ſanè per hæc omnia inſaniæ ſuæ & loca & tempora, templũ, vel ligneum ſaltem, aut ceſpititium, vel cubitale tantùm aut palmare, extruxerunt: aut ſi extruxerunt, dicant id apertè quæſo, nec nos diutius in tantarum rerum ignoratione verſari patiantur. Sed nimium eſt, ſacrum requiri à profanis. Dicant igitur vel illud interim, quot domos ſaltem profanas, ad hãc ſuam ſuperſtitionem, vel exercendam, vel tradendã, ſiue ipſi exædificauerunt, ſiue ære ſaltẽ ſuo comparauerunt. Vnam fortaſſis ex omni noſtra memoria, aut alteram, profanam domum proferre poſſunt, quam, non illi quidem ædificauerint, ſed à catholicis profanis hominibus, ad profanos vſus ædificatam, emerint ipſi, & ad ſuas deinde religioſas illas profanitates conuerterint: ſacram certè deóue dicatam ædem eorum ſumptu, aut exædificatam ad eam rem, aut ſaltem fuiſſe vnquam comparatam, vix reperiemus vllam. Alienis illi & ſumptibus & laboribus, ad ſuam libidinem & arrogentiam & furorem abutuntur; & totum illud erraticæ opinionis ſuæ virus, ex emendicatis priuatorum quorumcumque ædibus, aut certè ex direptis ac ereptis templis ipſis noſtris, olim ad noſtram & tuendam & conſeruandam

Templa hæreticor.

uandam & propagandam catholicam religionem, à maioribus nostris excitatis & consecratis; nunc eheu ad istorũ blasphemias & execrationes deformatis & profanis factis, eructãt ac erumpunt. Tanta est fucorum istorum ignauia, non in domos vtique suas alienos labores conuehentium, sed in ipsis planè alienis præsepibus eos deuorãtium. Atqui in media eiusmodi impietate sua, etiam faceti scilicet esse ac videri cupiunt; verba illa scripturæ sanctæ perperam à se repetita, peius etiã vsurpantes, quibus ille ipse excelsus ac præpotẽs deus, cuius sedes cœlũ est, terra autem scabellum pedũ ipsius, neq in manufactis habitare, neq. aut Hierosolymis, aut in monte illo Samaritanorũ proprio, sed in spiritu tantũ & veritate, rectè adorari, dicitur. Quibus planè verbis ipsis, cum videant deum ipsum, per omnem rerum naturam intentũ & commeantem, & in omnibus vigentem ac relucentem, nullo certo loco, neq. mansionem ipsam suam, neque adorationem quoq. sui, concludere omninò voluisse; periniquè sanè faciunt, cùm illum aut nusquam esse, qui vbique sit, aut nullo in loco adorari debere, cuius gloriam tellus vniuersa cœlique adeò ipsi plenissimè personare videantur, existimari volunt. Cùm verò audiant, spiritu ipsum & veritate coli velle, eáne de causa ipsi, nullũ ipsius colendi locum extare volent? nullum ipsi extruere cupient? nullum ab aliis extructum, æquis oculis aspicere sustinebunt? O pietatem hominum insignẽ, ô acumen eorum singulare. Patet igitur quod volumus, templa ab iis ædificari nulla, eludi omnia. At dices. Illa tamen quæ ab aliis ædificata essent, omnibus rebus ad ornatum instrui ab istis ac perpoliri. Quis est quæso parasitus hic tantus, qui hæc sibi tam turpiter imperauerit assentari synagogis istorũ, in quib. præsertim synagogis omnia sine ordine, sine decore, sine imagine, sine vllo denique dei signo atq. vestigio sic relicta ab iis esse conspiciat, vt aræ etiã ipsæ, sanctissimæ ibi quæ erant, quasi haræ ab istis factæ, templa verò in stabula

bula propemodũ alta ferarũ, & tantùm non in ſpeluncas latronũ commutata eſſe videantur; nulla penè neque officii illorum, neq. adeò diuini metus ipſius habita ratione. Videamus enim hoc loco, quæſo, quantum in hoc genere Dauid ipſe rex & propheta, diſtare voluerit officiũ ſuum, à more & cõſuetudine iſtorum. Qui poſtquàm acerbiſſimo illo, vt antè diximus, aduerſus malignantium eccleſiam concepto odio, altare ipſum domini, arctiſſimè ſe eſſe dixiſſet, præ illa ſceleſtorum hominum colluuione, complexu-
„ rum, conſilio quidẽ, quod ſtatim ibidem ſequitur, audiendi
„ vocem laudis, & enarrandi vniuerſa mirabilia dei; protinus animo alachri & læto, & ad id quod dicturus eſt erecto planè ac incitato, exclamat, illud quod nõ ignoramus. DOMINE DILEXI DECOREM DOMVS TVAE, ET LOCVM HABITATIONIS GLORIAE TVAE. Sic enim loquitur vir, non ad iſtorum ſcilicet modulum, in piis ac ſalutaribus animi exercitationibus verſatus. Tu noſti, inquit, pater ſumme, quàm mihi cordi ſemper fuerit decus & ornamentum omne ſacratiſſimi fani tui: quòd eo quidem loci reſidere mihi videretur, ſingulari quadam & peculiari ratione, laus & gloria ipſa nominis tui ſancti, Dilexi, dilexi decorem domus tuæ. Nec verò eum decorem dilexit tantùm, ſed etiam & eximiũ, & ſplendidum, & omninò in omni genere excellentem, animo ſuo habuit impreſſum & obſignatum. Deſcripturus enim aliquãdo elegantiam illam, & quaſi mundum muliebrem earũ fœminarum, quæ in beata & bene lauta domo atq. familia procreatæ, quaſi ad pompam educantur; ab ipſo ſanè templi ornatu, deſcriptionis illius ſimilitudinem mutuari non dubita-
„ uit. Filiæ, inquit, eorum vndique ornatæ ad ſimilitudinem
„ templi. Vt ita apertiſſimè oſtenderet nobis, templa ipſa diuina ſingulari quadam & excellenti ratione, ornari oportere: quæcunq. verò tandem ſint ædes illæ, quæ ornatũ aut nullum habeant, aut quotidianum non excedant, eas

non

non rem, non nomen, non deniq. templi ipsius similitudinẽ vlla ratione tenere posse. Atque hæc quidem Rex & propheta Dauid. Isti autem tanto Dauide inferiores, ad officiũ profectò suũ minimè pertinere arbitrantur, quid templis ipsis fiat, omniq́. adeò ornatu ac cerimoniis eorum; & omninò quicquid de templis ipsis, deq́. eorum cultu ac ornatu dici audiunt, id totũ futile prorsus esse ducunt; imò si qua templa ab aliis ædificata sunt, ea non ornant; si qua ornata, & donis vasisq́. necessariis instructa, ea despoliant; & sic omni decore nudata vel negligũt prorsus, vel in prophanũ planè vsum adducunt. Quod cùm faciunt, non iam mihi solùm officij sui, vt dixi, sed etiã eius qui deo debebatur timoris, planè obliti esse videntur. Quid enim dicant, aut quid agant, quæso, si eundem illum dominum Iesum Christum, quem olim Iudæi semel atq. iterum, ob eandem hanc causam, minaciter ad suas ipsorum scapulas funiculis senserũt perstrepentem, ipsi nunc quoq. tertiùm sentiant? vetus illud elogium, denuò magna cum animi sui libertate depromentem, & maxima vocis contentione in ipsos detonantem. DOMVS MEA, inquit, ô hæretici, DOMVS MEA, DOMVS ORATIONIS VOCABITVR. Domus orationis vocabitur: erat igitur vestrum, inquit, in hac orationis domo orare potius, quàm quod penè dixerim, arare; & domũ ipsam, quæ mea esset, modis potius omnibus ornare, quàm in ea tam fœdè errare, vt inter hanc, & domum quamlibet profanissimam, nihil admodum interesse videatur. Atque hoc sanè ita vestrum erat, si modò aut officij vestri ratione duceremini, aut nominis deniq. mei, siue beneuolentia teneremini, siue verecundia vlla. Vos autem perditi homines & profligati, domo ipsa mea, quæ orationi potissimùm erat dedicata, abuti non dubitauistis, pro antro ferarum & spelunca plusquàm prædonum ac sicariorũ; quorum crudelitas omnis, in exagitandis modò ac diuexandis corporibus consumitur; cùm vestra immanitas, ne animorum quidem

Templa hæreticor.

 ipsorum

Templa hæreticor.

ipsorum peste atq. interitu possit satiari. Ad quas profectò domini voces tam horribiles, quid isti quæso dicerent, aut quò se tandē verterent, si hæc eiusmodi tela aduersum se à Christo domino vibrari, & quasi fulmina verborū, magna vi animaduerterēt cōtorqueri? Nisi si fortè illud expectent, verbo nihilo mollius, suis verò ipsorum fœdis factis etiam dignius. ITE MALEDICTI IN IGNEM AETERNVM, QVI PARATVS EST DIABOLO ET ANGELIS EIVS. Ostendi igitur, nec tēpla à bonis istis viris ædificari vlla, nec ornari, nec quæ pro templis, ab ipsis habeantur, templa posse vlla ratione deputari. Quo minus sanè miror, annis paulò superioribus, cuidam propinquo meo, homini catholico vsu euenisse; qui puer etiamtum, cùm fortè fortuna in istarum hæreticarum synagogarum vnam, ex priuatis ædibus deformatam, cerimoniis cassam, inornatam etiam de more & incomptam, & omninò templis catholicis, quibus ille assueuerat, dissimilē, fuisset præter spem suam derepente, ab istis hæreticis introductus, interrogatus ab iis, quid illi templum, in quo astaret, templique illius rationes viderentur. Quas, malùm, rationes, inquit, aut quod templum narratis mihi? Nam hic quidem vbi sum, in caupona verius quàm in templo versari mihi videor. Apagete cum templo vestro. Et continuò se proripuit foras. Quem eiusmodi pueri quasi diuinitus afflati sermonē liberum, magnus euestigiò multorum ex illo cœtu, tam virorum quàm mulierū, qui tum fortè visendi gratia eò cōuenerant, nō solùm applausus, sed etiā repens ex synagoga illa discessus est consecutus. Contrà autē æqualis meus quidam qui paulò antè in domino iam obdormiuit, cùm in illo hæreticorū luto, totus, à multo tempore hæsisse videretur, hoc sibi ferè principium explicandi sese, & ad veram antiquæ religionis viam reuertendi fuisse, scribit, in exponenda illius consilij sui ratione, quòd templa catholica adire, cerimoniisque catholicorum sensim ac paulatim,

quamuis

 Templa hæreticor.

quamuis ab initio quidem non ſatis ex animo, intereſſe & communicare incœpiſſet. Quod deinde incœptum ſuum, ad ipſum vſque vitæ ſuæ exitum conſtantiſſimè vrſit ac tenuit; exitumque illum ſuum, catholicis ipſis cerimoniis, ſub extremum vitæ finem, more maiorum vſurpandis, maximo animo, fruſtra obnitentibus hæreticis obſignauit; homo cœlo dignus. Cuius ego ipſius, cùm hoc loco in mētionem inciderim, vbi agitur de cerimoniarum ratione, libenter ſanè hîc apponam ſermonem quendam meum, quem mihi aliquando, de baptiſmi ipſius catholici cerimoniis, cum illo interceſſiſſe memini: qui ſermo ipſe haud ſcio an occaſionem etiam illi aliquam dederit, illius quaſi poſt liminiò reditionis eius, ad eccleſiam noſtram, pridem ab illo relictam ac neglectam. Quod ipſum hoc etiam magis neceſſariò facere videbor, quòd ea res hæreticorum repræhenſioni, aliqua ſaltem ex parte ſatisfactura eſſe videatur; qui cerimonias mutas, nec adhibent ferè ipſi ad ſacra ſua, nec à nobis dicunt neceſſe eſſe adhiberi. Sic igitur ille olim. Memini te aliquando, inquit, in nobili illa actione tua, cùm filium viri præſtantiſſimi, ad ſacrum fontem, pro tuo præsbyteri officio, aqua baptiſmi eſſes perfuſurus, obiter, antequam ad opus ipſum accederes, rege ipſo præſente, copioſè admodum diſſerere, omnes illas, quibus tum ipſe vtebare, baptiſmi catholici cerimonias ſacroſanctas, eò potiſſimum pertinere, vt eis, vis ipſa & ratio baptiſmi penitior vniuerſa, luculenter planè expreſſa eſſe videatur. Quē ego tunc ſermonem tuum, inquit, cùm & ex oculis omnium in te vnum magnopere coniectis, & ex gratiſſima illa admurmuratione, ſatis approbari ab omnibus animaduerterim, ipſe qui longius aſtabam, non omninò exaudierim, peto à te hoc tempore, vt ea mihi ipſa, quæ dixiſti tum, iteres; & quid in vniuerſum de cerimoniis illis ſentias, liberius aliquanto depromas. Atque ego ibi ſtatim, ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίων, quod dicunt. Baptiſmum, inquam, ipſum ſcis

 eſſe

esse à Paulo Apostolo vocatum lauacrum regenerationis. De quo ipso, est etiam illud Christi ipsius domini ac salua- „ toris nostri, ad Nicodemum. Nisi quis renatus fuerit, in- „ quit, ex aqua & spiritu sancto, nõ potest ingredi in regnum „ dei. Est igitur, quod vides, baptismi ipsius vis & ratio penitior, regeneratio ipsa. Quod cùm ita sit, equidem ecclesia ipsa, quo verbo interiorem ipsam baptismi vim & facultatem, intelligit diuinitus adumbratam esse & expressam, id ipsum vt ipsa quoque, exterioribus suis in baptismi ipsius actione, cerimoniis vsurpatis, exprimat atque repræsentet, vniuersamque illam intimam baptismi sancti vim ac rationem, quæ regenerationis est, quàmmaximè explicet, maximè mihi elaborare videtur. Cuius ego consilium in hoc genere, ita tum mihi in illa, quam adesse cernebas, corona, videor exposuisse.

Cùm regeneratio ipsa, auditores, dicebam, atque adeò cùm vocabulũ ipsum regenerationis, duo mihi præcipua continere videatur: vnum, prioris cuiusdam generationis abolitionem, & mortem denique ac interitum quasi quendam (prima enim generatione manente, secunda sequente minimè ferè esset opus) alterum, destructæ illius & extinctæ iam atque abolitæ generationis prioris, restauratione͂ rursus ac reparationem quandam. (Nisi enim id quod extinctum & abolitum erat, repararetur ac instauraretur, certè extinctum illud & abolitum, neutiquam videretur regeneratum.) Cùm hæc, inquam, ita se habeant, hoc agit modis omnibus ecclesia magistra nostra, vt vtrumq. hoc, ipsis baptismi sui cerimoniis, primùm in sensibus, deinde autem multò magis in animis fidelium repræsentet. Primùm igitur prioris generationis illius, qua filij iræ procreamur, abolitionem, illo mihi arcani cuiusdam sermonis genere, ad aures nostras palàm adhibito, satis exprimere videtur, cùm conceptis verbis præire solet nobis, in illa ipsa baptismi cerimonia sacrosancta; vt Sathanæ, peccati auctori renunciemus;

nunciemus; vt pompæ eius renunciemus; vt operibus & actionibus ipsius omnibus renunciemus: Quæ cùm facit ecclesia, satis planè ostendit, homines baptismo ablutos, mori peccato, mori carni, mori mundo, mori diabolo, mori illis, quibus ipsis incurritur ira & offensio dei magni, actionib. eorũ: hoc autem est, aboleri planè in iis generationem illam priorem, peccato inquinatã. Deinde autem, post hanc prioris generationis ad eũ modum abolitionem factã, auspicatur deinde ecclesia restaurationem quãdam, eius ipsius abolitæ generationis. Quæ ipsa restauratio est veluti noua vita quædam; cùm reiecto atque abiurato vetere domino, qui nos pressit iugo cuiusdam seruitutis sceleratæ, nouo nos domino ecclesia addicit, eique fidem nostram deuouet: dum nos illis secretioribus verbis, illo mystico & mysteriorum plenissimo adigit sacramento. Credísne tu, inquit, in deum omnipotentem, patrem, filiũ, spiritum sanctum? Quasi dicat ecclesia. Spondésne tu ac promittis, fidem tuam integram & constantem te esse ad mortem vsque seruaturum, ei ipsi domino, cui te ego hoc tempore addico? & cui ipsi tuam seruitutem honestam ac liberalem despondeo? deo, inquam, patri filio & spiritui sancto? Ad eam autem interrogationem dum respondemus, Credo: vel, volo: iam tunc nouam vitam, apud nouum dominum, vel voto saltem ipso auspicamur; priori vitæ illi aduersam planè atque contrariam. Atq. ita duobus illis ritibus in speciem humilibus, explicat ecclesia quàm breuissimè, totam ipsam interiorem vim & rationem baptismi ipsius sacrosancti: quæ est Christianis hominibus firmiter tenenda, & cogitatione etiam atque etiam identidem repetenda. Sed quoniam id officium, cùm & renunciare Sathanæ, & in deum iubemur credere, soli inter sensus auditui, præstare videtur ecclesia, & quidem vocali potius cerimonia ipsa quàm muta, iccirco deinceps, aliis etiam sensibus pro rata parte cõsulere in hoc genere cupiens, ad alias se

Cerim. bap. contra hæreticos.

âs se multò plures, omnibus iam sensibus communes, sed mutas quodammodo cerimonias conuertit. Et cùm videat, totum illud regenerationis sacramentum reconditum, duabus potissimũ rebus à Christo domino esse definitum, aqua & spiritu sancto (dicente domino. NISI QVIS RENATVS FVERIT EX AQVA ET SPIRITV SANCTO, NON POTEST INTROIRE AC NE VIDERE QVIDEM REGNVM DEI) quarum rerũ vtraque eiusmodi est, quæ ambas illas, quas dixi, regenerationis partes, tum vetera demoliendi, tum noua instaurandi, cõpræhendat. (Nam vt aqua, & abstergendis maculis apta est, & corpori simul reddendo nitido idonea; sic spiritus ipse, & compũctionis ipsius spiritus est, vetera ita demoliens, vt qui vident non videant; & fortitudinis spiritus est, qui sanè ita noua instaurat, & ita infirmitates nostras adiuuat, vt cùm adsit, magna cum fiducia ac fructu animorum nostrorum, & dominum Iesum pronunciare, & deum ipsum Abbam, hoc autem est, patrem appellare non vereamur) Cùm hoc, inquam, vtrumque videat ecclesia, vtrumq. sanè in baptismo, ad exprimendã melius ipsam regenerationis rationem retinet, & aquam, & spiritum ipsum sanctũ. Cæterum cùm eorum ipsorum alterum tantùm sensibus subiectum esse intelligat, (ea autem est, aqua ipsa) alterum autem, qui est spiritus sanctus, sub sensum cadere non posse perspiciat; maiorem autem multò spiritus ipsius vim esse, sine aqua, quàm aquæ sine spiritu sentiat; iccirco id vnicè dat operam, vt, cùm mysterium ipsum regenerationis, ægrè admodum, hominibus animalem vitam viuentibus (sic enim eos interpretor, quos scriptura Græco verbo ψυχικοὺς appellat, eos scilicet, qui vix quod vident credant) persuaderi posse existimet, spiritumq. adeò ipsum, vt dixi, nec præsentem attrectari, nec vnde veniat videri, nec omninò qui sit, vllo sensu percipi posse intelligat, homines etiã iis rebus quæ sub sensus nõ cadant, parũ admodũ permoueri videat; præterea autẽ

omnium

 Cerim. bap. contra hæreticos.

omnium intereſſe magnopere iudicet, myſterium illud regenerationis, quod baptiſmo ipſo conficiatur, non modò perſuaſum, ſed etiam quàm ſœpiſſime haberi meditatum; illud, inquam, faciendum ſibi eſſe exiſtimat, vt ad aquæ ipſius elementum illud viſibile, in baptiſmi ipſius cerimonia fideliter retentum, complures alias viſibiles, in locum ſpiritus ipſius inuiſibilis, cerimonias ſubſtituat; quibus id quod intereſt, baptiſmum ſcilicet veram eſſe in aqua ac ſpiritu regenerationem, & ſenſibus efficacius imprimeretur, & ex eo, animis etiam ipſis hominum tenacius inſigeretur. Quæ ſunt autem eæ cerimoniæ, quæſo? Animaduertite obſecro, dicebam; & quàm ſint ad partus ac generationis ipſius imaginem exprimendam peraccommodatæ, cognoſcite. In quo ipſo velim hoc loco pauliſper vobiſcum memoria repetatis, idem illud quod aliquando D. N. Ieſus Chriſtus, de muliere parturiente, vſurpandum ſibi eſſe exiſtimauit, dum ita diceret in euangelio Ioannis. MVLIER, inquit ille, CVM PARIT, TRISTITIAM HABET, laborem habet, anxietatem habet. Illam igitur mulieris parturientis triſtitiam, anxietatem, laborem, cum hoc labore, anxietate, triſtitia conferte, quam cerimoniis ſuis imitatur & exprimit eccleſia noſtra, baptizando: vt eam videlicet parturire, tanto facilius, ex iis cerimoniis, quaſi quibuſdam certiſſimis indiciis, poſſitis cognoſcere. Quid enim non facit eccleſia, in illa baptiſmi cerimonia ſacroſancta? dum ſe ante omnia, in perſona hominis ſacerdotis, pro foribus templi cōſtituit, & in angulum veluti quendam abdit ac retrudit. Qui quidem ſacerdos eo loci, ſtat & demittit ſe; accedit & recedit; genua ponit & reſurgit; ſeque in omnes quaſi partes vertit: dum eum qui baptizandus eſt, exorcizando alloquitur, dum exufflat in eum, dum ſputo ipſum linit, dum crucis ſigno frontem, os, pectus illius terit, dum aures & nares illius aperit, dum eadem de re toties ipſum rogat, & omninò conquieſcere non patitur: dum eum nunc manu

Nn attrectat,

contra hæreticos.

attrectat, nunc ſtola operit, nunc ſale condit, nunc aqua aſpergit, nunc luto quaſi macerat. Atque idem ille ex veſtibulo deinde illo, ad fontem baptiſmi progreſſus, nunc veſtibus baptizandum expoliat, nunc oleo perungit, nunc aquæ immergit, nunc hoc, nũc illud cum eo agit. Ecquænám puerpera, Chriſtiani quæſo, dicebam, tot tam mirificos geſtus, in ſuorum partu liberorum vnquam edidit, quot & quàm mirificos ſolet, vt videtis, quotidie edere eccleſia hæc ſancta mater noſtra, ad baptiſmi ſui ſolennitatẽ? Quid ita, quæſo? illa maximè, vt videtur, de cauſa; vt ſpeciem, imò vt ſpiritum ipſum generationis atq. partus illius interioris, oculis ſuorum fideliũ, quantum maximè poteſt, repræſentet; menteſq. eorum in certa regenerationis ſpiritualis fide, conſtituat ac confirmet. Et hæc quidem illa, dum parit. Quid, vbi pepererit? id autem eſt, vbi baptizauerit? Idem videlicet hic quoq. facit quod puerpera. Sic enim de puerpera, idem ille Chriſtus dominus, eodem in loco illo. Eadem, inquit, illa mulier, quæ in partu ipſo triſtitiam inſignem præ ſe tulit; vbi pepererit, non iam amplius meminit priorũ illarũ ſuarum anguſtiarum & dolorũ; ſed effunditur neſcio quomodo gaudio quodam ſingulari, & ſe ad nouã quandam hilaritatem cõponit, eò quòd hominẽ cernat natum eſſe in mundum. Cõſimilẽ igitur ad modũ mater noſtra eccleſia ſancta, vt primùm nos deo ipſi peperit; ablutos aqua ipſa in nomẽ patris, & filii, & ſpiritus ſancti, eueſtigiò geſtus illos angoris cuiuſdam & quaſi perturbationis plenos relinquit, eorumq. planè obliuiſcitur; pro quibus ipſis, tota in gaudiũ quoddam conuerſa, & aliquot inſignia verba præfata, induit nos cõfeſtim veſte illa pura atq. alba, verbis illis vtens maximè efficacibus, & perpetua memoria digniſſimis. ACCIPE, inquit, VESTEM HANC CANDIDAM, QVAM PVRAM ET IMMACVLATAM PERFERAS ANTE TRIBVNAL IESV CHRISTI DEI TVI. Quid aliud? Etiam. Tradit accenſam lampada in manus noſtras, ſuæ illius lætitiæ

 Cerim. bap contra hæreticos.

titiæ monumentum; quòd videlicet hominem peperisse se per baptismum intelligat, non iam mundo, aut carni, sed vitæ ipsi beatæ atq. immortali. Et, ACCIPE, inquit, LAMPADA ARDENTEM ET INEXTINCTAM, QVA CVM POSSIS DOMINO IPSI AD NVPTIAS VENIENTI MATVRE OCCVRRERE; ET CVM RELIQVIS SANCTIS EIVS, IN AVLAM ILLAM COELESTEM RECIPI, VBI PERPETVA QVAEDAM LVX EST, IGNARA TENEBRARVM ET NESCIA OCCASVS. Hæc ferè tunc ego, inquam, in corona illa ad templi postem. Nisi quòd ad extremum, duo ferè addebam verba illa. Liquere omninò ex iis quæ dixi, causam non esse, mea sententia, cur cerimoniis tantorum mysteriorum plenissimis, ab hominibus salutis suæ minime inimicis obstrepi debere videatur; quod ipsum hodieq. ab hæreticis fieri videmus. Atque hactenus ego sanè cum bono viro illo; quæ mihi hoc loco causam cerimoniarum catholicarum defendenti, non immeritò interserenda videbantur.

Sed nos ex hoc longiusculo quasi quodã interuallo, ad intermissa redeamus; & quod ex propositis tribus ecclesiæ catholicæ ordinibus, videtur etiam superesse, tertium porrò illum malè conciliatum hæreticorum ordinem, qui in temporibus est, excutiamus; ac festa ipsa eorum parũ fausta, cum festis catholicæ ecclesiæ comparemus: vt videamus tandem, rerúmne duntaxat & personarum cerimoniæ fallunt hæreticos, an verò temporum etiam rationes apud illos ita sunt institutæ, vt nostro in hoc genere catholico ordini admirabili æquiparari nulla ratione posse videantur. Principiò enim, temerariis ipsis ausis suis, vix vllũ festorum atq. profestorum discrimen dierum videntur in ecclesia reliquisse: deinde autem, totum illum ordinem, qui in ipsis rectè ac ritè descriptis ac dispositis, ecclesiæ catholicæ fastis & calendariis, luculentissimè hactenus conspiciebatur, ita videntur conturbasse, vt qui eos sequantur, non amplius in

Crim. bap. contra hæreticos.

Christi Iesu recenti ac vigenti ecclesia, sed in illa dudum iam obsoleta & vieta Mosis ipsius synagoga, versari etiamnum videantur. Pro Christi enim Dei nostri feriis, quibus apud nos, memoria veræ redemptionis, liberationis, iustificationis & sanctificationis nostræ, per ipsum partæ, iugi atque perpetua anniuersaria ecclesiæ quasi recordatione renouatur, Iudaicas nobis res gestas, verarum feriarum nostrarum figuras & imagines obsoletas, ac sine Christo non solùm inanes, sed etiam pestiferas, reponunt. Deinde verò pro antiquis nobilissimorum martyrum nominibus, qui nobis fidem ac religionem Iesu Christi, & verbo, & re; & vita, & morte; & tum prosperis ipsis ad voluntatemque planè fluentibus rebus suis, tum eisdem rursus, in acerbissimam omnis generis cruciatuum perpessionem adductis, tanquam signis certissimis ac fidelissimis appositis obsignarunt; in horum, inquam, locum, suorum nobis nescio quorum nouorum martyrum nomina proponũt: quorum alius huius, alius illius criminis damnatus ferè est; omnibus autem, vt hæreticis, vita publico iudicio est adempta. Quorum equidem exempla si cæteris ad vitandum proponi in synagogis eorum poterant, ad commemorandũ certè proponi in ecclesia catholica non debebant. Tantum enim abest, vt incitamentum aut fomentum vllum religionis ac virtutis contineant; quæ certè prima esse debebant in eo genere; vt extinguendæ potius ac euertendæ religioni seruire planè videantur. O ordinem inordinatissimum. O non ordinem, sed ordinis ac rationis totius perturbationem, & confusionem summam. Verùm quoniam omnia hæreticorum studia eiusmodi sunt, quæ delendis atque è medio tollendis bonis rebus omnibus nata esse videantur, nos iam ea omittamus; deinceps autem ædificij nostri ecclesiastici fastigium conscendamus, idque etiam, vt proposuimus, perlustremus.

ANDR.

 Fructus hæretic. et catholicor.

ANDR.
PATRICII NIDECICI
DE ECCLESIA VERA ET FALSA.

LIBER V.
Qui est de fastigio ædificii ecclesiastici.

CAP. I.
Catholici religionem inter ethnicos etiã propagant.
Hæretici inter ethnicos nullam, inter Christianos tantùm impiam serunt.

Fastigium ædificij ecclesiastici est flos ipse ac fructus ipsarum religionum vtrinque.

Fructus hæreticorum sunt, omnia conuellere ac demoliri conari.

Hæretici, ad ethnicos, plantandæ religionis causa non eunt; inter catholicos impietatis plantandæ causa manent.

Locus euang. de superseminatis zizaniis, & de prophetis, qui veniunt ad nos.

Hæretici penè Mahometani sunt.

Hæreticorum κυρίαι δόξαι *absurdißimæ, ac cum auctorib. ipsis repudiandæ.*



Ensim iam ad ipsum ecclesiastici ædificii nostri fastigium, oratione nostra vtcunque delineandum peruenimus. Ex quo quidem fastigio cùm omnis ecclesiæ ipsius ratio ita effloreſcat, vt non solùm speciem quandam illustriorem repræsentare, sed vt etiam fructum quasi quendam bene maturum, earum quæ hactenus an-

Fructus hæretic. et catholicor.

tegressæ sunt, siue cōsitionum, si ecclesia hortus est, siue substructionum, si est, vt nos quidem esse hoc maximè libro volumus, ædificium, exhibere videatur; perficiendum profectò nobis est, vt ex eo fastigio, hoc autem est, ex fructibus istis tam catholicæ ipsius ecclesiæ, quàm hæreticarum synagogarum, penitius vtrasque earum, in omnes partes cognoscere posse videamur. Hoc igitur eiusmodi fastigium vbi coloribus quibusdam nostris vtrinque adhibitis adumbrauerimus potius quàm depinxerimus, tum extremam sanè operi ipsi institutoq́ue nostro vniuerso manum imponemus. Quando igitur libro superiore concludendo, omnia hæreticorum studia, omnesq́ue eorum molitiones & conatus, ab omni ordine alienos, & ad omniū bonarum rerum destructionem & euersionem institutos esse, quodammodo significauimus; ostendamus hoc ipsum hoc loco vberius, & quidem non tam genere quàm speciebus quibusdam ipsarum rerum sic notandis, vt hoc ipso capite, vna indiuisa opera, & hæreticos ipsos bonis rebus omnibus insidiari, & catholicorum ipsorum hominum studia & conatus, bono semper publico addictos & destinatos esse, doceamus. Omninò igitur genus hoc hæreticorum hominum, bonis rebus communibus euertendis natū, infestum certè quidem atque inimicum, in hoc vno est fuítque semper, vt nusquam quicquam boni nec plantent ipsi, nec ædificent, nec extruant; sed ibi etiam, vbi fortè aliquid eiusmodi plantatum iam ab aliis, & extructum ac inædificatum inuenerint, ipsi non modò non conseruent, sed etiam dedita opera conuellant statim, & deiiciant ac demoliantur. Planè vt ipse etiam ille magister eorum & propheta, verissimè quodam in loco scriptum reliquerit, eos qui sine missione, ad docendi munus euangelij temere prorumpunt, non solùm non proficere quicquam, sed etiam venire planè accinctos, ad mactandum & perdendum quicquid inuaserint. Incipiamus enim à leuioribus. Numerate quæso,

Christia-

Fructus hæretic. & catholicor.

Christiani, ecquam vrbem, præclaris eorum in remp. studiis positam ac fundatam esse inueniatis: nullã inuenietis. Numerate, ecquam artem, ad vitam hominũ necessariam, eorum industria adinuentam, auctam, in honorem adductam comperiatis: nullã comperietis. Numerate, ecquas ab iis, bene aut viuendi aut sentiendi reperiatis latas leges: nullas reperietis. Numerate, ecquos satos mores castos aut pudicos: nullos. ecquam pudoris ac verecundiæ disciplinam constitutam: nullam. Euersores sunt isti vrbium, osores artium, hostes legum, pudicitiæ ac verecundiæ capitales inimici. Quid hæc igitur apud eos frustra quærimus? Sed hæc mittamus, ad quæ perdenda isti nati sunt; & ad ea veniamus, ad quæ plantãda, augenda, ornanda, factos se esse profitentur. Vultísne, quæso, videre studium eorum in religione, & ardorem illum singularem, quem ipsi omnibus suis gerendis rebus videntur præseferre? vultis, inquam, videre zelum eorum, non modò non secundũ scientiam, sed etiam secundum impietatem singularẽ? Attendite quæso attendite, & nouum in religione, planorum atque impostorum genus animaduertite; qui se tamen germanos Apostolos, & Paulos ipsissimos volunt perhiberi. Quid enim Paulus? Ad- «
nitor, inquit, prædicare euangelium; non ibi quidem vbi «
antea iam nomen Christi Iesu insonuisset, ne videlicet super «
alienũ fundamentum ædificem; sed sicut scriptũ est, inquit. «
Quibus non est annunciatũ de eo, videbunt, & qui non au- «
dierunt, intelligent. Isti autem, Pauli scilicet germanissimi, «
& Apostoli ipsissimi, quid? Quid? Non vnquam ferè eò pedem mouent, vbi idola eiiciant, & ad Christum Deum barbaras gentes conuertant; quod nostri tamen & fecerunt hactenus semper, & hodieque in extremis Indiis, maximo cum religionis catholicæ incremento, & singulari illorum Indianorum hominũ fructu faciunt: sed ibi demum de industria pedem figunt, vbi Christum, impressum iam multò antè à nostris in animis fidelium & obsignatũ, ex mentibus eorum

Fructus hæretic. et catholicor.

eorum exterminent. Quos mihi ſanè pſeudoapoſtolos eiuſmodi, videtur Christus Ieſus voluiſſe adumbrare, primùm in parabola illa, vbi narrat, inimicum hominem, facta iam in agro ſemente per patremfamiliâs, veniſſe eodem, & zizania item ſua ſeminaſſe; nec verò vtcunque ſeminaſſe, ſed etiam, vt ſignificātiore vocabulo vtens ſatis indicat, ſuperſeminaſſe: ſuperſeminaſſe autem quoq. non vbiuis, neque alio in loco vllo, quàm in ipſo illo dominico agro eodem, in media, dico, ipſa tritici ſegete illa; idq. etiā feciſſe ipſum, non tam vt zizania vlla meterentur, quàm vt ne modò triticum ipſum incorruptum meti poſſit. Non eſt igitur, non eſt, quòd quis iſtos illis in locis quærendos exiſtimet, in quibus, fibras prius infidelitatis euellere, & ſtirpes ſcelerū extirpare, deinde ſurculos fidei atque iuſtitiæ inſerere, opus ſit; ſed ibi potius quærendi ſunt, vbi quæ bene conſita ſint, ipſi male perdant; & vineam ipſam domini Sabbaoth vindemient atque depaſcantur. Hoc primùm. Deinde deſignauit eos dominus, non iam quidem in alicuius vmbra parabolæ, ſed in verbis ſanè illis, prima fortaſſis fronte tectioribus, cæteroqui maximè apertis & maximè ſignificantibus; quæ me aliquanto antè recitare memini, dum videlicet oſtenderem, dominum ipſum falſis deſcribendis prophetis, diligenter præcipere, cauendū eſſe, primùm ab illis qui non mittuntur. ſed veniunt ipſi; vt iam diximus: deinde autem, quod modò dicendū pariter & expendendum eſt, cauendum eſſe ab his, qui veniunt, non quidem in remotas vllas aut longinquas & barbaras regiones, regni Deo & Chriſto acquirendi & conſtituendi gratia; ſed ab iis, qui veniunt AD VOS, AD VOS, inquit; qui eſtis iam regnū dei: Quid enim aliud iſti agere, aut quid etiam moliri poſſunt, dum ad vos veniunt, quàm vt & rempub. quidem veſtram bene ordinatam permiſceant ac perturbent, & vos ipſos adeò exteriore illa ouina ſpecie deluſos, in fraudem inducant, & inductos mactent tandem pro arbitrio atq. perdant. O præclaros

Fructus hæretic. et catholicor.

claros religionis magistros, ô sacrorum custodes eximios, ô conuersionis ad Christũ duces & auctores maximè idoneos, qui per hæc omnia istius euangelij sui tempora, ne vnum quidem, ex misera illa & infami Iudæorum recutitorum colluuie, ad Christum vnquam adducant; & non modò nullũ vspiam ex gentibus ethnicis & profanis proselytum faciant, non modò eius causa & maria & terras non obeant, (quod tamen Iudæos quoque ipsos factitasse, ex historia ipsa sacra discimus) non modò hoc nomine manum non vertant, non modò vel minimum saltem eius rei gratia digitũ non commoueant; sed etiam, si quem fortè diuis iratum, & à catholica iam tùm religione sua sponte auersum Christianum, quos solos ex omnibus venari videntur, suis quandoq; laqueis incautum irretiant, non cœlo illum inferant, non ecclesiæ alendum committant, sed inferno illum confestim Ereboque destinent, & gehennæ, prò dolor, filium constituant. O dignos inprimis homines, ob quos orbis hic terrarum vniuersus, à solidis illis ecclesiæ catholicæ fundamentis recedat; quorum gratia, & firmos ipsos eiusdem ecclesiæ catholicæ parietes aspernetur, & tecta illius permunita fugiat, & denique veteri ipsi ac constanti, & perpetuo ipsius ordini, atq. adeò sacrosanctis auitarum cerimoniarũ institutis renunciet, seque protinus in hanc tantam rerum omnium confusionem, & cùm religionis ipsius, tum salutis quoq. suæ gurgitem, atq. voraginem, viuus, quod aiunt, vidensq. præcipitet. O præclaros religionis magistros. Quorum planè studium illud est vnicum, vt fixa modò inter catholicos vbicunq. immani illa sua cathedra ac pestilenti, principiò Iesum Christũ ipsum, in cuius vnius nomine, Deus propositam esse voluit omnium vitam & salutem, procul tum è finibus Christianorum abigant, tum ex orbe ipso terrarum eiiciant; atq; hoc ipso deinde, proh scelus & dedecus temporum nostrorum, Mahometo ipsi, homini & vita & doctrina teterrimo, viam

sternant. Quid autem? nunquid studio id tantum suo mōliuntur? an etiam successu perficiunt? Certè non fallit eos ne successus ipse quidem. Tantos enim, proh dolor, in hoc turpi admodum & flagitioso stadio suo, & tam turpes ac flagitiosos progressus iam fecerunt, vt plerisque eorum, nihil propemodum, præter præputium, ad Mahometismum obstare; nihil etiam, præter Sarracenicum illud capitis inuolucrum, deesse, quidam nostratium non dubitauerit profiteri. Ita sunt corpore quidē & externo solo habitu Christiani, animo autem toto, penè Mahometani dudum facti. Penè, dico; imò planè & animo & corpore Mahometani facti. Sunt enim, qui in hoc miserando Antitrinitariorum curriculo eousq. processerunt, vt & præputium sibi resecare, & caput Sarracenico tegmine operire, & professione ipsa, Turcæ prorsus fieri non dubitauerint: seque adeò eundē tamen cum istis aduersariis nostris deum colere, eandem cum istis fidem ac religionem profiteri, asserere non vereantur. Quem quidem eorum sermonem, bonis omnibus horribilem, deo etiam ipsi planè aduersum, audiuisse se aliquando in Transyluania, de Turca quodam ex Christiano facto, retulit ad me nuper amicus meus, vir pereruditus; atque hoc ipsum tunc sibi incitamentū fuisse dixit, ad suscipiendam cogitationem reditionis suæ ad ecclesiā nostram, ex qua ferè migrasse dicebatur. Quod si qui sunt ex istis tamen, qui corpus adhuc à Mahometismo integrum conseruarunt, cæteris tamen profectò rebus omnibus, non nimium se alienos esse demonstrarunt. Quantulū enim tu quæso, à Mahometanis abesse eos dices, qui omnia religionis Christianæ septa transiliisse, qui frontem egregiè perfricuisse, qui eò deniq. impietatis videntur deuenisse, vt inter præcipua religionis suæ arcana, illud iam auribus suorum fidelium insusurrare non dubitent: Non est Deus, non est Deus. Hos tu, inquā, quantulum mihi, quæso, à Mahometanis abesse dixeris. Hem quid dixi? Imo verò quantū tu hos,

quæso,

Fructus hæretic. et catholico

quæso,& quam nimium, à Mahometanis ipsis distare pronunciabis? qui blasphemo tantum & impuro in deum sermone, germani vtcunque Mahometanorū videri possunt; at verò vita ipsa & moribus,religionem Mahometanorum ac pietatem ne assequuntur quidem. Ita & Mahometani sunt isti sanè,& hoc etiam Mahometanis deteriores,quòd non solùm in deum contumeliosi sunt, sed etiam virtutis ipsius & honestatis existūt inimici. Quære enim ex iis, quid de vsu imaginum sentiant; idem propè quod Mahometani respondebunt. Quære,de Christi ipsius natura? idem. Quære de Dei trini essentia? idem: quære de cæteris plerisq. religionis nostræ mysteriis? idem,idem. Nisi quòd Mahometani tamen nunquàm Deum negauerunt. At verò de bonorū operum æstimatione, fructu, mercede, &,quod caput est, studio,si quæras ab vtrisq;, longè profectò istorum impietatem à Mahometistarum superstitione videbis superari. Nimirum qui male viuit, is deum vindicem non odisse non potest: qui autem deum oderit,is ne Christum quidem, expressam dei & verissimam imaginē, is denique ne illas quidem à pictoribus adumbratas, dei & sanctorum imagines amare potest. Ita qui malè viuit, quique honestatis amore non capitur, is dei diuinarumque adeò imaginum omnium amore teneri non potest. Verissimum enim est, & prudentissimè obseruatum vetus illud, Varronis opinor; certè ethnici cuiuspiam, & à Christi quidem religione alieni, à veritate autem non auersi. "Signa deorū, tum sacra esse hominibus desiisse,cùm homines ipsi facti essent sacri; hoc autem est, impij & scelerati. Quod totum quidem vt hoc magis, in his de quibus loquimur, hæreticis nostris, verum esse agnoscamus, & ineptissimos eos esse, ad Christi Dei nostri inter barbaros prædicandam religionem, planissimè intelligamus, operæprecium sanè est audire paulisper ipsorū inter ipsos κυρίας δόξας: vt ex eorum sermone videlicet, vitam etiam illorum aliqua ex parte odorari, & deinde, quis gu-

Fructus hæretic. et catholicor.

ſtus apud barbaros, tam vitæ quàm ſermonis eorum futurus ſit, ſi ſe ad eos conferant, certius iudicare poſſimus. Audiamus igitur illas eorũ κυρίας δόξας. Putes aut Origenem ſcilicet quempiam verba facere, aut Paulum Apoſtolum, aut angelum denique de cœlo ipſum. Tenéſne, inquiunt, formulam orandi à Chriſto propoſitam? Teneo, reſpondet ille. Tenéſne decalogum? Teneo. Tenéſne ſymbolum Apoſtolorum? Teneo. Bene habet, inquiunt, ea fides ſola te iuſtificat. Vade in pace. Nihílne amplius? quærit ille. Heus tu, inquiunt, Videſis, ne quem ſanctum in vota voces, neue ſubſidio tibi compares, Mariæ etiam ipſi ne aue quidem dixeris. Feceris enim ſcilicet contra orationis ipſius formam à Chriſto promulgatam. Probè mones, inquit. Sed eſtne præterea quod me velis? Videſis etiam, inquiũt, illi, vt, quod ad decalogi quidem præcepta atq. inſtituta attinet, tria hæc omni adhibita diligentia obſerues. Vnum, vt imagines ſacras, ipſius etiam Ieſu Chriſti affixi cruci, ſignum atq. imaginem ſalutarem, tollas de templis & triuiis, & omninò vbique locorum demoliaris. Hoc eſt enim primum & maximum mandatum in lege. Secundum autem ſimile eſt huic. Meas & meorum imagines ac ſtatuas, vt conſerues. Tertium palmarium eſt. Nulla vt ſit ſexta feria, qua tibi fas eſſe putes ab eſu carnium abſtinere. In hoc enim vno, vniuerſa lex pendet, & prophetæ. Teneo ait iſte. Sed quid amplius? Etiam inquit. Neq; enim in hoc ſacroſanctarum inſtitutionum genere ſilentio prætereunda ſunt, quæ ad ſymbolũ ipſum fidei pertinere videantur. Dabis igitur præterea operam, vt peccatorum remiſſioni, quam verbo in ſymbolo profiteris, certiſſimè incumbas. Incumbendi illam vnicam eſſe rationem memineris, vt peccatis te atq. flagitiis omnibus præſtes quàm maxime coopertum: ne ſecus ſi feceris, iam tu mihi quidem nec remiſſione peccatorum, nec Chriſto denique ipſo, quicquam egere videare. Nunquam igitur neq; vigiles, neque eſurias, neque ſitias, & tamen nun-

Fructus hæretic. et catholic.

men nunquam te somno, cibo, potu explere ad satietatem negligas : nihil etiam in omni vita eximium habeas, quod non aut cupiditate inuoles tua, aut rapacitate corrumpas, aut ingluuie deuores; aut turpitudine contamines, aut petulantia saltem carpas vtcunq; ac delibes. Nunquam neq. sustineas, neq. abstineas; non facias, sed ne facere quidem in animum inducas tuum : quæ enim re ipsa necessaria non sunt, ea ne voto quidē ac desiderio necessaria esse possunt. Itaque vota sanè eiusmodi rerum minus necessariarum, prorsus quantum potes fugito, aut ne reddito certe quidē, bonas etiam actiones ipsas omnes pili ne facito. Sunt enim profectò pannus menstruatæ mulieris, spurcus totus, & in Dei conspectu lutulentus. At illud quod dicemus, mundū est & elegans, sermo fidelissimus, & omni commendatione dignissimus. Da ventri quod vult: Neque enim quod intrat in os, inquinat hominem. Da his quæ sub ventre sunt. Quæ enim parum distant nihil distare videntur. Laxa laxa carni lasciuienti habenas, & claustra illa ac repagula votorum quantumuis solennium & sanctorum securus perrumpe. Vouisti castitatem Deo : hoc nihil est ; melius est nubere quàm vri; ducito vxorem. Quæ ipsa deinde, si quando tibi non statim præstò fuerit, agedùm veniat ancilla. Tum ille alter. Hem desine, inquit; omnia hæc seruaui ab adolescentia mea. Estné præterea quod desit mihi? Si vis perfectus esse, inquiunt, vade, & quàm potes, maledic Papis, Papistisque omnibus. Hæc summa ferè est totius instituti eorum, & hoc fastigium omnium mysteriorum, quæ vnquam ex istorum schola in hanc mundi ac naturæ vniuersitatem profluxerunt. Rudimenta religionis verbo vtcunq. teneto. Religionem omnem ludum iocumque habeto. Diuos omnes contemnito. Sacras imagines euertito. Nunquam ieiunus remaneto. Nunquam quicquam deo voueto. Quæ voueris, ne soluito. Si qua ex voto dederis, feceris, vel repetito, vel rapito, vel infecta reddito. Aut vxorem ducito, aut ancil-

lam aduocato. Papis Papiſtisque omnibus quàmmaximè potes maledicito. Os impudens. Hæccine eſt tua illa magnifica prophetia, quæ loqui debebat hominibus ædificationem, exhortationem, conſolationem? Hæccine vis eſt & ratio tuæ illius, quam tantopere vrgere ſoles, ſcripturæ? Quæ quidem ſi diuinitus, vti videri vis, fuiſſet tibi inſpirata, equidem valere debuit, non ad laxandos frenos impudicitiæ ac petulantiæ hominum, ſed ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo dei, & ad omne opus bonum inſtructus. Hanccine tu ergo fidem Scythiæ, hanccine Thraciæ, hanccine cæteris rudibus ac barbaris nationibus prædicabis? quarum certè omnes ad vnam, longè vincunt, ac ſuperant impuram iſtam tuā fidem verecundia ſermonis. Tuis iſta, tuis aſotis & delicatulis illis martyribus domi occine; his ſolis te, tuumque eiuſmodi dogma vendita; qui cùm te audiunt, non tam fidem profectò abs te haurire geſtiunt, quam operibus & factis dudum abnegarunt; quàm latebram modò & perfugium qualecumque inquirunt ſcelerum ac nequitiæ ſuæ, & vitæ prorſus in omnem licentiam effuſæ ac diſſolutæ. Barbararum quidem & immanium gentium conuerſionem ad Chriſtum, noſtris relinque; & hanc palmā nobis concede, vt quorum maiores in omnem terram quondam digreſſi, ſono vocis ac prædicationis ſuæ, paſſim Chriſto domino tanquā colonias deduxerunt, nos eorum poſteri, eadem illa maiorum illorum noſtrorum veſtigia relegentes perſequamur; & hoc ipſo veros nos atq. legitimos eorum liberos ac hæredes declaremus, ſi Chriſto ipſi domino quàmplurima & quàmremotiſſima, de cōuerſis ad eum populis ac nationibus trophæa excitemus ac conſtituamus. Ego enim cùm mecū barbariſſimam iſtam tuam, & omnium immaniſſimam, non religionem, ſed religionis, & honeſtatis, & omnium virtutum corruptelam perpendo, & cum animo meo conſidero, barbariam

Fructus hæretic. et catholicor.

bariam equidem in toto terrarũ orbe nullam tantam esse statuo, quin te, vbi modò illam, quod tamen nunquam facturus es, adeas, euestigiò ad primum ipsum conspectum tuum, cum hac tua spurcissima ac sceleratissima omnium doctrina, aspernetur, & omnibus decretis atq; edictis suis proscindat, & denique procul à finibus suis arceat, & ad inferos vsque ipsos, ad ipsam illam, dico, sceleratorum regionem eiiciat ac releget. Atque hæc quidem barbari. Nos autem, qui Christianis orti parentibus, liberalissimè ad omnem ciuilem & honestam ac deo dignam vitam instituti sumus, vsque adeóne, contra & nominis, & generis, & professionis & naturæ institutionisque nostræ rationem insaniemus, vt istos aut recipiendos vlla lege, aut verò æquis saltem auribus audiendos esse existimemus? Non opinor. Quos enim quæso audiam? aut quos recipiam? Illos sine dubio, quos deus ipse auersatur, lex condemnat, ciuitas reiicit, barbaria respuit, infernus expectat.

CAP. II.

Successus hæreticorum.

Etiam successus religionum, rationem fastigij in hoc ædificio obtinere videtur.

Religio vtrum sit ex successibus æstimanda.

Infausti successus hæreticorum.

1. *In animis eorum ipsorum, quòd & rationem amiserint & secũ ipsi pugnent.*
2. *In naturalibus præsignificationibus eorum.*
3. *In rebus publicis eorum.*
4. *In dignitatibus & honoribus eorum.*
5. *In consilijs, & studijs eorum.*
6. *In statu ipso eorum.*

Dixi



Ixi de fastigio doctrinæ ac disciplinæ partis vtriusque simul; & vno quidem capite superiori proximo vtrunque ostendi, primùm hæreticorum conatus ipsorum, eò propemodum esse intentos omnes, vt exagitato quàm maximè Papa ecclesiæ præside, Christum ipsum, pro quo ille præsidet, & cuius vices ipsas in terris gerit, atque administrat, per illum exagitent; nomenq́; adeò & religionem eius, non modò, vt oportuit, ad barbaros nō deferant, sed etiam, quod non oportuit, ex terris & prouinciis Christianis, cum vita ipsa iusta, casta, sobria, pudica, pia, exterminent & proscribant: deinde eodem illo capite ostēdi, vetus illud ac perpetuum catholicorum omnium studium, ne nunc quidem in nostris extinctum esse; ita Papam Romanum venerari, vt ipsius imperio, & hic quidem hæreticis obsistere, & ad rudes etiam quasuis ac barbaras nationes, si opus sit, proficisci, ibique Christi numen gentibus illis prædicare, & religionis eius rudimenta palàm proponere, neq. arduum, neque non necessarium, neque adeò à professione ipsa nostra alienum esse existimemus. Hæc vtraq. capite, vt dixi proximo, ostendimus: & quidem sic ostendimus, vt intelligeretur fastigium ecclesiæ catholicæ, & quasi eminens signū quoddā, quò potissimùm velit ab omnibus collimari, Christum Iesum esse; fastigiū autem synagogarum hæreticarum esse ferè Mahometum: & si quid est Mahometo aut doctrina tetrius, aut moribus impurius. Quorum singuli ita singulis astant culminibus templorum suorum, vt facilè, cui quodq; templum dedicatum sit, vno aspectu cognosci posse videatur. His igitur ita absolutis, expendamus nunc iam, &, vt antea cœpimus, conferre porrò singulis etiam capitibus pergamus, successus ipsos & exitus partium singularum: qui quidem veluti vexilla sunt quædā singula, in manibus patronorū illorum singulorū,

pro

 Successus hæreticor.

pro fastigio posita & collocata, vt videamus statim, & cum animis nostris consideremus, quæ sint res, quibus quisque eorum beare cultores ipsos suos soleat, & quæ præmia sint, quæ aut statim polliceatur accedentibus ad suam seruitutem, aut pro meritis deinde ipsis reipsa largiatur. His enim atque eiusmodi rebus solent animi hominum plus minus ad hoc vel illud sequendum vel fugiendum, agendum vel omittendũ, incitari. Omninò igitur etsi veritas & fides religionis cuiusuis, nõ est principiò à successibus, aut prosperis, aut aduersis, deducenda; & catholicæ sanè religionis ratio, suis est & certissimis & maximè propriis firmamentis, aliàs ab aliis comprobata, vt his successuum adminiculis minimè egere videatur; iuuat tamen vel ad illorum firmamentorum soliditatem, vel ad voluptatem etiam quandam animorũ nostrorum, hæc ipsa successuum in vtramq. partem commemoratio, quibus Deus Opt. & immortalis, hinc veritatem suarum cerimoniarum, diuinitus nobis iampridem traditarum, semper est prosequutus, illinc impietatẽ nuper inuentarum opinionum, ex animo se auersari, assiduè demõstrauit. Principiò. Tritum profectò illud esse nõ ignoramus, diuinam ipsam vindictam, in exigendis suppliciis ab hominibus sceleratis, his, vt plurimùm, gradibus procedere solere, vt ante omnia mentem illis eripiat, quorum sceleribus paulò pòst pœnam sit inflictura. Multis id in rebus per omnem sæculorum decursum, testatum est factũ: & certè nisi rem ipsam euentus ipsi maximi, insignibus admodũ subsecutis documentis, creberrimè comprobassent, nunquã eius sermonis vsum consuetudo ipsa communis recepisset, nunquam receptum tantisper retinuisset. Prima igitur quasi pœna, cùm omnium improborum hominum, tum eorum maximè, qui ingratissimis suis animis religionem Dei. Opt. & Max. aut ex animis hominum student euellere, aut in animis ipsis corrumpere adnituntur, illa est, quòd omnibus istiusmodi, & sensus communis ab-

latus, & lumen ipsum rationis naturalis ademptum penè diuinitus esse videatur. Quod quidē hoc loco ita positum, superius exemplis aliquot & rationibus sic planum est factum, vt facile appareret, istos, dum curiosius, impio ac scelerato animo, imaginē mysteriorū diuinorū in libris sanctorū Bibliorū perlustrant, totos lymphatos factos, subitò vaticinari quodammodo & furere incepisse. Ex quo ipso sunt illa, primùm ἀσυσάτα eorum, quorum paulò antè obiter memini. A liberis omnia geri, vt à seruis: ab hominibus, vt à pecudibus: à viuis, vt ab inanimatis: ab optimis, vt à nequissimis. Deum autem ipsum, fontem bonorum omnium, omniū esse scelerum socium, administrum, auctorem. Quæ sanè illi omnia, si nos Christianos, si viros bonos, si liberos, si homines, si viuos deniq; existimassent; imò si seipsos rationis compotes existimari voluissent, nunquam equidem hiscere ausi essent. Ex quo deinde ipso, sunt etiam illa propemodum infinita, vel vnius Luteri ἀντικείμενα, ipsis illius ipsius dictis pugnantia. Modò enim ait, necessariam esse sumptionē eucharistiæ ex præcepto ecclesiæ. Modo neminem esse ad eam obligatū. Modò, vtramq; speciē videri nō necessariam. Nō modò enim non peccari vnius speciei participatione, sed etiam parum admodum referre, sub alterutra sumas, an sub vtraq;. Modò rursus, vtramq. speciē tam necessariam videri, quàm ipsam Christi Iesu confessionem. Alioqui vna specie participāda, & cōscientias hominū grauari, & ipsos in abyssum detrudi. Modò. Vtramq; speciē, si necessaria sit, à concilio esse expectandam. Modò rursus. A singulis, siue Episcopis, siue parochis, posse in ecclesiam induci: à concilio autem non esse acceptandam etiamsi cōcederetur. Quæ puerilis sententia tam inconstans vnquam visa est, vt sunt diuini istius prophetæ dicta sibi inuicē opposita? Quæ ego sanè hoc loco ideo omnia non recenseo, quòd eorum maximam copiā ex ipsius libris decerptā, breui editurus esse dicitur vir eruditus: vt inde facile peti possint. Ex

 Successus hæreticor.

ſint. Ex quo præterea illa ſunt, an fuerunt, eiuſdem illius Luteri, moribundi an furibundi effata, veſanorum ſimilima, de Pontifice Max. Paulo III. quondam vſurpata. Paula, non Paulus: Papaſinus, Papaſina: Paulaſinus, Paulaſina: & cætera eiuſmodi: quæ mihi planè bacchantium eſſe videntur, & tantùm non hominũ mente captorum. Ex quo deniq; ipſo, impia illa & ſacrilega ſceleratorum hominum dicteria, ſunt profecta, quibus conantur imagines è templis, ſanctos è cœlo, miſſam ex eccleſia proſcribere: corpus Chriſti ex ſacramento tollere, Chriſtum ipſum de ſinu patris Dei excutere, Deum deniq; ipſum ex hac mundi vniuerſitate, quaſi opificẽ ab ipſo ſuo opere, amoliri. Quibus ipſis dictis fœdiſſimis cœlos quatiunt, purgatorium ſubruunt, infernum ſtabiliunt, Sacerdotes vxoribus nectunt, labium vnum ſacrorum in eccleſia Latinorum confundũt, ſpeciebus euchariſtiæ eccleſiam exagitant, vota ieiuniaq. omnia omnemque adeò honeſtam ac Deo dignam vitam, foras, vt ſic dicam, eliminant. Quæ ipſa quidem hominibus ſanis ac ſobriis, maleſanorum ac furioſorum hominum deliria planè videri neceſſe eſt. Quæ nos vbi collegerimus, nihil magnopere mirabimur, ſi in tanta, quantam dixi, inconſtantia, vel potius inopia, quod dixi, rationis, bellum ſecum ipſi; bellum exitiale, crudele, ferum. ſecum ipſi autem, non partes ipſæ inter ſe, ſed planè ſecum eorũ quiſque gerunt, vt iam diximus. Quæ quidem ſi quis penitius conſideret, velim hoc loco duobus verbis doceat nos, quid aliud furere eſt, ſi hoc non eſt, aut qui furor excogitari poteſt, qui ſit cum hoc furore comparandus: quæ pœna, quæ ſit cum hac cõferenda. O ſucceſſus religionis expetendos. O euentus, vitæ ſcilicet ac ſalutis iactura comparandos. Sed pergamus porrò aliquantum, in his eorum ſucceſſibus expendendis. Atq. hoc iam quidem loco repetamus, ſi lubet, omnes ab initio hæreſes, & conſideremus cum animis noſtris, quæ terrarum eluuiones, quæ concuſſiones, qui hia-

tus, quæ exustiones, quæ sterilitates, quæ siccitates, quæ aquarum inundationes, qui grandinum impetus, qui ictus fulminum, quæ aëris pestilentiæ, quæ vermiũ & bestiarum copiæ, quæ annonæ caritates, quæ seditiones, quæ bella, quæ clades, quæ portenta deniq; partuum monstrosorum, quæ item horum omnium, siue causæ, siue nuncij horribiles, cœlestes diurnæ nocturnæque halonum, cometarum, pogoniarum nescio quorum, & reliquarum lampadum atque ardorum aëreorum apparitiones, singulas propemodũ hæreses aut præcesserint semper, aut statim fuerint subsequutæ: quæ si numerare vellem, dies me deficeret, nec iucunditatis ferè quicquam nostra habere oratio videretur. Illud & certum est, & sine contentione vlla affirmari potest, quòd quemadmodũ illa, quæ dixi, omnia, hæresim quamlibet penè præcesserũt, ita eandẽ rursus tot fatalia rerump. incommoda, tot fœdæ regnorum illorum, in quibus modò hæreses viguissent, non iam conuersiones, sed euersiones sunt consecutæ. Testis, olim quidem Græcia; quæ diu hoc isto hæresum malo sic vexata fuit, vt nullis disputationibus sedari, nullis conciliis refrenari, nulla ciuili lege coërceri, nullo legitimo magistratu ad officium adduci; dicam plenius & verius, nulla re nisi barbarici dominatus iugo mansuefieri potuisse videretur. Testis, auorum nostrorum memoria, vicina Boëmia; quæ Hussiana hæresi concitata, cùm reges etiam ipsos suos, magnis status & conditionis eorum regiæ periculis inuoluisset, vixdum ipsa hactenus potest respirare. Quid dicam de Germania, domicilio imperij Christiani? quæ nostra iam hac ætate, à cerco illo benedicto maledicendo, ad Augustos vsq. suos Cæsares bello diuexandos progressa, & sectarum innumerabilium voce, tanquam seditionis flabello quodam agitata, omnia, tam in ecclesia, quàm in rep. tentauerit, polluerit, violauerit: & nisi dominus custodiuisset ciuitatem, etiam propemodum euerterit. Mitto Britanniam, Hungariam, duo regna nobilissima;

 Successus hæreticor.

dissima; quæ conturbatis religionibus, vix iampridem domesticam pacem, ocium, libertatem, tueri possunt: dignitatem quidem & splendorem illum veterem in perpetuū penè amiserunt. Belgium & Gallias intueamur: litteris, ædificiis, mercaturis, armis, viris, opibus, prouincias paulò antè ornatissimas, nunc bellorum deinceps ac tumultuū domesticorum, ex varietate religionum ortorum, incommodis, sic attritas, vt vix agnoscas easdem illas esse. Quod si iam ex imperiis, regnis, prouinciis, cadauera propemodum imperiorum, regnorum, prouinciarū, facta esse videmus, hac ipsa hæresum immanitate tanta, profectò quid singulis hominibus inde expectandum sit, vnde in vniuersos tanta calamitas ingruerit, facile intelligi potest. Sed hæc quidem interea mittamus. Illud tantum quod dicam, rogemus eos, cuius, non dico, bonitatis naturæ, sed planè, cuius tandem animi esse putent, respublicas ipsas (quæ sunt quasi naues quædam, quibus delatum hominum genus, in hoc orbi vehatur vniuerso,) tot bellis, quasi per ludum & iocū, concutere, tot tumultibus exagitare, tot premere calamitatibus, tot mortibus & exitiis inuoluere? & deinde in eiusmodi quasi funere ipsarum, ridentes exultare? Non sic quidem ille qui dixit, homo ethnicus, sed vir bonus, & fidei plenus: Cum ciuitatem, inquit, & remp. ita constitutam esse oporteat, vt æterna sit, non potest sanè videri illius interitus vlla ex parte naturalis. Alioqui, si ciuitas, inquit, si resp. si regnū, si imperium, tollatur aliqua ratione è medio, deleatur, extinguatur, simile mihi quodammodo videtur, ac si omnis hic mundus, eodem labefactatus motu, planissimè concidat. Hæc ille. Verùm nos fingamus iam istos, rebuspublicis æquiores, ipsarum incolumitati consulere: videamus modò, quàm honoratas eas esse velint, quas conseruarunt; & quanta eas gloria excellere, quantis ornamentis abundare cupiant. Aut verò, ipsa illa doctrina eorū, intueamur, quæso, quam secum dignitatē, quod decus, quam nominis cla-

 ritudinem

ritudinem illis rebuſpub. afferre ſoleat, in quas aliquando incubuit. Et breuiter conſideremus, eſtné reſpub. eſtné regnum, eſtné ciuitas, eſtné domus, eſtné familia, eſtné quiſquam omninò hominum, qui propter hæreſim, aut auctus vnquam veris honoribus, aut vllis verè ſecundis rebus ornatus ac nobilitatus ſit. Ego enim certè non ſolùm honores veros ex hæreſi ortos, ſed ipſa etiam illa vulgariũ iſtorum honorum noſtrorum nomina, quæ ſint modò paulò ſublimiora, fruſtra mea quidem ſententia inter hæreticos requiri dixero. Velim namq; oſtendat mihi quiſpiã, in ipſis hæreticorum regionibus, & hæreſi vigente ipſa, non dico, quot Papæ, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Sacerdotes; hæc enim eccleſiaſticorum honorum nomina, certum eſt cum hæreſi exiſtere non poſſe; quæ & oppugnant hæreſes, & ab hæreſibus ipſis impugnantur, atque etiam interdum, his aut illis in locis, expugnantur. Non hoc igitur, ſed illud tantùm oſtẽdat mihi, quiſquis eſt; quótnam inter eos Imperatores ex Regibus, quot Reges ex Ducibus, quot Duces ex Comitibus, quot Comites ex Nobilibus, quot Nobiles deniq. ex plebeiis, aut ibi facti ſunt, vbi antea non fuiſſent, aut in vetere ſunt ſaltem dignitate & exiſtimatione conſeruati? O nobilitatem ex hæreſi expetendam. O laureolam quærendam, vt ille ait, in muſtaceo. Atqui nos quidem ea, quæ dixi, fruſtra inter hæreticos quærimus: religionis enim catholicæ, non hæreſum, neque ſuperſtitionum vllarum, hæc ſunt propria beneficia. In hæreſi quidem nouũ aliquem factum regemué, ducemué, vbi antea non fuerit, non audiui; nonnullos potius qui iam facti eſſent, & à maioribus ſuis regnauiſſent, pulſos ab hæreticis, & regnis ipſis ſpoliatos, atque in ordinem redactos fuiſſe, legi & audiui: multos etiam hæreditaria imperia coactos abdicaſſe; in eorum autem locum, vel neminem ſuffectũ fuiſſe, vt ita regium ducaleque nomen planè extingueretur; vel certè ruſticos homines,

aut

Successus hæreticor.

aut pueros ipsos, aut denique fœminas, regnis atque imperiis maximis præfectas fuisse, legi & audiui. Et certè nõnusquam liber prodiisse nuper dicitur; in quo quidem tantùm non publicè armari videntur homines aduersus supremos ipsos magistratus. Quod si est, prouidendum certè est, ne quid respub. detrimenti capiat. Huc enim profectò spectare isti videntur: hæc eorum studia, hic scopus vitæ, hic doctrinæ est; vt possint tandem extremã rebus omnibus publicis afferre vastitatem. Equidem quid paulò antè & fieret & gereretur in viciniis, hic illic, hactenus fortassis in alienis tantùm exemplis spectabamus: nec facile angulum liberum reperiebamus vllum, qui, si modò hæreticorum doctrinæ patêre incepisset, non tot & tantis cladibus tandem illis, non tot & tantis seditionibus illis, non tot & tantis tumultibus illis absorberetur, quot & quantis, maxima etiã ipsa regna & imperia, pridem absorpta concidisse videbamus, illorum quidem hæreticorum opera & studio periniquo, qui vniuersum ipsum terrarum orbem, flamma accendere, ferro excindere, internecione delere, ante actis temporibus non dubitauerunt. Quæ omnia nos quidem qui aut vidimus, aut legimus, aut audiuimus, sine lachrymis commemorare non possumus, illi qui perpessi sunt, & qui in medio Tartareo furore illo, vitam cum fortunis suis suorumque amiserunt, non possunt ne cum lachrymis quidem. Hæc igitur, vt dicere cœperam, spectabamus tunc saltem. Nunc verò ne inter nos iam quidem exempla eorũ propemodum desiderantur. In ipso enim penè reipub. nostræ corpore, reperti sunt homines, non nostri quidem Polonici nominis; apud nos enim & apud maiores nostros, regum ipsorum nostrorũ nomen, sanctum & inuiolatum semper fuit, sed in nostræ tamen Polonicæ reip. complexu, homines loci & ordinis non postremi: qui cùm ciuitatem, à maioribus suis, hominibus ipsis catholicis, beatam & florentem accepissent, successu deinde temporis, vetere primùm

Successus hæreticor.

mùm conturbando ecclesiarum catholicarum ritu atque ordine, deinde verò citò pòst, aucta plus satis, & in eiusmodi ciendis religionis turbis corroborata, sua pertinacia, regni etiam & Reipub. ipsius permiscendis negociis, eò sunt prolapsi, vt, cùm regum iam ipsorum nostrorum imperia leuius habere viderentur, quàm fides eorum & iusiurandū datum postularet, tum reges ipsos, primùm cum potestate ad eos mittere, deinde verò etiam venire eodem ipsos, virgis armatos & securibus oporteret. Quæ res à patre ipso rege, ex vsu reip. semel prouisa, non peruenit tamen integra ad filium regni successorem; quominus & ipse quidem, secundum patrem, iterum ciuitatem eandem, ordinãdæ ipsius gratia, visere, & deinde aliquanto pòst ciues ipsos ad se publicè accersitos, seuerius quodammodo accipere necesse haberet, quàm natura ingeniumq; eius semper lene ac placidum ferre videretur. Post cuius denique ipsius obitū, cùm regnum ipsum, altero post alterum interregno, ad regem alium, virum hunc maximè strenuum, & omnibus regiis virtutibus maximè ornatum, sed regno tunc temporis nondum satis assuetum, Stephanum hunc Bathorium deuenisset, eò denique vis ipsa mali, dudū compressa illorum pectoribus, manifestò erupit, vt imperio quidem ipsius, armis etiam, priuato nomini parum licitis, repugnare non dubitauerint. Malum planè consilium, sed quid? Ipsi consultori pessimum. Iam tum enim illo ipso facto suo, & pacem quidem atque ocium prouinciæ illius diuturnum subitò perturbarunt, & oram etiam illam vniuersam, pacis alumnam, vel cuius adeò ipsa pax alumna fuit, maximis incommodis affecerunt, & denique tum seipsos, tum ciuitatem ipsam, & suam & nostram, in extremum discrimen ipsum propemodum adduxerunt: & reuera penitus adduxissent, nisi nos deus ipse placido lumine respexisset. Ex his igitur, quæ diximus, satis constat, non iam quærendum esse amplius, ecquódnam regnum, aut constitutum ab initio fuerit ab

 Successus hæreticor

rit ab hæreticis, cùm nullum planè vnquam constitutum fuerit, quod legitimum haberetur: non etiam quærendum ne illud quidem, ecquódnam, postquàm ab aliis esset cõstitutum, fuerit ab istis, vllis expetendis rebus cumulatũ. Neque enim isti vspiam in salutem aut dignitatem regnorum incumbunt, sed in perniciem. Quid dico? Ego verò dico, ne illud iam quærendum quidem esse, quot homines ex hac disciplina, ad bonorum saltem virorum commendationẽ nobilitati sint. Nemo enim vnquam ob hæresim, verissimis virtutis laudibus honestatus est. Sed quid quærendũ, aut quid ab istis expectandum? Illud fortassis vnum, quod solum videtur superesse, vt videamus & inquiramus, quotusquisque illorum ipsorum, qui hæc sequuntur, saluus & incolumis, non dico iam cum nobilitate, & cum honoribus, & cum fortunis, sed cum vita saltem ipsa, aut si ne id quidem comperiamus, certè cum morte saltem honesta ipsa, potuit ex illo naufragio enatare. Quod cùm diligentissimè quæsierimus, in paucis tamen id admodum apparuisse reperiemus. Primùm enim aut extremis suppliciis ipsis affecti certè fuerunt, quotquot eiusmodi fuerunt; & quod mirere magis, non in catholicorum ciuitatibus solùm, sed etiã in hæreticorum ipsis vrbibus, quæ sunt sectarum diuersarum: quæ hanc eiusmodi licentiam nouandarum religionũ ferre se non posse, aliquoties demonstrarunt. Aut verò si hunc publicorum iudiciorum scopulum magna cautione effugerunt, in nihilo tamen acerbiores mortium infamium casus, miseri homines inciderunt, quæ ipsos ferè diuinitùs comitari consueuerunt. Hi sunt enim illi, de quibus verè illud dixisse fertur Apostolus: QVORVM FINIS INTERITVS, ET GLORIA IN CONFVSIONE IPSORVM. Hoc autem est, quòd exitus eorum, non est, vt aliorum, aut gloriosus, aut saltem naturalis finis ipse; sed est interitus, ignominiæ, & confusionis cuiusdam plenissimus. Quod cùm alius etiam Apostolus, & omninò discipulus ille, quẽ

 dilige-

diligebat Iesus, egregiè admodū nosse videretur, ne balneū quidem ingredi voluit, in quo Cerinthum hæreticū lauari audiebat. Quis enim mihi spondeat, inquit, non esse ædes ruituras, in quibus Cerinthus lauaretur, inimicus veritatis? Quasi nimirum solenne sit, malam doctrinam malo exitu terminari. Nota est Luteri mors, quæ temporibus nostris accidit: quam ipsam verbis exagitare hoc loco non libet. Sed & post eum, cùm multi alij ex ipsius sequacibus, fœdis mortium generibus alibi absumpti sint, tum paulò antè hic apud nos in Prussia, nescio quis ex magistris istis religionis nouæ, miserando admodum fato in puteum insiliisse, & vitam sibi ipsi abrupisse dicitur. Nuncq. adeò, dum hæc scribimus, cùm nudius tertius quidā ex istis, vt solent, cerimonias nostras Catholicas, in æde sacra ipsa, apud Catholicos, in familiari sermone insolentius irrideret, heri eadem hora illa, cùm bene sanus & bene valens, hospites aliquot ad prādium inuitasset, subitò in ipso prandij apparatu, apoplexia correptus, sensibus omnibus amissis, animam citò pòst exhalauit. Quæ ego quidem non quasi insultans hoc loco recito. Communes enim casus esse sentio: sed quasi dolens; et si quid, etiam admonens, diligenter nobis vt caueamus; & vt casus ipsos eiusmodi, in aliorum personis intuentes, quorum exitus perhorrescimus, eorum doctrinam, etiam atque etiam vitare studeamus: & omninò quicquid ingruerit, illam potius Sapientis consolationem amplectamur, IVSTVS SI MORTE PRAEOCCVPATVS FVERIT, IN REFRIGERIO ERIT, quàm vt molestiam illam admonitionis Apostolicæ exaudire necesse habeamus, NEMO VESTRVM PATIATVR, VT FVR, AVT HOMICIDA, AVT MALEDICVS. Etsi enim lex ipsa naturæ nostræ communis, omnibus telis fortunæ, vitam nostram ita proposuerit, vt nihil quicquam aliis accidisse meminerimus, quod nobisipsis, etiam nihil tale promeritis, accidere posse nō existimemus: tamen cùm sæpius omninò fieri

Successus hæretico[rum]

nõ fieri videamus, vt qui ſeminent in benedictionibus, in benedictionibus & metant, qui ſecus ſeminent, ſecus etiã & metant, fit profectò, vt mens ſibi in ratione religionis bene conſcia, aut nihil quicquam eiuſmodi metuat, quod hæreticis, vt plurimùm, immineat, aut certè ſi quid humanitus acciderit, omnia leuius ferenda ſibi eſſe ducat: contrà autem, qui ſe opinionum iſtarum hæreticarum, ſiue auctores volunt ſiue fautores perhiberi, hi ſi quid aduerſi acciderit, nec facilè habeant, quo ſe in mediis illis caſibus conſolentur, & illã præterea, pro malis ſuis meritis, diuinitus irrogatam pænam, vt plurimùm ſuſtineant, vt nunquam ſibi aduerſis rebus ſatis defungi videantur, ſed vt ſemper omnes triſtes exitus cogantur etiam atque etiam expectare. Et certe quod metuunt, id etiam propemodum experiuntur ſemper. Fit enim ferè vt ſemper bellũ appetant, nunquam victoria potiantur, ſemper ſeditiones moueant, quarum tamen incommoda omnia in ipſorũ potiſſimùm capita recidant; ſemper tumultus excitent, & in illis tamen, cùm corpore, tùm multò etiam magis animo diſpereant; non tantùm domeſticis illis furiis agitati, fraudum ſcelerumq́ue ſuorum, mœrore & angore quodam conſcientiæ incredibili, dum viuunt; non ſolùm ignominioſa morte confecti, dum moriuntur; ſed etiam vita iam functi & mortui, igni illo aduſti, flammis ardentibus ſempiterno, qui deſignatus eſt Diabolo & apparitoribus eius. Vt ita videlicet nec viuis illis, nec mortuis, bene eſſe poſſit; ſed vt viui & mortui, omnibus pariter & diuinis mactentur ſuppliciis, & humanis.

CAP. III.

Successus Catholicorum.

Consilia non sunt ferè successibus metienda.
Ecclesia catholica ærumnis propemodum crescit & lætatur:
Eadem tamen rebus etiam secundis ornatur.
Ecclesiæ Catholicæ trophæa amplissima.
1. *In ipsis initijs.*
2. *In incrementis ipsis, tum apud cæteras nationes, tum apud nos quoque.*
Maiores nostri agnoscebant beneficia religionis Catholicæ, nudandis gladiis in lectione euangelij.
& hymno populari Bogarodizza, decantando.
Lætissima quondam Poloniæ nostræ facies sub Catholicismo.



Eligionis veritatem non esse principiò ab ipsa successuum prosperitate repetendam, proximè admonuimus. Sed & ipsi quoq; multo antè admoneri nos meminimus ab aliis; & quidem huius sæculi filiis, non imprudentibus in generatione ipsa sua. Quid admoneri? Admoneri, inquam, non in religionis solùm & fidei negotiis id esse obseruandum; quæ quia tota ex seipsis apta sunt, ideo fortunam & euentum rerum externarum minimè, vt dixi, respiciunt; sed in aliis etiam quorumuis generũ actionibus mortalium: quæ quanquam aliunde planè pendent, nec vllis humanis casibus sunt exemptæ, minimam tamen, vel nullam potius, euentuum ipsorum in vtramuis partem, admittunt rationem; vsqueadeò, vt ipsis etiam prosperis & ad voluntatem fluentibus successibus carere eum optauerint, qui vllis euentuum, siue in hanc, siue in illam partem, momentis expendendis, commoueri aliqua ex parte videatur. Atque hæc quidem huius, vt dixi, sæculi filij. Ecce autem

Successus catholicorum.

tem ex nostris quoq. ; ex ipsis, dico, lucis filiis: multò etiam istis, quos dixi, horridiores, ita à successibus externis intuendis arcent Christianorum animos, ita nullam eorum rationem haberi debere contendunt, ita deniq; hominem ipsum, Christi nomini addictum, intus constitutum, atque animo obfirmatum esse censent oportere, vt non secundis ipsis rebus felicitatem suam metiatur, quod vulgo fieri videmus, sed vt tum demum beatum se esse existimet, cùm in quàmmaximas & quàmplurimas vitæ miserias & ærumnas perspexerit se incidisse. Hanc enim esse patris nostri cœlestis viam peruulgatam, vt quos diligat, quorumq́ue amore maximè teneatur, eorum etiam virtutem rebus ipsis aduersis exerceat; atque ita vexationibus istis expolitā, illustriorem reddat. Ex quo factum est, vt his eiusmodi præceptis eruditi, non defuerint sanè ex Christianis, qui vitæ incommodis atque aduersitatibus iactati infinitis, in maximis tamen bonis versari se interpretarentur, summamq; propterea suo conditori & parenti gratiam habendam esse existimarent, quòd à mundo affligerentur, & passim mortalium omnium miserrimi deputarentur. Videbant enim ipsum quoq. salutis & religionis nostræ auctorem & perfectorē Iesum, omnem suorum in hac vita felicitatem, duris ipsis & asperis rebus omnibus circumscripsisse, paupertate, luctu, lachrymis, fame, inedia, inimicitiis, maledicto, morte denique ipsa. Nec circumscripsisse tantùm, sed etiam in eodem hoc curriculo ipsum præiuisse nobis, pro nobis: proponentem, vt dico, exemplum nobis, sanguine, sudore, tormentis, cruce, morte sua, vt iisdem illis vestigiis ipsius, ad vitam illam sempiternam gradiamur. Quæ si ita sunt, vt sunt, quid est, quæso, quod nos hoc loco agimus, cùm hæreticorum religionem aduersis ipsis successibus infamamus, catholicorum contrà, bonis euentibus commendare de industria studemus? An enim ideò, illam quidem malam religionem dicimus, quòd ea aduersis rebus prematur, hanc

contrà bonam & deo placentem, quòd floreat rerum bonarum cumulo & aggregatione? Non est ita. non est ita. Sed illam quidem, digna factorum suorum præmia recipere dicimus, cùm castigatur: nos autem ipsos, singulari prouidentia, misericordia, bonitate Dei Opt. Max. cuius populus & peculium, cuius deniq. pascuæ oues sumus, ex acerbitate illa veterum ærumnarum, quibus ecclesia ipsa, in illo ipso recenti ortu suo propemodum coquebatur, semel ereptos, translatos tandem esse dicimus in hunc statũ veræ libertatis, pacis, splendoris, lætitiæ, & omnis deniq. prosperitatis: in quo dum sumus, verissimè de mundo ipso, per Christum nostrum, triumphare incipimus; subtractique quodam modo & erepti calamitatibus illis, quibus mundus ipse vsque adeò plerosque exagitare solet, vt eos sœpenumero de salutis suæ conditione cogat desperare, illam nunc iam quodammodo vitam inchoamus, quam omni angore & ærumna vacuam, omnibus autem bonis affluentem, in cœlo cum beatis omnibus expectamus: promti interea & parati, omnia aduersitatum genera pro Christo nostro subire, quæcunq; ingruant diuino ipsius nutu atq. voluntate. Cùm contrà profanorum omne genus hominum, omnibus suis studiis mollem ac delicatam quandam vitæ conditionẽ inquirant & persequantur; quam tamen, cum magna animorum suorum molestia, nunquam neque teneant neque consequantur: atque hoc ipso primitias veluti quasdam sempiternarum illarum ærumnarum suarum futurarum degustare nunc iam incipiant, quibus deinde miseri homines perpetuò affligentur. Aliud est autem profectò, nihil aduersi pati velle, & tamen omnibus calamitatibus immersum esse: quod istorum est: aliud; pro Christi nomine omnia pati paratum esse, & tamen bonis ipsis felicitatibus abundare: quod ipsum, absit verbo inuidia, nostrũ est. Quarum duarum rerum, illa ex fontibus erumpit iustitiæ diuinæ, hæc ex sinu ipso profluit misericordiæ & boni-

tatis

Successi[illegible] catholic[illegible]

tatis eiusdem Dei Opt. & Max. qui sponsam suã ecclesiam sanctam, omnibus rebus ad veram felicitatẽ, & vitam beatam pertinentibus semper voluerit abundare. Quod ipsum ita facturum se fuisse, multò etiam antè ostenderat ipse per Prophetam, sic inquiens. ECCE EGO STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TVOS, ET FVNDABO TE IN SAPHYRIS, ET PONAM CVSPIDEM PROPVGNACVLA TVA, ET PORTAS TVAS IN LAPIDES SCVLPTOS; ET OMNES TERMINOS TVOS IN LAPIDES DESIDERABILES, VNIVERSOS FILIOS TVOS DOCTOS A DOMINO, ET DABO MVLTITVDINEM PACIS FILIIS TVIS: ET NON TIMEBIS, NEC PAVOR APPROPINQVABIT TIBI. HAEC EST HAEREDITAS SERVORVM DOMINI, ET IVSTITIA EORVM APVD ME. DICIT DOMINVS. Et sic quidem per hunc Prophetam. Per alium autem Prophetam sic. ADHVC MODICVM, INQVIT, ET EGO COMMOVEBO COELVM ET TERRAM, ET MARE ET ARIDAM. ET VENIET DESIDERATVS CVNCTIS GENTIBVS, ET IMPLEBO DOMVM ISTAM GLORIA, DICIT DOMINVS EXERCITVVM. MEVM EST ARGENTVM, ET MEVM EST AVRVM, INQVIT. MAGNA ERIT GLORIA DOMVS ISTIVS NOVISSIMAE PLVS QVAM PRIMAE, ET IN LOCO ISTO DABO PACEM, DICIT DOMINVS EXERCITVVM. De his igitur ecclesiæ nostræ trophæis, aliquid interim contra hæreticos dicamus: ipsosque, si fortè eos sui possit pœnitere, oratione hac extrema nostra ad officium adducere tentemus; proponendis hoc loco in medium successibus quibusdam admirandis, quibus affatim dotata & ornata est à sponso suo ecclesia ipsa nostra: vt si quâ fortè, amorem ipsius, eorũ mentibus possimus instillare, officio nostro defuisse ne videamur. Atq. hoc quidem in genere, cœlestia interim & æterna illa,

na illa, omnibus in vniuersum hominibus,qui piè,iustè,sobriè, intra hanc eandem ecclesiam vixerint, proposita præmia,propemodum omittemus; quæ etsi amplissima sunt,& tantam rerum omnium desiderabilium excellentiam complectuntur,quanta neque oculo hoc mortali vsurpari, neq; auribus istis stupidis hauriri,neque adeò animo ipso, corpori isti affixo, satis pro dignitate æstimari posse videatur; in qua videlicet sola & præmium est laborum cum fide exantlatorum,& hæreditas ipsa filiorum ex deo patre & ecclesia matre genitorum constituta: quia tamen in hac mortali vita nostra teneri non possunt,& spe tantùm atq. expectatione sui animos nostros permulcent,præsens,quod hodie potissimùm quæritur,in manũ nihil dant,& ideò segnius nos mouent,nostraq; adeò desideria mortalia, pertenui admodum cupiditate inflammant;agè interim hæc,vt dixi, omittamus.Omittamus autem?Nos verò nec qua ratione quidem ea omittamus,satis videmus,in quibus meditandis, & pro thesauro quasi quodam maximo ac certissimo amplectendis,animum ipsum nostrum assiduè versari oporteret. At quo thesauro?Quem,vt Christus ait,neq.ærugo vlla corrumpere, nec tinea demoliri,nec fur quamlibet callidus,vlla ratione effodere, ac furari posse videatur. Sed tamen,quod dicere cœperam,quoniam hoc libro toto populariter omnibus de rebus egimus, raro admodum vltra conditionem mortalem hanc nostram,sermone nostro prouecti sumus; iccirco,nunc quoque eundem illum cursum nostrum teneamus, & altiora illa, quorum modò mentionem fecimus, alij tempori reseruemus; nuncque adeò de successibus prosperis ecclesiæ ipsius Catholicæ nostræ, populariter,vt cœpimus,agamus: ac primùm quidem, quibus rationibus ipsa creuerit, & quomodo ex paruis illis initiis, ad tantam,quantam videmus,amplitudinem peruenerit,deinde verò, quæ potissimum cum ea, tum cæteris omnibus gentibus ac nationibus,tum nobis præcipuè Polonis ipsis,

Successus catholicor

fausta, felicia, atque inprimis gloriosa, ad præsentis huius vitæ statum pertinentia bona euenerint, breuiter hoc loco perstringamus. Inprimis autem oculos nostros ad illam XII. virorũ, quos ipsos à missione, Græco verbo Apostolos nominamus, cohortem referamus: hominum ad vulgarẽ opinionẽ, obscurorum; ad eorum numerũ quos deuicerunt, perpaucorũ; ad opes eorum quos domuerunt, prorsus imbellium; rerum tamen à se præclarè gestarum gloria planè præstantium, & omninò magnorum atq; inprimis illustrium. Qui sanè neque viribus vllis confisi, neq; vlla humana sapientia subnixi, neq; splendore vllo generis aut nominis ad opinionem hominũ commendati, sed nudo tantùm veritatis ipsius Catholicæ sensu muniti ac ornati; nec Iudæos reformidarunt, legis & cerimoniarum sanctitate tumidos, nec tyrannos exhorruerunt, vi & potẽtia armatos; nec philosophis, doctrinæ & eloquentiæ opinione inflatis, manus dederunt, nec hæreticis denique ipsis, astu & calliditate instructis, quicquam concesserunt; sed tyrannis primùm illis crudelibus, præsenti & in Christũ ipsum erecto animo, deinde Iudæis, tolerantia & comitate, sapientibus simplicitate, hæreticis veritate, formidabiles facti, facile vniuersos superatos sub iugum Catholicæ ipsius religionis miserunt; & de omnibus, cùm vita, tum multo etiam magis morte ipsa sua, magnificentissimè triumpharunt, seque ea re ad omnem posteritatem illustres admodum & gloriosos reddiderunt. Qua autem re potissimùm id sunt consecuti? Qua quæso alia, nisi Catholicæ veritatis beneficio & virtute? cui nulla præiudicatæ sanctitatis opinio, nulla orbis terrarum potentia, nullum ingenium, nullæ opes quantumuis magnæ, obsistere potuerunt. Atque hanc quidem illi quasi nominis sui hæreditatem quãdam amplissimam, nobis posteris suis reliquerunt; vt scilicet eiusmodi maioribus prognati esse diceremur, qui, vt scriptura ait, PER FIDEM hanc ipsam, quam prædicamus scilicet Catholicam, VI-

Succeſſus catholicor.

CERVNT REGNA, OBTVRAVERVNT ORA LEONVM, EXTINXERVNT IMPETVS IGNIS, HEBETAVERVNT ACIEM GLADII, ET FORTES FACTI IN BELLO, CASTRA EVERTERVNT ALIENORVM: & quod mirere magis, qui tanta hæc quidem confecerunt in vinculis penè & carceribus, cùm lapidibus & ſaxis obruerentur, cùm medii ſecarentur, cùm ferro trucidarentur. Dicent fortaſſis iſti noſtri, eorundem ſe maiorum poſteros eſſe. Ego verò quod dicunt, aut libenter omninò concedam, ſi modò ſe ipſi antea, ſiue Catholicos, ſiue Catholicæ eorundem fidei æmulos eſſe atque imitatores docuerint; vel ſi fidem ſaltem iſtam ſuam nuperam, temporibus iam tum Apoſtolorum viguiſſe demonſtrarint; aut certè vbi neutrum facere poterunt, ad tempus ſaltem diſſimulabo, ſi modò ipſi ſua ſorte contenti, honorem noſtrum neque nobis inuidere, neque ſibi ipſis voluerint vſurpare. Neque enim profectò maiores illi, quos diximus, maiores eorum ſunt, ſed noſtri; neque laus illa, cuius modò mentionem fecimus, laus eorum eſt, ſed noſtra Catholicorum: & omninò omnes illi Apoſtolorum in fundanda religione Chriſtiana ſucceſſus proſperi, atque ſalutares, noſtri, noſtri, non iſtorũ ſunt; quibus quidem iure noſtro poſſe videmur præ ipſis gloriari. Atque hoc ſanè illuſtri ſucceſſuũ catholicorũ fundamento, iacto ſemel atq. poſito, cõſequentia iam ipſius religionis noſtræ tempora omnia intueamur: comperiemus enim quanta omniũ nationũ Catholicarũ dignitas, maieſtas, amplitudo, gloria, hanc, de qua loquimur, Catholicam noſtram religionem fuerit ſemper ſubſecuta; ſic quidem, vt hæc vbique cum ea, aut orta ſimul, aut certè in maius ſemper aucta fuiſſe videantur. Signum eius, quòd, vbi modò Catholica illa religio ſemel exorta rurſus occiderit, ibi rurſus hæc omnia occidiſſe; vbi decreuerit & diminuta fuerit, ibi hæc eadem decreuiſſe, atque adeò decreſcere indies, ac palàm imminui videantur. Poſſet id multis

multa-

 Successus catholicor.

multarum gentium exemplis facilè confirmari, nisi quòd nostra iam ad exitum properat oratio: ipsa autem quoque hæc nostra tempora, si benè attendamus, satis magnum de eo, quod loquimur, ferunt testimonium; illudque abunde docent & ostendunt, quicquid est etiamnum, in vniuersis his regnis atque imperiis Christianis reliqui splendoris aut pristinæ dignitatis (cuius, pace omnium dixerim, vix vmbrā iam, eamque infaustis istis, & infelicibus hæreticorū sibilis magnopere exagitatā tenemus,) idipsum quicquid est, nec armis, nec viris, nec ingeniis, nec opibus nostris, quæ omnia quàm sint perexigua, videmus; sed solius tantummodo religionis Catholicæ beneficio, vtcumque à nobis retineri. Parta est ante annos aliquot, per nostros, insignis illa de Turca ad Naupactum victoria. Audete dicere, armis aut viris fuisse partam; nisi orbis ipse vniuersus, voce quasi edita, orationem eiusmodi vestram redarguat, & victoriam illam diuinitus Catholicorum hominū precibus impetratam ac obtentam fuisse, maximè contestetur: inprimis autē illius ipsius ieiuniis, orationibus, eleemosynis, faustis precationibus, quas nos benedictiones appellamus, hæc nobis obtigisse, qui tunc pro capite ecclesiæ Catholicæ præsidebat, Pius V. Pontifex Max. & religiosissimus; nostra quidem ætate superiore, quasi Moses alter: qui dum manus suas in altum tolleret, melior sanè nostrorum fortuna fuit; dum autem is manus, vnà cum vita posuisset, vniuersa illa & belli societas, & victoriæ continuatio, tota fuit confestim intercepta. Quanquam sanè, Moise extincto illo, & ad patres aggregato, etiam Iosuen hunc Gregorium XIII. in eius locum diuinitus suffectum habemus; qui & dignitatem Catholicæ religionis, & successuum illorum prosperorum veritatem, si modò ad rem ventum foret, non minus sustinere ac præstare posse videatur. Interim autem conferte vos vel cum illo saltem vno nostro Pio V. omnes quotquot estis inter hæreticos simulatæ alicuius sanctitatis opinione

in vulgus commendati; omnes Pastores, Ministri, Superintendentes eorum; equidem omnibus vestris viribus vix vnum aliquem ex contraria vobis factione hæreticum, miserum illum & inermē, ac omni præsidio destitutum, vrbis etiam vestræ præterea mœnibus circumclusum, Pastorem, Ministrum, Superintendentem, tollere fortè de medio poteritis, talem autem ac tantum exercitum barbarorum & immanium hominum armatorum, ceruicibus Christianorum imminentem, precibus vestris, eleemosynis vestris, ieiuniis vestris, (quorum vix nomina retinetis) euertere, aut saltem auertere nunquam poteritis. Quid ita? Non vestrum enim, non vestrum, sed Catholicorum est, aduersarias potestates, ego autem dico, non visibiles istas solùm, sed etiam inuisibiles, & aëreas ipsas, superare. Sed vos quidem, si, cum de terrenis istis & visibilibus dixi vobis, vix creditis tamen, quomodo, si de cœlestibus illis & aëreis dixero, credetis? Atqui hoc ipsum sanè, quod dico, palàm profectò in iis, quos energumenos in ecclesia appellamus, sœpenumero apparuit, atque adeò quoties vsus feret, & diuini gloria nominis requiret, etiam per dei gratiam apparebit. Vidimus enim plæriq. omnes, vidimus, cum toties spiritus ipsi maligni in obsessis hominum corporibus, voluntati atque imperio presbyterorum Catholicorum nostrorum, inuiti cesserunt; vestro imperio vestrorumque voluntati non cesserunt. Quam vos insignem planè Catholicorum præ vobis prærogatiuam, & agnoscere, & velitis nolitis fateri necesse omninò habetis; ingerere vos in hanc eiusmodi possessionem eorum, ne verbo quidem audetis. Ab hostibus visibilibus, ad inuisibiles delapsa nostra oratio est; nec temere sanè. Quid enim non possint in hostes visibiles, Christo duce freti, ii, qui spiritualium etiam nequitiarum illarum terrorem se esse, toties manifestis admodum indiciis declararunt? Redeamus ad visibiles victorias illas, paululum intermissas; quanquam hæ quoq. de inuisibilibus aëreis

 Successus catholico

reis hostibus victoriæ nostræ, quodãmodo visibiles sunt. Sed nos ad illas, quas instituimus, redeamus; & eum quoque locum primo quoque tempore concludamus. Vicit proximè Stephanus rex noster, & prostrauit per dei gratiam, Moscouiticum penè robur omne. Quid? vósne triennalibus illis & maximè memorabilibus præliis, feros homines à modestis, callidos à simplicibus, fraudulentos ab apertis, multos à paucis, existimatis fuisse superatos? Rem miram profectò, nec satis credibilem existimatis. Ego verò, vt orbis tandem vniuersus rem ipsam intelligat, non hoc dico, aut illud; sed schismaticos inquam à Catholicis fuisse debellatos. Cùm igitur dico, vicit Stephanus rex Catholicus, putate me dicere. Vicit leo de tribu Iuda. Ille, inquam, leo vicit de tribu Iuda, cuius vnius, omnis semper habita est propria victoria. Nec verò extremo hoc loco, quo victorias ipsas, principum esse Catholicorum proprias ostendimus, quisquam nobis occurrat velim, & ex aduerso obiiciat constantes illas ac perpetuas Turcarum, hominum impiorum, & falsissimæ atq; inanissimæ omnium superstitioni addictorum victorias, de hominibus Christianis. Neque enim profectò illud quicquid est, victoria est, sed tyrannis; & si quid, certè non Turcarum illa gloria, aut illa felicitas est, sed pœna nostra; non religioni nostræ debita, sed multis nostris sceleribus expressa: quam si porrò effugere etiam deinceps volemus, hæreses quidem primùm omnium auersari, deinde autem ad Catholicam ecclesiam redire, omnes ex animo debebimus. Et tum quidem, cùm hæc fecerimus, & à deo aliquid deinde suppliciter postulantes petierimus, nec exauditi fuerimus; VENITE, VENITE, ET ARGVITE ME, dicit dominus omnipotens. Cuius ipsius illa sunt quoque dicta per filium. SI FIDEM, inquit, QVANTVLAMCVNQVE HABVERITIS. (putásne tu autem, hæreticam illum fidem requirere, potius quàm catholicam?) MONTES, inquit, TRANSFERETIS, ET OMNINO QVIC-

Catholicor.

NO QVICQVID VOLVERITIS PETETIS, ET FIET VOBIS. Ea est Catholicæ fidei vis & potestas, ea, vt sic dicam, prærogatiua, vt nulla vnquam natio tam habuerit deos suos propinquos sibi, vti nationi nostræ Catholicæ proximus est dominus ipse verus deus noster. Nec mirum igitur, si, cùm interim cæterarum omnium fama gentium barbararum, in obscuro planè sit, Catholicæ quidem ipsius religionis nostræ tantus est honos, tanta dignitas, tantaque adeò vel nominis iam atq. vocabuli ipsius suauitas & maiestas, vt reges etiam ipsi maximi, Europæ maximæ, cognomentum ipsum Catholicorum, certatim quasi, in suorum honorum inscriptionibus ambire atque appetere videantur: de re autem, hoc verò est, de Catholicismo ipso, ita in solidum vsurpent omnes, vt nullus eorum sit, qui regis appellationem legitimè vsurpare ausit, qui idem Catholicus non sit; quique non idem eodem tempore, eodemque hoc ipso regis vocabulo, Catholicum se esse profiteatur. Nec verò id communi tantùm professione ipsa, sed priuata etiam quisque hoc nomine ad Pontificem Romanū legatione missa; qua & Catholicum se esse hominem, & morigerum beatissimi illius patris filium, declaret & ostendat. Quis neget igitur Catholicæ ipsius religionis, & rem esse salutarem, & appellationem ipsam honestam inprimis atque gloriosam? aut quis est qui dubitet, in ea potius religione censeri, quam omnes, qui reges appellari velint, imò omnes qui seruari cupiant, profiteri necesse habeant, & cuius ipsius appellationem potentissimi quique monarchæ, in ipsis honorificis suis inscriptionibus, vendicare sibi præ cæteris gestiant; quàm eiusmodi religionem vllam aut quærere aut tueri, in qua tibi societas cum fœce hominum, & quod caput est, extra domum domini habitantium, sit ineunda. Nam in domo quidem domini vel abiectissimū esse præstat, quàm primo alioqui loco esse in magnificentissimis ipsis atriis sceleratorū. Sed hæ, de quibus loquimur, & plures etiam aliæ, de qui-

Successus catholicorum.

de quibus non loquimur, Catholicæ religionis prærogatiuæ, omnium nationum sunt; nostros ipsorum annales breuiter excutiamus. Maiores quidem nostri, post Lachi parentis aduentum in has terras tunc desertas & vacuas, quas siue ipse Lachus ille, à polo Poloniam, siue cæteri, quod malo, ab ipsa posteritate eius, Polachiam primò, quasi Postlachiam, deinde verò molliori vocis inflexione vsi, Polaniam, & denique Poloniam appellarunt. Maiores igitur illi, quod dico, nostri, etsi magna semper iam inde à primò ipso ingressu suo in has terras, bellicæ suæ virtutis documenta dare passim studuerunt, annos tamen ferè quadringentos, postquàm in his regionibus pedem posuissent, neque circumcirca noti, neque satis à finitimorum tuti iniuriis delituerunt in illis tenebris barbaræ ac profanæ religionis: omnem cultum diuinum ipsum, in ipsos illos Pogodas suos, in Lados nescio quos, & Nias, & Marzanas, & Zizililias, & Dieuanas, & Pochuistos, & Lelos, & Polelos, ac reliquam illam imbellium & certè minimè diuinorum deorum turbam conferentes. At verò vbi semel Christum Iesum. Ego autem dico, illum Christum, qui tunc passim, sub Messiconis, quem superius Mescislaum appellaui, principis nostri temporibus, per omnem terrarum orbem constanter vno omniũ ore prædicabatur; non hunc nescio quem, qui modò infelicibus istis nostris temporibus, alius Vitembergæ, alius Geneuæ, alius Tiguri, alius hìc, alius illic prædicari est cœptus. Dico igitur, maiores nostros posteaquam semel Christum Iesum illum animis complexi essent, cœpisse derepente ita coalescere, vt vicinis primùm formidolosi, mox remotioribus admirabiles, postremò apud omnes clari ac celebres sint facti: gloriam videlicet reliquarum nationũ omnium, siue domesticis in rebus quis requirat, siue multò etiam magis in bellicis, non solùm adæquantes; verùm etiam in plerisque fortassis superantes. Ex quo factum est, vt per eos, regium inprimis diadema, cum ipsa illa regis appella-

pellatione vniuersa, sceptroque & gladio, regni insignibus, non à nescio quibus administris istis, siue petitum, siue adeò impetratũ est, (quorum tunc ne nomen quidem audiebatur vsquam: & quorum ipsorum nunc quoq. magna pars, ipsum etiam regium nomen, detestantur; vniuersi autem vnctionem, non solùm à regni inauguratione remouent, verùm etiam à baptismo ipso studiosè tollunt) sed à Catholico Romanorum summo Pontifice petitum, à Catholico Romanorum summo Imperatore tributum nobis est. Ex quo deinde & celebres illæ nostræ de multis nationibus victoriæ partæ, & victrices nostræ aquilæ prolatæ sunt; cùm Boëmia, Morauia, Russia, Saxonia, Prussia, Dania, armis prorsus nostris cesserunt. Ex quo denique clarissima illa trophæa, & monumenta, ac termini victoriarum nostrarum, columnæ ferreæ, ad Herculis illius inuicti imitationem, ad Boristhenẽ, & Salam, & Vssam fluuios, fixæ à nostris ac locatæ sunt. Ex quo postremò in has ipsas terras tã spaciosas, & tam longè inter se ac latè dissitas, reipub. forma inducta est. Iacto enim illo, quod diximus, Catholicæ religionis fundamento, latæ leges, litteræ excitatæ, orta nobilitas, & denique libertas ipsa nominis nostri propria nata est; iisdem videlicet illis libertatis, nobilitatis, litterarum, legum etiam & omnis politiæ nostræ auctoribus Episcopis, qui fuerunt custodes ac præsides Catholicæ religionis. Qui soli nostros illos principes, quorum antea arbitria in omni re pro legibus apud nos erant, Deo primùm ac religioni, fasces atque adeò poplites & ceruices submittere, deinde legibus communibus parêre, postremò hominibus sibi subiectis ex æquo & bono imperare docuerunt; regésque adeò pro tyrannis constituerunt; & ne deinceps odiosum illud, & libertati inimicum, SIC VOLO, SIC IVBEO, in eorum imperio exaudiretur, effecerunt; cùm antea apud nos, nihil propemodum aliud æquè sonare videretur. A qua quidem conditione, dura inprimis & acerba, solius religionis Catholicæ

tholicæ

 Successus catholicor

tholicæ beneficio liberati, in eum statum per dei gratiā adducti sumus, vt nulli nationi suas leges, suos magistratus, suam libertatem, suum splendorem, & omninò omnem vitæ conditionē, inuidere necesse habeamus. Inde vrbes, arces, mœnia, ciuitates, emporia, Episcopatus, templa, cœnobia, ptochodochia, dotesque amplissimas eorū omniū, fundatas à maioribus nostris; inde scholas, & omnem reliquā tum litterarum, tum bonarum quarumque artium disciplinam & exercitationem constitutam in hac repub. accepimus. Ex quibus facile & Græcorum doctrinam omnem, & virtutem Romanorū, tam domesticis in rebus quàm in bellicis, ita hausimus, vt in omni laudis atque excellentiæ genere, paria prorsus cum omnibus politissimis nationibus faceremus. Planè vt si quis res nostras diligentius consideret, hic illas quidem, quæ ante catholicā susceptam religionem extiterunt, magno à nostris hominibus animo gestas, has verò quæ religionē Catholicam sunt consequutæ, diuinis & singularibus successibus auctas & cumulatas fateatur necesse est. Quos sanè successus omnes, religioni catholicæ ipsi acceptos tulisse maiores nostros, homines simplices & apertos, ille qui tunc passim in ecclesiis Polonicis inualuerat mos, recentis beneficii gratia excitatus, & cuius postea, per temporúmne iniuriam, an per hominum ipsorum incuriam, paulatim obliterata est consuetudo, abunde declarabat; cùm ad ipsius euangelii lectionem, gladij seminudi, in templis ipsis à nobilibus hominibus nostris, è vagina educebantur, & ita semidistricti ostentabantur, vt & beneficium quidem ab euangelio acceptum, & euangelium ipsum, vnde & libertatis & nobilitatis suæ ceperant beneficium, paratos se esse ostenderent, cum vitæ etiam ipsius iactura, tueri atq. defendere. Quódnam autem euangelium illud, quæso? Aude dicere, tuum; si de tuo isto, recenti & nupernato, veteres illi Angeloti, Iordani, Prochorii, Vilibalmi, & reliqui fundatores religionis nostræ, & post eos aliquan-

 to, Adal-

to, Adalbertus & Staniſlaus, patroni nominis ac gentis noſtræ, vel per ſomnium ſaltẽ diuinare tunc potuerunt. Quorum quidem religionis veſtigium, cùm cæteris plerisque traditionibus eorum, impreſſum in ſacramentis, ſacrificiis, miſſis, concionibus, cantionibus, eccleſiarum noſtrarum remanſerit; quæ omnia iam inde ab eo tempore, omnibus templorum noſtrorum cerimoniis ac ritibus ſemel conſignata, etiamnum vigent, quaſi teſtes quidam domeſtici, eiuſdem illius, quam ab illis, quos diximus, maioribus noſtris accepimus, conſtantis atq. perpetuæ catholicæ religionis: tum verò extat, inter ipſa eiuſmodi vetuſtatis monumenta, pæan ille, Bogarodizza (ſic Slaui, à quibus nos originem duximus, θεοτόκον appellarunt) pæan, inquam, in virginis matris Mariæ laudem, à Diuo Adalberto ipſo, Slauicis verbis, & inconditis, vt illa ferebant tempora, numeris cõpoſitus: quo ipſo pleraque religionis ipſius Catholicæ capita, temporibus quidem his noſtris miſeris controuerſa, tunc verò certa inprimis, & per omnes Catholicas in orbẽ terrarũ eccleſias peruulgata, continentur; vnde quiuis quod libet petat licet. Quem pæana ipſum, ſolenne fuiſſe genti noſtræ decantare, aut caſibus ipſis aduerſis ingruentibus, aut magnis alioqui inchoandis & aggrediundis rebus, vel ex illo ſanè memorabili prælio conſtare poteſt, quod à Vladiſlao Iagellone noſtro, huius Annæ reginæ noſtræ proauo, proſperrimè ante annos CLXX. cum Cruciferorum Marianorum Teutonicorum ordine, imò cum imperio ipſo Germaniæ, eſt geſtum: cùm Germaniam ipſam magna ex parte vel miſericordia Cruciferorum illorũ, vel affinitas, vel pecunia, vel lingua, ac cauſa deniq; propemodũ communis, ad arma illa contra nos exciuiſſe dicebatur. Quo quidem inprælio, poſt quadringentos demũ amplius annos, ex quo pæan ille fuit primùm in rempu[illegible] noſtram à D. Adalberto introductus, decantatũ eum, & pro claſſico quaſi quodam vſurpatum fuiſſe, in ipſo propemodum procinctu prælii ipſius,

 Successus catholicor.

ſius, tradunt hiſtorici. Et omninò, quicquid deinceps maiores noſtri optauiſſent bene atque feliciter reipub. euenire, aut quicquid denique gratularentur eueniſſe, in eo celebrando, pæane eodem illo vtebantur. Quo ex genere eſt illud quoque, vt hymnus idem ille nunc etiam, diebus ipſis natiuitatis, reſurrectioniſque dominicæ, & reliquis eiuſdẽ generis in eccleſia diebus feſtis ipſis, extra ordinem decantetur. Cuius ipſius vſus, ne vllo vnquam tempore deinceps intermitteretur, iccirco, patrum auorumq. memoria, cùm primùm ferè typi excudendorum librorum publici eſſent in Poloniam introducti, legibus ipſis noſtris per Ioan. Laſcium regni Cancellarium publicãdis, fuit vnâ ipſe quoque, publico omnium conſenſu publicatus, & publicis illis litteris ad memoriam ſempiternam conſignatus, ac legibus ipſis noſtris inſertus; qui nobis ad omnem temporum opportunitatem, euangelium illud, quod ab initio Polonia ipſa cœperat, nonnullis capitibus vel obſcurum, vt ferè fit, illuſtraret, vel dubium interpretaretur. Cuius quidem hymni memoria dum vigeret in ſermonibus & vocibus hominum, non diſceptabatur ſanè de perſonis ſacroſanctæ Trinitatis, non de vnius illius eſſentia diuinitatis, non de Chriſti dei noſtri æternitate, non de ſacramentorũ aut numero, aut vi, aut ratione, non de corporis Chriſti in euchariſtia veritate, non de ſanctorum inuocatione, non de purgatorio. Credebantur conſtanter omnia hæc: non argumento & diſputatione, vt nunc, exagitabantur. Interim autem plenum erat penu omnium, plena arca, plenum horreum, plena virtus, plenus pudor, plena fides illa, quæ eſt dictorum ipſorum & factorum conſtantia ac veritas, plena mutua ſuorũ caritas, plena vicinorum erga nos beneuolentia, tot affinitatibus & propinquitatibus vndiquaque ſtabilita; cantus vbique & ſymphonia perſonabant, vndique nuncii læti, de nouis aut fœderibus pactis, aut obtentis victoriis, aut omninò proſpere geſtis rebus, afferebantur; vnde altaria di-

Successus catholicor.

uorum erigebantur, templa Dei immortalis dotabantur, collegia sacerdotum instituebantur; populares autem homines, indies ditiores, clariores, potentiores, fortunatiores reddebantur; & omninò nihil erat, quod plenissimum illud Poloniæ gaudium contaminare vlla ex parte potuisse videretur. Consiliísne autem id conficiebatur nostris, quæso? Dicam, consiliis. Dabat enim nobis profectò deus ille, cuius religionem castè admodū & integrè tunc colebamus, eiusmodi & Reges & Senatores, qui reipub. ipsi bene cuperent, bene consulerent, bene denique facerent. Sed quia hæc consilia omnia diuinitus suppeditabantur nobis, dicam verius, non consiliis nostris gubernatas res nostras tum stetisse (quæ ipsa quoties ad prudentiæ humanæ trutinam ac rationē reuocata ab externis ipsis hominibus examinarentur, toties ad interitum ferè magis quàm ad salutem patriæ cōparandam spectare iudicabantur) sed stetisse admirabili quadam benignitate ipsius summi Dei, qui rudem illam tunc temporis ignorātiam præfectorum ac magistratuum nostrorum, ipse, solius diuinæ suæ religionis causa, fidelissimè à maioribus nostris cultæ ac conseruatæ, ad salutē semper reipub. tanquam ad optabilem portum quendam, inflectebat, omniaque adeò, etiam consilio nostro minus prouisa, bene nobis atque feliciter faciebat euenire. Quæ nunc ecce, prò dolor, commutatis & conspurcatis ipsius religionibus, sic attrita & accisa intuemur, vt magnoperę, tam in publicis quàm in priuatis rebus nostris, non solùm felicitatem illam maiorum nostrorum, sed iam etiam prudentiam ipsorum, atque adeò illa ipsa tempora eorum, hodie requiramus. Et, nisi tempestiuè omni cura & studio nostro prouidemus, etiam nescio quid præterea, absit omen verbo, atrocius, horribilius, funestius expectemus, à consiliis quidam & ministeriis administrorum istorum, quibus respub. ludus est, regnum iocus, claritas nominis & existimatio tenebræ.

EPILO-

EPILOGVS.

Votum, vt hæc quæ dicta sunt, ita expendantur, vt ad ecclesiam catholicam quamprimùm fiat reditio.

Multi hoc tempore ab hæreticis ad ecclesiam catholicam reuertuntur; sed & plures etiam per Dei gratiam reuertentur.

Non ab omnibus malitiosè discessum fuit à catholicismo.

Deprecatio, vt quæ scripta sunt, in optimam partem accipiantur.

Nec enim quenquam lædere, sed vicem tantùm ecclesiæ dolere hoc libro voluimus.

Orandum pro his, qui se ab ecclesia segregauerunt; & pro ecclesiæ pace ac tranquillitate simul.

Forma eius orationis.



C de his quidem omnibus, quæ ab initio proposueramus, hactenus dictum esto, non tam pro rei dignitate aut necessitate, quàm pro mediocritate nostra: quam ipsam cupio Deo Opt. & Max. inprimis probari. Restat, vt hoc totum pia aliqua & fausta precatione concludamus, ad eum quidem ipsum conuersa, sine cuius numine, nihil est in homine; & qui, nisi solus plantationibus nostris incrementum dederit, omninò iam neque Paulus aliquid est, qui plantat, neque Apollo, qui rigat: quique nisi ipse ædificauerit in nobis, ciuitatémne an domũ hanc istam Ecclesiæ sanctæ, de qua loquimur, & qua, vera ipsa, quam his libris suademus, religio & pietas in deum continetur, frustrà, frustrà omninò laborant, quotquot sunt qui ædificant eam. O si mihi, pro sua singulari benignitate, largiatur Deus Opt. Max. & immortalis, pater misericordiarum, vt quotacunque earum rerum pars, quas constituendo hoc ipso ædificio ecclesiastico, propositas esse in vtramq. partem hominibus intelligẽtibus voluimus, tum, cùm pro tenui infirmaque parte nostra, & de fundamentis,

& de parietibus, & de tectis, & de opere inteſtino, & de faſtigio denique ipſo tam eccleſiæ ſanctæ, quàm eccleſiæ aduerſæ, diſputaremus toto hoc libro noſtro; Si mihi, inquam, concedat deus, vt aliqua earum rerum pars, accidat ad aures alicuius viri boni, communi tantùm, & hac ætate peruulgato iſto religionum errore nonnihil deprauati: qui inita ſubductáque diligentius eorum omnium ratione, quæ tum ad tranquillandam perturbatam ſuam conſcientiam, tum ad comparandam æternæ vitæ hæreditatem, pertinere videantur; principiò præcipitem illum in conſilio hæreticorum impiorum curſum ſuum inhibeat; deinde etiam in tam lubrico & periculoſo loco illo diutius ne immoretur; tum autem vtriuſque vtrinque ſibi propoſitæ viæ rationem atque finem, quaſi libratis vtrinque ponderibus accuratè admodum examinet, & quid in qualibet parte boni ſit aut mali, ſecum etiam atque etiam perpendat; poſtremò autem, vniuerſalitate, antiquitate, ſanctitate, ordine, conſenſu, ſacramentis, ſacrificio, ſucceſſu denique mirifico Catholicorum, cognito & perſpecto, quibus profectò rebus omnibus facilè illi, vt diximus, hæreticis antecellunt, quàm concitatiſſimo gradu, ad eos ipſos, qui antecellunt, contendere videatur. Hæc, inquam, ſi diuino beneficio contingant mihi, ô felices planè labores meos, ô fortunatas vigilias meas, ô operæprecium, nullis fructibus aut vectigalibus maximis comparandũ. Atq. id quidẽ ipſum, quod tanto animi noſtri ſtudio deſiderare videmur, hoc etiam non magis optare quàm ſperare iam planè & poſſumus & debemus, quòd his ipſis temporibus, cùm in omnes orbis partes oculos noſtros circumtulimus, non amplius impietate iſta doctrinarum effrenari homines, neque tam impotenter, vt antè, inſanire videamus, ſed magna ex parte colligere ſe, & ad ſe quodammodo redire animaduertamus, veterumq; & diuturnarum ſuarum aberrationũ pœnitentia ductos, nouum quoddam vitæ genus palàm auſpicari in eccle-

in ecclesia Catholica sancta. In quibus, Polonia quoque ipsa nostra, quæ, cùm antea, heu nefas, receptaculum quasi quoddam fuisse videretur, eiusmodi quisquiliarum externarum, quæ alienis, per summam ignominiam sedibus eiectæ, vel, quod inuitus dico, fortassis etiam vltrò accersitæ, natiuam illam veteris religionis nostræ puritatem obscurare semper in nobis, & adulterina nouæ suæ superstitionis spurcitia cōtaminare quodammodo conabantur, nunc sub ductis diligentius rationibus, ad mentem saniorem redire, & superiores illas suas separationes, ac discessiones profanissimas perosa; atque peregrinitatem illam hominum nescio quorum auersata, qui hactenus bonitatem morum ingeniorumq́ue nostrorum prope in ludibriū iam & contemptum conuertebant, ciuilem ipsam cum veteribus ciuibus concordiam inire, & Catholicam ecclesiam antiquam, porrectis manibus, per Dei gratiam, amplecti iam videtur. Adsunt enim & in media repub. versantur, clarissimorum virorum filii clarissimi, homines omni elegantia optimarū doctrinarum perpoliti, graues, modesti, sapientes, diserti, & omninò ad omne decus reipub. huius geniti; qui relictis præceptis atque institutis hominum istorum ecclesiæ iniquorum, quibus præceptis ab ineunte ipsa ætate sua, voluntate parentum imbuti extiterunt, nunc lubentes ac volentes, in doctrina ipsa & instituto Catholicorum conquiescunt: imò contentissimis suis & ardentissimis studiis, ad doctrinam & instituta Catholicæ ecclesiæ amplectenda rapiuntur. Quorum vnus ante aliquot annos, cùm illi ad nescio quam vsurpandam hæreticorum superstitionem, vis propemodum à patre ipso, viro clarissimo, sed homine nō Catholico intentaretur, atq. adeò tantùm non inferretur. Permitte, inquit, pater, cum ea me venia atq. libertate in euangelio Catholico versari, qua libertate pater ipse tuus vir Catholicissimus, euangelio te Luterano vti atque frui permisit olim. Et alius deinde, etiam non Catholici

sed

ſed clariſſimi viri, clariſſimus & Catholiciſſimus filius, cùm familiarius admoneretur à neſcio quo, non Catholico ipſo, vt ſe in vniuerſum ad patris, hominis Euangelici iam demortui imitationem componeret, & omninò (vti tum ille loquebatur) vt patriſſaret. Ego verò in cæteris ac lubēs quidem, inquit: niſi quòd in religionis negocio, ad aui me potius, quàm ad patris imitationē compoſuero libentius. Sic enim mihi perſuaſi, vetuſtiſſimam quamque optimam eſſe religionem. O vocem memorandam & omnium vſurpatione digniſſimam. Ego verò cùm hæc ita eſſe video, facilè equidem confido fore, vt in dies, his ipſis principibus iuuentutis procurantibus, inſignes admodum acceſſiones ad eccleſiam Catholicā eorū exemplo fieri videantur. Sunt enim ſanè multi in illis aduerſis partibus, homines nec aduerſis, nec peruerſis ingeniis, qui non malitia vlla in illud vitæ genus ingreſſi, ſed planè incauti delapſi erāt; quos nos benè eccleſiæ, optimè reipub. ac patriæ ipſi ſuæ, & cupiuiſſe, & cupere, facilè nobis perſuademus; ſed ignoratione veri, eam vitæ rationem ſecutos eſſe opinamur, qua exiſtimauerunt, maximum ſe obſequiū præſtare deo. Sunt item nihilo pauciores, quibus, tum cùm ſe à nobis, ad nouos iſtos magiſtros, in illis primis doctrinæ eorum initiis transferebant, haud facilè tantæ eorum licentiæ, & inconſtantiæ, & quod dicendum eſt, impietatis, in mentem veniebat, quantam nunc in illis re ipſa in dies magis atque magis experiuntur. Itaque cùm oculis ipſis ſuis iam cernant, imò manibus propemodum contrectent ipſis, quónam callida illa improborum hominum conſilia iam tum ab initio ſpectauerint, & quantam vniuerſæ cùm religioni tum reipub. ruinam moliri viderentur; quod cauti & prudentes homines, imò quod boni ciues & reipub. amantes ſolent in hoc genere facere, pedem ipſi quoque optimo conſilio referre incipiunt & ſe totos ad reipub. & patriæ ſalutem atque incolumitatem conferre & aggregare non dubitant; ſatis interea

ſiue

siue nouitatis studio, siue maiorum voluntati, siue æqualium amicitiæ, siue adeò temporibus ipsis opinionibusque suis datum existimantes; vltrà, in patriæ perniciem contendi non oportere. Illud enim planè constituendum est, nisi iamnunc malis eiusmodi, vel ratione, vel diuini ipsius metu numinis, vel amore deniq. reipublicæ & patriæ, occursum fuerit à viris bonis, magnopere verendum esse, ne his motibus labefactata respub. cum religione vnà concidat prorsus, &, quod absit, intereat. Nihil autem est quod minus deceat, quàm vt qui seipsi amantissimos semper esse reipub. magnis, quod scimus, ostenderunt argumentis, hi in tanto rerum omniũ discrimine positam, maximè necessario ipsius tempore deserant, & in præsentibus istis periculis constitutam relinquãt; quin potius danda est iis opera, vt quam ipsi pro sua singulari charitate & amore, maximè stabilẽ esse cupiant & æternam, eam studiis & factionibus profugorum istorum hominum lacerari ac discerpi, eam denique à coniuratis istis in eius perniciem hostibus diutius suffocari & strangulari minimè patiantur. Est enim hoc profectò fuitque semper genti ac nobilitati Polonicæ proprium, vt rempub. ipsam quàmmaximè saluam esse velint, & vt ipsius amori haud facilè quicquam in vita anteponant; imò vitam etiam ipsam suam posterius habeant: amicitias autem omnes, & studia quæcunque his aut illis dedicata, respectus etiam reliquos, ad ea quæ in communi hominum vita versantur, hac vna re moderentur, vt iis salus patriæ huius ac reipub. antiquissima semper esse videatur. Quæ laus sanè vti in nostris hominibus & maxima est, & vicinis adeò ac longinquis omnibus nationibus notissima; ita spem mihi planè facit maximam, breui fore, vt colluuies illa hominum aduenarum reipub. nostræ infestissimorum, in quam solam, omnis huius libri nostri, non sine causa maxima, exarsit acerbitas, pellatur tandem de repub. vel tædio hominum nostrorum tam diuturno, vel recenti im-

patientia, vel, quod ſummum eſt, iuſtiſſima quadam aduerſus eos iracundia & concitatione, ab iiſdem illis maximè omnium profecta, qui, quemadmodum hactenus auctores fortaſſis fuerunt, ſiue ab initio introducendarum tot ſectarum in Poloniam, ſiue deinceps earundem retinendarum, ac defendendarum, ita nunc rurſum, iuſtiſſimo, vt dixi, concepto illarum odio, auctores volent proculdubio perhiberi, earum extinguendarum, & tum patriæ ipſius ſuæ diuturna hac infamia, tum reipub. quoq. ipſius admodum proxima ruina ipſa liberandæ. Et ſicut aliàs, extra religionis negocium, ſemper auctoritatem ſuam in repub. ad res maximè neceſſarias libentiſſimè omniũ contulerunt, eamque, & domi magnam inter ſuos, & foris orbi ipſi terrarum, teſtatam ac notam maximè eſſe voluerunt, ita hoc etiam ipſo tempore, illam nobis certiſsimã dant quandam optimi & reipub. amantiſsimi ſui animi ſignificationem, in iis quoque rebus, quæ ad dei Opt. & Max. diu admodum in Polonia iactatam religionem conſtituendam pertinent, operam ſuam inſignem non eſſe amplius defuturam. Quos nos planè propterea, & nunc iam omnibus honoribus, libenter, vt debemus, proſequimur, & deinceps etiam laudibus ipſis eorum meritis per omnem occaſionem, libentiſſimè aut proſequemur ipſi, aut certè ab aliis multò excellentioribus viris, ornari, maxima cum iucunditate ſentiemus. Quos ipſos etiã, ne hoc quidẽ libro, quo nobis, omnis illa inter nos & ipſos vtcumq. explicata eſt religionis diſſenſio, acerbius compellare vnquam voluimus; ſed aut rem tantùm ipſam ſimpliciter notare contenti fuimus, à perſonis abſtinuimus, aut ſi quid, tum illos potius admonendos eſſe exiſtimauimus, qui docere ipſi diuerſum à religione Catholica, dogma auſi eſſent, quàm eos, qui ſe id doceri ab aliis paterentur; aut ſi quid deniq[illegible] tum verò in eos ſolos, vehementiores fortè extitimus, qui ſtudio, non qui caſu; qui vitio, non qui naturæ fragilitate; qui inflatione animi,

non

non qui rei ignoratione; qui denique confundendi & euertendi omnia voluntate, nō qui animo experiundi, huic sese disciplinæ tradidissent. Postremò autem eos vel maximè styli nostri acumine, si quod est, petere voluimus, qui summa illa & præcipua, ac simul cum religione ipsa Christiana nata, fidei nostræ capita, ab imo conuellere instititissent; quíque cùm in diuinam ipsam maiestatem, ac reliqua fidei nostræ archana sacramenta & sacrificia contumeliosè inuadere, tum mores ipsos castos & pudicos, vitamq́ue adeò sobriam & honestam, temulenter admodum tollere è medio non dubitauissent Monstra & portenta hominum, non homines; qui neque fide profectò sua, tecta ipsa ædium superant, quoties volunt cœlum conscendere, neque, cùm ipsi è cœlo videri volunt ad nos descendere, aliquid adferunt, quod non scelestam potius quàm cœlestem eorum religionem testari videatur. Hi sunt soli potissimùm, quos tristiori fortassis interdum sermone isto nostro appellandos nobis esse existimauimus. Quod quidem eiusmodi factum institutumq́ue nostrum, sicuti cum bona bonorum omnium venia à nobis acceptū iri confidimus, ita sanè vt accipiatur, etiam atque etiam petimus. Non enim profectò quenquam hominum lædere, sed vicem tantùm ecclesiæ & religionis vehementius fortassis aliquanto, pro animi nostri infirmitate, dolere voluimus. Quæ res, si vberiores interdum lachrymas excussit nobis, si vehementiorem interdum gemitum in nobis excitauit, si acerbiorem fortè vspiam expressit vocem, quæ molestiam vllam creare cuiquam potuisse videatur, næ ille ignoscere potius debet imbecillitati nostræ, qui in causa omniū indignissima, & sempiterni doloris ac mœroris plenissima, nō & queri, & dolere, & mœrere, & eiulare, & diuûm præterea ac hominū fidem implorare, & de[illegible]eniq. ipsius summam iniuriam verbis accommodatis exponere non potuimus; quàm vt vetet, extremo nos hoc vti consolationis genere, quod nobis so-

lum, in hoc ipso extremæ calamitatis nostræ tempore restare videbatur. Quid enim aliud faceremus, in tanto tantarum rerum incendio communi excitato? præsertim cùm eius ipsius denunciandi, & ad concurrendum homines inuitandi, nonnullæ etiam meæ partes esse viderentur; quem Deus, vltra mea merita, ad eorum hominum consortium volens aggregauit, quibus dictum est olim per Apostolū, depositū hoc fidei & religionis diligēter vt custodirent; per ipsum autē Apostolorū dominū, vt constituti super familiā domini, suam cuique tritici, non zizaniorum, mensuram, opportunè partirentur. Alioqui, quod ad nostrum quidem ingenium attinet, nullos vnquam aduersarios depoposcimus, ac ne nunc quidem deposcimus: omnibus potius honestis hominibus, bene omnia atque prosperè euenire cupimus; hos ipsos adeò à religione nostra dissentientes homines, & tulimus semper, quoad maximè potuimus, & nunc etiam vsque adeò omnibus officiis nostris prosequi auemus, vt eos & quàmdiutissimè viuere, & magnis incrementis resipiscere, & tum ad deum ipsum reuerti, tum ecclesiam pariter & rempub. ipsam complecti, tum omnibus denique vtriusque honoribus & commodis ex æquo planè nobiscum frui, maximè cupiamus: eundemque prorsus omnium nostrum erga illos sensum esse, ex animo desideremus. Neque enim profectò æquum esse arbitramur, vt cùm ne nos quidem ipsi radicem portemus, sed radix nos, efferamur aliquo modo præ istis, altúmue, vt loquitur Apostolus, sapiamus; sed potius animaduersa & perpensa, in eos quidem qui ceciderunt, seueritate Dei, in nos autem summa bonitate, existimemus id quod est, potentē esse Deum, iterum eodem inserere illos vnde exciderunt; si modò non permanserint in incredulitate, & si spiritum ipsum sanctum noluerint de industria contristare: qui profectò intercedit semper pro nobis gemitibus inenarrabilibus, vt possessionem filiorum Dei possimus primo quoque tempore adipisci.

adipisci. Quid enim quæso? an verò non duodecim horæ diei sunt? Tum autem, an verò non septies, atque haud scio an septuagies septies, in die cadit iustus? Cadit autem. Nimirum etiam videlicet toties resurgit. Et si iustus toties cadit, quomodo non cadet is qui non est iustus? Quis est autem ex nobis, qui se iustum possit profiteri, dum hic viuit? aut qui possit verè illud dicere: Mundum est cor meũ, purus sum à peccato? Nimirum nemo est alius, qui possit facere mundum de immundo conceptum semine, nisi deus ipse æternus & immortalis, qui solus est, quique solus, cum volet, poterit nos hyssopo illo suo aspersos emundare, & vltra niuis etiam candorē nitidos reddere. Quæ cùm ita se habeant, & cùm totum hoc opus & fidei, & conuersionis nostræ à studiis & doctrinis prauis, opus diuinum sit, &, vt ab initio statim eius sermonis nostri monere nos meminimus, ad deum solum auctorem referendum, equidē danda est nobis opera, vt ad orationis præsidium identidem confugiamus, & tum pro illis, qui in diuersas factiones volentes nolentes sunt abrepti, tum pro nobis etiam ipsis, qui in grege dominico ipso hactenus permansimus, & omninò pro vniuersa ipsa ecclesia, quæ vti permanentes gremio non excludit, ita redeuntibus vicissim ipsis maternum gremium non claudit; in quotidianis, si videtur, sacrificiis ipsis nostris, sic oremus.

Si vlla, ô domine, ecclesiæ tuæ teneris charitate, sicut profectò summa teneri te, & cùm nulla adhuc esset ecclesia, eam fabricando, & cùm amissa, restaurando, & cùm iactata, conseruando declarasti, à te supplices petimus, vt quæ se nunc suis ipsa dissidiis conficit, diuino tuo munere, ad pacem & concordiam reuocata, posit respirare. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Valeat apud te clementisime Pater, illa pro nobis moribundi nati tui; sub ipsam statim panis & vini, ab ipso, secundum ordinem Melchisedechi representatam oblatio-

nem facta deprecatio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi; vt sint vnum, sicut & nos. Vt hac nostra aliquando in hunc terrarum orbem reducta vnitate, simul & nos recentibus his malis liberes, & sermonis filii tui, domini nostri Iesu Christi confirmes veritatem, de ea, qua tecum in spiritu sancto viuit & regnat Deus vnitate.

Salutarem nobis, domine, religionis consensum, fructum communicationis mysteriorum filii tui, in ecclesia tua benignus restitue; vt quos de iisdem sacramentis participare voluisti, eos ad vnum ouile reductos, & vni pastori commendatos, tua facias pietate concordes. Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum,

AMEN.

CRACOVIAE
In officina Lazari. Anno Domini, M. D. LXXXIII.
Idib. Maii.

Ad Mod. R. L. Paulus Zuzakiew[illegible] Praepos. Xenodochij S. Nicolai ac Comend. Eccla Praepos. Sambori legauit ... Eadem Eccla Sambo. Anno 1682





1949. XVI N. 6 folio

